

0067395XXXX



ACTA
SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5.



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXXV.

AD ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

HACTENUS COLLECTA

SUPPLEMENTUM.

VOLUMEN COMPLECTENS

AUCTARIA OCTOBRIS ET TABULAS GENERALES

Scilicet Ephemerides et Indicem Alphabeticum Sanctorum decem priorum mensium, duplicem Elenchum Sanctorum de quibus agendum in prosecutione operis Bollandiani, necnon Syllabum Nominum rerumque Notabilium, quæ in Præfationibus, Tractatibus præliminaribus, etc., continentur.

CURA ET OPERE L. M. RIGOLLOT PRESBYTERI LINGONENSIS.



PARISIIS

APUD VICTOREM PALMÉ BIBLIOPOLAM

AUCTARIA

SEU NOTÆ

AD ACTA SANCTORUM

TOMORUM I, V & VI OCTOBRIS

CONSCRIPTA

A

JOSEPHO VAN HECKE, BENJAMINO BOSSUE, VICTORE DE BUCK,
ANTONIO TINNEBROECK,

SOCIETATIS JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS,

Seorsim pridem edita, nunc in unum conflata et juxta normam totius Operis Bollandiani disposita indicibusque locupletata,

Curante L. M. RIGOLLOT, presbytero Lingonensi.



Auctarium tomi I Octobris Acta S. Saturii eremitæ die 2 Octobris culti complectens nullam imprimendi facultatem aut approbationem, nullamque auctoris protestationem præ se ferebat.

Auctarium autem tomi V Octobris sic habebat in calce :

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Quum tres theologi Societatis nostræ legerint edique posse censuerint Auctarium ad Acta Sanctorum tomi V Octobris, conscriptum a Josepho Van Hecke, Benjamino Bossue, Victore de Buck et Antonio Tinnebroek, ejusdem Societatis presbyteris theologis : ego infrascriptus Præpositus Provinciæ Belgicæ, potestate mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali Joanne Roothaan concedo facultatem dictum Auctarium imprimendi. In quorum fidem hasce manu propria subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas, dedi Bruxellis 27 Januarii 1852.

C. FRANCKEVILLE s. J.

APPROBATIO ORDINARII.

Auctarium in tomum quintum Octobris Actorum Sanctorum imprimi permittimus.
Mechliniæ 30 Januarii 1852.

P. CORTEN VIC. GEN.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod auctores hujus voluminis protestati sunt in hoc Opere de Actis Sanctorum se servatas velle Urbani Papæ VIII constitutiones, neque suis aliorumve relatis commentariis aliud pondus tribui quam sit historiæ ab hominibus errori obnoxiis scriptæ, idem pro hoc Auctario denuo protestamur.

Item Auctarium tomi VI Octobris habebat in calce :

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU BELGICÆ.

Quum tres theologi Societatis nostræ legerint edique posse censuerint Auctarium ad Acta Sanctorum tomi VI Octobris, conscriptum a Josepho Van Hecke, Benjamino Bossue, Victore de Buck et Antonio Tinnebroek, ejusdem Societatis presbyteris theologis : ego infrascriptus Præpositus Provinciæ Belgicæ, potestate mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali Petro Beckx, concedo facultatem dictum Auctarium imprimendi. In quorum fidem hasce manu propria subscriptas, consuetoque officii sigillo munitas, dedi Bruxellis 4 Augusti 1853.

H. MEGANCK s. J.

APPROBATIO ORDINARII.

Auctarium in tomum quintum Octobris Actorum Sanctorum imprimi permittimus.
Mechliniæ 4 Augusti 1853.

P. CORTEN VIC. GEN.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod auctores hujus voluminis protestati sunt in hoc Opere de Actis Sanctorum se servatas velle Urbani Papæ VIII constitutiones, neque suis aliorumve relatis commentariis aliud pondus tribui quam sit historiæ ab hominibus errori obnoxiis scriptæ, idem pro hoc Auctario denuo protestamur.

MONITUM AD LECTORES

Quum, propter temporum injuriam, tomorum V et VI Octobris impressio præcipitanter et haud satis studiose festinata fuerit, nil mirum si sat multa castiganda et adjungenda in his occurrant; nec scriptorum id incuriæ, bene vero temporum iniquitati tribuendum. « Suppressa etenim anno 1773 Societate Jesu, actum videbatur de Opere Bollandiano. Attamen, multis superatis difficultatibus, hagiographicum institutum perstitit, translatum anno 1778 Autverpia Bruxellas ad abbatiam Caudenbergensem. Dein dissolutum sub Josepho II anno 1783 ac postea rursus constitutum transit anno 1789 ad abbatiam Tongerloensem. » Quod fusius explicatum reperire est in Procemio tomi VII Octobris. Atqui has inter vicissitudines molestiasque elaborati sunt et in lucem editi : tomus Octobris quintus anno 1786, et tomus ejusdem mensis sextus anno 1794. Hæc qui perpenderit, haud mirabitur aliqua in hac Operis parte desiderari; unde conficienda visa sunt Auctaria, quorum hæc est ratio : constant scilicet ex notis quæ certis indicibus referantur ad ipsorum tomorum paginas atque etiam paginarum divisiones, unde et utilia sint iis qui prioris editionis exemplar penes se habeant.

Præmittitur Auctarium tomi I Octobris complectens tantum Commentarium historicum de S. Saturio eremita et confessore, Soriæ in Hispania, quem Bollandistæ inter Prætermissos ad diem 2 non satis recte retulerant, quod de ejus cultu sibi satis non constaret.

Sequitur Auctarium tomi V Octobris. « Capit autem trium Sanctorum seu Beatorum Acta, qui minus recte inter Prætermissos etiam relati fuerant, videlicet : S. Felicis episcopi Claromontani, B. Michaëlis eremitæ Camaldulensis et S. Gaudentii episcopi Gnesnensis. Capit deinde animadversiones et additiones ad Acta S. Piniti episcopi Gnossensis, SS. Gereonis et sociorum Martyrum, S. Clari episcopi Nannetensis, utriusque S. Cerbonii episcopi unius Veronæ alterius in Ilva culti, S. Paulini Eboracensis episcopi, S. Tanchæ Virginis, S. Nuncii confessoris in comitatu Namurcensi, S. Joannis canonici regularis in Anglia, S. Francisci Borgiæ, S. Ludovici Bertrandi, S. Genardi confessoris in Gallia, S. Melanii Redonensis episcopi, S. Mariani eremitæ Lemovicensis, SS. Nigazii et sociorum Martyrum Rothomagensium, SS. Tarachi Probi et Andronici Martyrum in Cilicia, SS. Sanctini Verodunensis et Meldensis, Nectarii et Sisinnii patriarcharum Constantinopolitanorum, S. Placidiæ virginis Veronensis, S. Eupilii episcopi Comensis, S. Firmini episcopi Usetiensis, S. Cannici abbatis Kill-Kenniensis, S. Ethelburgæ abbatissæ Berckingensis, S. Gummari confessoris Lyræ, et B. Alexandri Saulii episcopi Aleriensis et dein Ticinensis. Ex qua recensione id commodi simul colliget lector, quod inde intelliget de quibus præcipue Sanctis in tomo V Octobris disputetur. »

Sequitur tandem Auctarium tomi VI Octobris. Capit autem I Acta aliquot Sanctorum vel Beatorum minus recte inter Prætermissos relatorum scilicet : SS. Hedisti Neronis famuli, Prisci presbyteri, Thermantiæ uxoris, Christis filiæ et Victuriæ ancillæ Martyrum, Romæ ad viam Laurentinam; S. Parasceves Virginis, Epivatis in Thracia; et B. Magdalenæ de Panateriis tertii ordinis S. Dominici, Tridini in diœcesi Vercellensi. Capit II Commentarium historicum de B. Reginbaldo episcopo Spirensi, brevi usculasque Syllogas de S. Remigio martyre, de S. Opione sive Opilione presbytero ac de S. Procula Virgine et Martyre, qui perperam omissi fuerant. Capit III Commentatiunculam de Theodorico, Joanne et Rothardo episcopis Cameracensibus. Capit IV animadversiones et additiones ad Acta S. Monæ episcopi Mediolanensis, S. Maximiliani episcopi martyris, S. Opilii presbyteri, SS. Cypriani Felicis et sociorum partim martyrum partim confessorum in Africa, S. Fieci episcopi Sleptensis, S. Edwini regis Northumbrorum, S. Rodobaldi episcopi Ticinensis, SS. Fausti Januarii et Martialis Martyrum Cordubæ in Hispania, SS. Marcelli Adriani et sociorum martyrum, S. Lubentii presbyteri, S. Romuli episcopi Januensis, S. Leoboni confessoris, S. Simperti episcopi Augustani, S. Geraldi comitis Aureliacensis, S. Colmani martyris, S. Chelidoniæ virginis, S. Mauritii abbatis Carnoetensis, S. Callisti Papæ et martyris, S. Gaudentii episcopi Ariminensis, S. Cœlestis aut Cœlestini episcopi Metensis, S. Donatiani episcopi Rhemensis, S. Fortunati episcopi Tudertini, S. Manechildis virginis, SS. Agrati et Casturi episcoporum Viennensium, S. Dominici Loricati confessoris et S. Bernardi confessoris. Capit V aliqua additamenta ad Prætermissos dierum 12, 13 et 14 Octobris. Ex hac recensione, sicut supra dictum est, intelliget lector de quibus præcipue Sanctis in tomo VI Octobris disputetur.

L. M. RIGOLLOT.

INDEX

ALPHABETICUS

SANCTORUM

DE QUIBUS AGITUR IN HIS AUCTARIIS.

INDEX
CHRONOLOGICUS
AD SANCTOS
DE QUIBUS AGITUR IN HIS AUCTARIIS.

SECULUM I.

Anno LX S. Hedistus Neronis famulus ejusque socii martyrium passi sunt 113 e *et* 114 e
Hoc forsan seculo S. Clarus episcopus floruit 33 e-f

SECULUM III.

Anno CCXLIX *aut* CCLI S. Monas Mediolanensis episcopus obiit 108 b c e
Hoc seculo labente S. Maximilianus obiit 114 f

SECULUM IV.

Ineunte hoc seculo S. Opilius presbyter floruisse videtur 107 b *et* 108 a d

SECULUM V.

Hoc seculo S. Cerbonius Veronensis episcopus floruisse videtur 36 a b

SECULUM VI.

Anno DXXX S. Leobonus confessor obiisse videtur 144 b c
Anno DXCIX S. Cannicus obiit 74 c f *et* 75 f
Circa annum DCLXIV S. Felix Claromontanus episcopus obiit 7 c, 11 *et* seqq.
Hoc seculo labente vel seculo octavo ineunte S. Saturius in Hispania floruit 1 c *et* 2 d e f

SECULUM X.

Anno CMXCIII S. Gaudentius Gnesnensis archiepiscopus condit Brzevnoviense cœnobium 55 f
Anno CMXCIX S. Gaudentius placito de cello Mionis subscribit 55 a b *et* 56 c

SECULUM XI.

Anno M S. Gaudentius dicitur Boleslaum in regem Poloniæ unxisse 57 f *et* 58 a
Anno MIV *vel* MVII S. Gaudentius obiisse videtur 58 b c

Anno

SECULUM XII

SECULUM XIII

SECULUM XIV

SECULUM XV.

SECULUM XVI

SECULUM XVII

SECULUM XVIII

SECULUM XIX.

AUCTARIUM

AUCTARIUM

AD ACTA SANCTORUM

TOMI I OCTOBRIS.

B E

ADDENDA AD DIEM II OCTOBRIS.

DE S. SATURIO

EREMITA ET CONFESSORE,

SORIÆ IN HISPANIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS

C

§ I. Qui de S. Saturio scripserint; Tamayi figmenta; quo tempore vixerit S. Saturius.

SÆCULO VII AUT VIII.

Male omiserunt decessores nostri S. Saturium,

A*d diem 2 hujus mensis retulerunt decessores nostri inter prætermissos* S. Saturium *eremitam, quod de ejus cultu sibi satis non constaret et quod nil de eo nossent quod S. Prudentii, episcopi Turiasonensis, actis, ad diem* 28 *Aprilis in Opere nostro excusis, non contineretur. Sed hæc non recta persuasio; nam de* S. Saturii *cultu apprime constat atque ejus gesta æque innotescunt ac S. Prudentii Turiasonensis. Quamobrem lacuna, quam fecerunt decessores nostri, omnino hoc loco implenda videtur.*

a multis scriptoribus celebratum.

2 *Complures, qui de* S. Saturio *olim scripserunt, nomine designat Tamayus de Salazar* (1), *scilicet Ambrosium Morales* (2), *Joannem Marietam* (3), *Vasseum* (4), *Franciscum de Padilla* (5), *Vicentium de Lanuza* (6), *Joannem Briz Martinez* (7), *Thomam Truxillo* (8) *et Franciscum Bivarium* (9). *Quibus postea accesserunt Henricus Florez* (10) *et Joannes Loperraez Corvalan* (11). *Vitam* S. Saturii *ex professo conscriptam fuisse ab Joanne Antonio Simon et a Petro Tutor y Malo tradit Petrus Sainz de Baranda* (12); *Tutoris operis* (13) *etiam meminit Florez* (14) *et Corvalan* (15); *qui id Soriensi civitati dicatum et Compluti typis Francisci Garciæ anno* 1690 *excusum fuisse addit. Titulus autem libri Joannis Antonii Simon erat (ni fallor)*

F

(1) Martyrologium Hispanicum ad 2 Oct.
(2) Historia Hispaniæ, tom II, lib. xi, cap. 74.
(3) Historia SS. Hispaniæ, lib. v, cap. 29 et lib. xi, cap. 29.
(4) Chronicum ad an. 590.
(5) Hist. eccl. Hispan. t. I, cent. iv, cap. 31.
(6) Historia Aragoniæ, t. I, lib. iv, cap 41.
(7) Historia Pinnatensis, lib. v, cap. 20.
(8) Thesaurus concionatorum, tom. II, fol. 967.
(9) In notis ad S. M. Maximi Chronicum, ad annum 572.
(10) España Sagrada, tom. VII, p. 299 et seqq.
(11) Descripcion historica del obispado de Osma, tom II, pag. 141.
(12) Coleccion de documentos ineditos para la historia de España, tom. XXII, Clavo de la España Sagrada, pag. 416.
(13) Compendio Historial de las dos Numancias, sus grandezas y trofeos reducidos a concordias; y al fin la vida y muerte del inclito anacoreta S. Saturio, patron de la segunda Numancia.
(14) España Sagrada, tom. VII, pag. 299 et 301.
(15) Descripcion del obispado de Osma. tom. II, pag. 230.

AUCTORE V. D. B.

Anachoreta canonizatus (1), *cujus meminit Florez* (2). *Equidem opera hæc pleraque ad manum non habeo; sed parum doleo quod videam eos, qui etiam Simonis et Tutoris scripta versarunt, vix aliquid habere quod alibi non legatur, aut potius quod ex Tamayo depromptum non sit; ita ut is præ omnibus examinandus sit.*

Tamayus qui alienas non tantum fabulas descripsit, sed ipse suas etiam invenit,

3 *Porro Tamayus* S. Saturii Acta, forte *(ut ipse loquitur)* ab ipso S. Prudentio, *episcopo Turiasonensi et* S. Saturii *discipulo*, conscripta, qui sanctum magistrum tumulavit, ex pervetusto Ms. sanctorum Hispaniæ codice, quem beneficio R. P. F. Thomæ de Herrera acceperat, dedit; *atque his Actis clauditur* S. Saturii *epitaphium, confectum (ut ibidem traditur) ab eodem S. Prudentio. Verum enim vero quæ fides habenda Tamayanis mercibus? Equidem in Auctario ad tomum VI Octobris* (3), *ubi quærendum videbatur utrum SS. Marcellus, Hadrianus et alii Chalcedone passi essent an Castulone in Hispania, retuli ex una parte tres classes martyrologiorum Hieronymianorum, in* B *quibus Chalcedone unius aut plurium statuebatur palæstra, et ex altera opposui antiquum breviarium Toletanum, procul dubio fabulatoribus Hispanis antiquius, proferri a Tamayo, in quo illi sancti Castulone legebantur martyrium fecisse; unde factum est ut in Castulonensium partem inclinaverim, nil tamen ausus definire. Atque hæc scripsi, certe sciens et sæpius alibi professus Tamayum infidum ducem esse; sed hanc ei notam inuri arbitrabar, non quod ipse sponte sua fabulator esset, verum quod aurem adhibuisset fabulatoribus eorumque dicta nimia fide exscripsisset. Ast errabam plane, tam bene de eo sentiens; atque nunc, quum vidi eum sæpius a decessoribus nostris* (4) *et ex professo a Nicolao Antonio* (5) *mendacii convictum fuisse, vellem numerum* 2 *additamenti illius de SS. Marcello, Hadriano et aliis omnino expungi aut saltem ita mutari ut Castulonensium nova traditio plane abjiciatur et sua laus servetur Chalcedoni. Atque ex his facile videbit lector quo loco apud me nunc stet Tamayus et quam fidem habendam æstimem Actis* S. Saturii, *quæ solus ipse vidit, solus tractavit. Re quidem vera hæc se beneficio R. P. F. Thomæ de* C *Herrera Augustiniani accepisse perhibet; sed anno* 1658 *tomum quintum Martyrologii sui Hispanici, quo illa continentur, in lucem dedit; quum scilicet anno* 1654 *diem obiisset Herrera in Matritensi domo S. Philippi Apostoli* (6) *: ita ut non dormientem tantum, (quemadmodum Judæi, contendentes Christi corpus, dum satellites dormirent, furto sublatum fuisse,) sed mortuum fidei suæ testem fecerit.*

finxit Vitam et epitaphium S. *Saturii.*

4 *Nil itaque dubito quin pro more suo hanc Vitam finxerit Tamayus eamque pro amore suo magnorum nominum S. Prudentio episcopo supposuerit. Quod dum fecit, secutus est imprimis S. Prudentii ipsius antiquiora Acta; quibus inspersit quædam (sed minus recte,) quæ recentiores scriptores* D *de locorum compositione et maxime de eremitorio referunt; alia autem pauca, ut accuratiora rerum adjuncta apparerent, de suo cerebro inseruit; epitaphium deinde condidit, cui etiam ibidem locum dedit; atque illa demum omnia his clausit verbis, quæ nemo eruditus recentissima esse non affirmarit* : Quod sacrum corpus postmodum miraculis effulgens, idem Prudentius, postquam ad Tyrasonensis ecclesiæ episcopatus apicem devenit, sublimiori loco conlocans, honore canonizationis sublimavit; ita ut in posterum sanctitatis titulo cognitum et cultum frequentia circumjacentium fuerit accolarum, qui ad ejus sepulcrum accedentes Deum in sancto suo corde et opere magnificant. Cujus sit laus et gloria in sempiterna secula seculorum. Amen.

Variæ scriptorum opiniones et Tamayi fabulæ de ætate S. *Saturii ejusque discipuli S. Prudentii;*

5 *De tempore, quo* S. Saturius *ejusque discipulus S. Prudentius, episcopus Turiasonensis, vixerunt diversissimæ propositæ fuere sententiæ. Alii, cónfundentes S. Prudentium cum homonymo, qui S. Encratidem Cæsaraugustanam tumulavit, dixere* E *eum et magistrum floruisse, Diocletiano imperatore* (7); *alii eumdem habentes S. Prudentium ac poetam Christianum, Aurelium Clementem Prudentium* (8), *statuerunt eum obiisse anno Christi* 390; *alii contra, unum eumdemque sanctum in duos dividentes, docuere S. Prudentium sedem Calaguritanam occupasse anno* 466 (9); *et alii alia* (10). *Verum ex quo tempore in lucem dedit Tamayus suum Martyrologium, convenire fere videtur inter Hispanos* S. Saturium *ex hac vita recessisse æra* 606, *id est anno Domini* 568. *Ita enim traditur in epitaphio, quod modo memorabam et quod in hunc modum conscriptum est :*

HIC. REQUIESCIT. FAMULUS. DEI
SATURIUS. QUI. POSTQUAM. VITAM
PER. FERE. XXXVI. ANNOS. EREMITICAM, TRANSEGISSET. MIRACULIS
CLARUS. OBDORMIVIT. IN. DOMINO
ANNORUM. LXXV. DIE. VI. NON. OCTOB.
A ERA. DC.VI Ω

Sed id merum, ut jam monui, Tamayi figmentum F *est, quemadmodum vel ex ipsa insolita forma et verborum selectu constat. Præterea prodit Tamayus ipsemet a sese id secundum P. Higueræ fabulas compositum fuisse, quum nempe id cum pseudochronico S. M. Maximi convenire ostendit. Audi scilicet :* Ex inscriptionis epigraphe, *inquit*, liquido constat Saturium vitam exuisse era 606, quæ ad annum Domini 568 respondet : quo calculo probatur assertio S. M. Maximi in Chronico, anno 572 dicentis, quod per illud tempus post Didymum et Sanctium in sede Tyrassonensi Prudentius fuit sublimatus; et hoc refert Maximus evenisse post quatuor annos a morte Saturii magistri; nam iste anno 568 obiit; ille anno 572 infulam Tyrassonensem induit.

(1) El Anacoreta canonizado.
(2) España sagrada, tom. VII, pag. 301.
(3) Auctarium ad diem XIII Octobris, infra
(4) Cfr Acta SS. t. III Aprilis, pag. 591, num. 21.
(5) Censura de Historias fabulosas, cfr index verbis *Tamayo* et *Martyrolo*,*io*.
(6) Ossinger. Bibliotheca Augustiniana, pag. 434; Nicolaus Antonius, Bibliotheca scriptorum Hispaniæ, tom. II, pag. 303.
(7) Coronica general de España, lib. XI, cap. 74, tom. V, pag. 577 et 578 edit. Matrit. 1791.
(8) Anguiano, Compendio histor. de la Rioja, ap. Risco. España sagrada, tom. XXXIII, pag. 127 et 128.
(9) Tejada, lib. III, cap. 3, § 4, ap. Risco, tom. cit. pag. 147 et seqq.
(10) Cfr Acta SS. tom. III Aprilis, pag. 587.

A *hæ fabulæ inter se non cohærent.*

6 *Sed quæ mala Tamayi fortuna est, componi hæc nequeunt cum S. Prudentii Vita. In hac enim legitur* (1) *beatus vir anno ætatis decimo quinto ad* S. Saturium *accessisse et cum eo septem annos, id est usque ad magistri mortem vixisse; dein ivisse Calagurrim, ibi multos cives reduxisse ad fidem, et factus esse canonicus; quum autem fama ejus sanctitatis ex vicinis civitatibus infirmos innumeros, a suis languoribus curandos, acciret, clam abiisse Turiasonem; hic prius sacristis associatus fuisse, et tempore peracto in demortui sacristæ locum suffectus; promotus dein ad sacros ordines et aliquanto post, demortuo archidiacono, hoc munere ornatus; sedulo officio suo functus esse et demum, quum episcopus obierat, creatus esse qui cathedram Turiasonensem occuparet : quæ omnia intra quadriennium contigisse quis credat? Et, licet eo tempore lex de ætate episcoporum non semper servaretur, quis tamen sine ullo vade admittat S. Prudentium Turiasonensem sedem ascendisse annos tantum natum viginti sex* (2)? *Quocirca non aliud sentiendum est de* S. Saturii *epitaphio, quam quod Papebrochius* (3) *sensit de epitaphio Prudentii, similiter a Tamayo in lucem producto, et quod de tot aliis Nicolaus Antonius* (4) : *videlicet hæc omnia figmenta esse, quorum nulla habenda sit ratio.* B

SS. Saturius *et Prudentius certissime floruerunt ante medium sæculum* x *et verisimilius sæculo septimo aut ineunte octavo.*

7 *Restat itaque ut ad ea redeamus quæ jam pridem de S. Prudentii ætate disputavit Papebrochius, scilicet eum obiisse ante medium sæculum* x, *quo corpus hujus* S. Saturii *discipuli magna veneratione jam servabatur in ecclesia S. Vincentii Laturcensi ad fines Castellæ Veteris* (5). *Id omnino firmum est. Quibus id placet, volunt nonnulli SS. Prudentii et* Saturii *ætatem accuratius determinare eamque collocare post Sarracenorum invasionem, quoniam S. Prudentii pater* Ximenus *vocaretur* (6), *et episcopus Calagurritanus, qui cum clero suo adscripsit,* Sanctius (7) : *quæ nomina, ait Morales* (8), *certo scimus in usu non fuisse antequam Mauri destruxissent Hispaniam; postea vero sæpius in historiis occurrere et in diplomatibus. Atque his consentit plane Risco* (9), *Hispaniæ sacræ continuator, aperte professus secundum meliora documenta floruisse S. Prudentium ejusque magistrum* S. Saturium *post occupatam a Sarracenis Hispaniam, id est post annum Christi* 711 (10). C *Certiora profecto haberemus, si Sanctii, episcopi Calagurritani, ætas perspecta esset; sed ne ejus quidem nomen inter episcopos hujus sedis, qui recensentur in Hispania sacra, locum obtinet. Cæterum non ausim plurimum his niti : nam in sancti Prudentii Vita ita beati hujus viri explicantur gesta ut, quo tempore vivebat, episcopos fuisse in ipsa civitate Calagurri, Turiasone et Uxama dicere necesse sit; dum tamen multo verisimilius est nullos dominantibus Mauris ibidem fuisse, licet religio Christiana non omnino oppressa fuerit* (11); *adeoque non ego cum illo pugnabo qui S. Prudentium cum magistro* S. Saturio *ante Sarracenorum adventum sanctitatis exemplo præfulsisse voluerit, videlicet sæculo septimo aut ineunte octavo, ut in annotatis ad S. Prudentii Vitam suggessit jam Papebrochius* (12). *Sed de his hactenus.*

AUCTORE V. D. B.

§ II. S. Saturii gesta cum S. Prudentio et pius ejus obitus.

Iter S. Prudentii ad S. Saturium describitur;

I*n toties laudata S. Prudentii Vita leguntur de* S. Saturio *sequentia* (13) : Cum autem puer Prudentius ad quintum decimum pervenisset annum, et totus integerrime in Dei amore flagraret; patria parentibusque relictis, transivit alveum, qui nuncupatur Ebrus, *antiquis vero Iberus. Nam cum Prudentius Cantaber natione esset et oriundus Armentia, (vico prope Victoriam* (14) *et, per Maurorum tyrannidem cessantibus episcopis Calagurritanis, episcopali aliquamdiu sede* (15)), E *et Soriam, magis ad meridiem positam, pergeret, necessario transeundum erat in flumen.* Atque in ipsa nocte cum pastoribus quibusdam quiescens, totam noctem in Dei laudibus transegit : psalmodiam corde perfecto retexit, pastoresque incredulos fidem catholicam ac verbum Dei docens, erraticam et immundam bestialemque eorum vitam sancte et religiose corrigens, eosdem in pluribus emendavit. Mane facto valedicens pastoribus recessit ; itinere aggresso usque in Serram-Albam pervenit. *(Vicinia montis Urbionis, ex quo Durius seu Dorus aquas suas recipit, designari videtur.)* Capere iter non desistens, in virentibus locis super torrentem, qui Dorus dicitur, descendit; atque ipsa nocte in quodam molendino cum paucis hospitatus est. In eadem nocte famam audivit, quod in concavo lapide super fluvium quidam eremita maneret. Quo audito, gratulatus corde, orto sole arripiens iter, circa locum illum pervenit : ex alia parte fluminis introitum speluncæ in arduo loco prospexit; *(ipse enim venit secundum ripam occidentalem Durii fluminis, dum sancti eremitæ cella in ripa orientali esset posita.)* F Sanctissimus vero puer Prudentius, intra se considerans qua arte torrentem transiret, huc et illuc cœpit gyrovagans ambulare, a Deo postulans consilium perfecto corde. Sic deambulans frequenter contra foramen speluncæ aspiciebat, septemque psalmos pœnitentiales canebat. Exiens autem de oratorio suo eremita, ostium speluncæ prodiit; vidensque puerum, miratus est quomodo sic incaute *seu flumen transire nescius* ambularet. Qui voce multa insonuit, puerque audiens illum respexit; hominemque Dei super lapidem stare videns gaudio est repletus;

(1) Cfr Acta SS. tom. III Aprilis, pag. 592.
(2) Cfr España sagrada, t. VII, pag. 301.
(3) Ibid. pag. cit.
(4) Censura de historias fabulosas, cfr indice verbo *Tamayo*.
(5) Acta SS. tom. III Aprilis, pag. 587.
(6) Ibidem, pag. 592.
(7) Morales, Coronica general de España, lib. XI, cap. 74. tom. V, pag. 575.
(8) Ibid. pag. 578.
(9) España sagrada, tom. XXXIII, pag. 149 et 150.
(10) Ibid. tom. cit. pag 177.
(11) Cfr España sagrada, tom. XXXIII, pag 166 et seqq., 182 et seqq. Loperraez Corvalan, Descripcion historica del opispado de Osma, tom I, pag. 48 et seqq.
(12) Act. SS. tom III, Aprilis pag. 593.
(13) Ibid. pag. 592.
(14) Miñano, Diccionario geografico de España y Portugal, tom. I, pag 282.
(15) España sagrada, tom. XXXIII, pag. 231 et seqq.

AUCTORE V. D. B.

pletus; et in Deo perfecte confidens, superundas Dorii sicco vestigio transiit, (*qui locus postea* Santo Doro *dictus est* (1),) et rupem ubi spelunca erat ascendit, pedesque hominis Dei amplexatus est.

quomodo ambo simul vixerint; S. Saturii mors.

9 Saturius vero (sic enim vocabatur eremita), videns tantum miraculum quod aqua sicco vestigio transituro se præbuit puero ad calcandum, tremens ad terram cum lachrymis juxta puerum se prostravit. Ibi fere una hora ambo lachrymantes jacuerunt, unus ab altero petens benedictionem. Eremita vero, cum non posset puerum vincere, porrecta manu elevavit eum a terra: signansque illum signaculo sanctæ crucis et per manum trahens in oratorio intromisit. Post orationem multa eum interrogavit: in primis ut discipulum ad erudiendum suscepit, quem postea eruditum in bonis velut magistrum dilexit; quia tantum in eo gratiam Deus collocaverat, ut venerabilis et mirabilis esset cæteris, non solum a mediocribus, verumtamen a senioribus honore præventus. Mansit autem sanctus puer in eadem spelunca cum prædicto Viro Dei fere septem annis; et ambo velut animalia duo, diu noctuque ruminantia pascua divina, una in vita laudabili perstiterunt: quousque felix anima Saturii, Domino invitante, de hujus valle inediæ ad mensam Domini pergeret saturari. Disponente itaque Deo actus præfati juvenis, idem jam optime eruditus speluncam quam prædiximus reliquit et clausit ostium. *Narratur dein S. Prudentii iter Calagurritanum; sed hæc nihil ad* S. Saturium.

B

Tamayi inventa de gestis S. Saturii et error de ejus habitaculo et prima sepultura.

10 *Si audiretur Tamayus, multo plura de* S. Saturio *comperta essent; imprimis eum genere Gothum fuisse, licet nomen ejus latinum suadeat potius eum fuisse Romanum, seu ex veteribus Hispanis, a Romanis devictis, fuisse progenitum; deinde eum nutritum fuisse apud Oriam castrum, id est civitatem Soriam; sed hanc non ante sæculum* XII *fuisse conditam jam docuimus, et veteres eremitas sæpius procul a patria abiisse solitudinis majoris causa satis notum est: litteras puerum didicisse, parentibus orbatum erogasse facultates in pauperes, et mundi pericula vitaturum selegisse eremiticam vitam deinde addit; non mala conjectura, sed nequaquam historica narratio.* E vestigio castri, *sic pergit,* oratorium in rupis immanis foramine construxit et juxta in alto spelæo domunculam exiguam, qua aliquando recumbens, vix ut corporis compaginem extenderet, locus erat. *Contendit itaque Tamayus oratorium* S. Saturii *diversum fuisse ab ejus domuncula; verum hoc cum S. Prudentii Vita non convenit, in qua legitur (ut supra jam recitavimus)*: Exiens autem de oratorio suo eremita, ad ostium speluncæ prodiit; *et speluncam illam beatissimi viri oratorium simul fuisse et habitaculum supra etiam et infra indicatur. Neque satis secum constat hoc loco Tamayus in Vita* S. Saturii *quam finxit; nam prius tradit* domunculam *ab eo* S. Michaeli archangelo *dedicatam fuisse et postea* oratorium S. Michaelis *titulo fuisse ornatum. Id autem verum est,* S. Saturio *unam speluncam loco eremitorii et oratorii fuisse; postea vero constructum esse S. Michaelis oratorium, de quo inferius recurret sermo. Per triginta fere et amplius annos solum vixisse* S. Saturium, *herbarum radicibus et silvestrium arborum fructibus contentum, et ita miraculis illustrem, ut sæpe alio abiisset, auram favoris humani fugiens, nisi Dei monitu fuisset cohibitus, suggerit postmodum Tamayus: sed hæc iterum sine vade de cerebro suo protulit; nec meliora sunt quæ de sanctissimi eremitæ senectute et morte perhibet. Addit demum Tamayus*: Cujus (S. Saturii) corpus, ut jusserat magister, in proprio sagulo evolvens intra ejusdem oratorii S. Michaelis angulum sepelivit. *Contra ex Vita S. Prudentii satis liquet corpus* S. Saturii *prius fuisse sepultum in spelunca quam habitaverat; et quidem passim cernere olim erat eremitas in suis cellulis sepeliri; postmodum vero, quando constructum est S. Michaelis oratorium, eo delata sunt beati viri ossa.*

C D E

§ III. Cultus S. Saturii in suo monte, Soriæ, in diœcesi Uxamensi et Cordubensi. Lectiones officii ecclesiastici.

S. Saturii memoria in martyrologiis. Numantiæ et Soriæ situs.

Q*uando autem cœperit coli* S. Saturius *valde incertum est; nam, ut demonstrandum non est, quæ de ejus elevatione et canonizatione, a S. Prudentio, ad cathedram Turiasonensem promoto, procurata, refert Tamayus, flocci facienda sunt. In nullo martyrologio vetere celebratam fuisse* S. Saturii *memoriam monet idem Tamayus; et quidem recte; quam ob rem ipse sequens contexuit elogium ad diem 2 Octobris*: Numantiæ in Hispania, ad eremitorium S. Michaelis, depositio sacrorum pignorum B. Saturii eremitæ, sancti Prudentii episcopi Tyrasonensis magistri; qui cum a juventute ad usque senectam et amplius in silentio eremi delituisset, et orationi, meditationi et aliis austeritatis vacasset exercitiis, demum virtutibus onustus ad Dominum confessor inclytus permeavit. *Quod Numantiæ ejus natalem affigit, inde provenit quod olim sat multi putarunt Soriam in pristina Numantiæ sede positam esse; sed jam extra controversiam est Numantiam ad ripam orientalem Durii fluminis fuisse sitam, dum Soria occidentalem occupat; præterea Numantiam media leuca magis ad Septemtrionem spectasse quam Soriam, illamque prope confluentem fuisse Durii fluminis et rivi Tera seu in angulo fuisse ejusdem Durii fluminis et rivi Merchado, undas suas etiam ibidem miscentium. Ad Septemtrionem Numantiæ consurgit nunc viculus Garray; ipse vero antiquæ civitatis ambitus probe adhuc discernitur et rudera aliquot apparent; quorum imaginem dedit Loperraez Corvalan* (2), *qui et docte et erudite in Numantiæ situm inquisivit* (3).

F

(1) Morales, Coronica general, lib. XI, cap. 74, tom. V, pag. 375. Loperraez Corvalan, Descripcion historica del opispado de Osma, t. II, pag. 86; Miñano, Diccionario geografico, tom. VIII, pag. 333.

(2) Descripcion historica del opispado de Osma, t. II, pag. 282.

(3) Ibid. pag. 219 et seqq. Cfr Miñano, Diccionario geografico de España, tom. VIII, pag. 333.

AUCTORE V. D. B.

A *Ferrarius in catalogo generali Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt satis habuerat ad diem 28 Aprilis, qua S. Prudentii festum agitur, scribere :* In Hispania S. Saturii eremitæ, *quod non plura apud Marietam repererat.*

Utrum die 28 Aprilis, an 2 Octobris S. Saturii celebranda sit memoria.

12 *Atque hic recurrit quæstio qua die celebrandus sit* S. Saturius, *diene* 28 *Aprilis an* 2 *Octobris. Ut ex his quæ diximus satis manifestum est, consignata tantum fuit beatissimi eremitæ memoria die* 28 *Aprilis, quod hac ejus magistri ageretur festivitas ; quod fundamentum certum est. Contra ut die* 2 *Octobris ejus fiat memoria nil aliud suadet præterquam ficta a Tamayo* S. Saturii *Vita et epitaphium. Ibi enim legitur :* Post hæc, Prudentio vale dicto, et quæ ab eo exsequenda erant post ejus obitum commissa, in manus sanctissimi adolescentis amore lachrymantis spiritum reddidit Creatori VI nonas Octobris ; *et in inserto fictitio titulo sepulcrali :* Obdormivit in Domino annorum septuaginta quinque, die VI non. Octob. *Sed hæc nullius ponderis esse quid iterum monebo ? Neque alia de causa videtur Tamayus huic diei adscripsisse* S. Saturii *cœlestem natalem, quam quod Sanctorum nominibus vacua esset. Verum, quamquam ita se res habeat, jam servanda est dies* 2 *Octobris, cum S. Rituum Congregatio voluerit* S. Saturii *festum aut missam hac ipsa die ab iis celebrari quibus hanc facultatem fecit, ut inferius latius explicabimus.* B

Speluncæ S. Saturii et oratorii S. Michaelis, in quo illius ossa quiescunt,

13 *Intra Soriæ viciniam diu se continuit* S. Saturii *cultus ; sed ab exeunte sæculo* XVI *videtur ibidem fuisse valde celeber ; ita ut ex circumjacentibus pagis frequentes homines accurrerent ad visitandam tum speluncam quam sanctus vir inhabitaverat, tum alteram speluncam, postea (ut diximus) excavatam et sancti Michaelis oratorium dictum ; in quo etiam illius ossa aliquando composita sunt. Ambas has speluncas effossas esse in saxis ripæ orientalis Durii fluminis, e regione ruinosi Soriensis castri, quod cum civitate in opposita ripa constructum est, non est iterum monendum : sed placet horum locorum descriptionem ex Ambrosii Moralis chronico generali et ex descriptione diœcesis Uxamensis Joannis Loperraez Corvalan depromptam, hic inserere.* E regione castri, *inquit ille* (1), in medio clivo magni montis cernitur etiamnum spelunca sancti eremitæ Saturii, eaque satis magna est. (*Tamayus dixit eam ita parvam fuisse ut sanctus vir recumbens* vix corporis compaginem extendere *posset.*) Locus is porta clausus est et magna veneratione habetur, quod duorum sanctorum habitaculum fuerit. In montis cacumine eremitorium S. Michaelis est, et dicitur *de Monte* ; eoque a spelunca gradibus ascenditur. Ibi in sacello particulari, quod in monte excavatum est et ferreis clathris clausum, servantur beati viri ossa, in lapideo sepulcro composita. Huc ex spelunca allata sunt et ab incolis universæ illius regionis coluntur plurimum. C

descriptio et benefactores,

14 *Plura dat Loperraez Corvalan ; qui postquam fuse de omnibus Soriensibus templis et monasteriis dixisset, sic pergit :* Circum mœnia civitatis aliquot sunt eremitoria ; quorum præcipuum S. Saturii est, ad orientem, e regione castelli et in altera Durii fluminis ripa situm. Fundatum est in clivo occidentali alti montis ; eoque clauditur spelunca in qua vixit beatus vir et obiit ; et corpus ejus honorifice ibidem colitur. (*Confundit Loperraez ambas speluncas.*) Piissimum id sanctuarium est, et visitatur non a civibus tantum Soriensibus, sed a vicinis quoque plebibus. Ædificium ejus magnum non est, quoniam per locorum conditionem majus spatium non datur. Expensis tamen parcitum non fuit in eo exstruendo super monticulum qui totum quasi montis clivum amplectitur. Secretarium in eo est sacrum et omnes ecclesiæ muri interius picti sunt a pictore Soriensi Zapata, presbytero et Jordanis discipulo. Eremitorio contigua est custodis domus et aliæ cœptæ ædificari capellanis, quorum beneficia ecclesiastica fundavit fidelium pietas. Inter sanctuarii hujus benefactores præcipuos recensetur mercator quidam Lusitanus, qui circa annum 1586 Soriæ habitabat commercii lanarum causa et lotores habebat e regione ædiculæ. Restauravit vir ille pius eremitorium et cum aliis auxiliatrices manus porrexit ad componendam viam ; ita ut, quantumvis mons asper sit, etiam currus ascendere possint. *Hæc ille anno* 1788. E

S. Saturius patronus Soriensis ; officium ecclesiasticum Soriæ in Diœcesi Uxamensi,

15 *Hæc quum scriberentur, Soriæ patronus jam pridem factus erat* S. Saturius ; *nam ut mittam eum a Tutore in titulo sui operis, anno* 1690 *editi, dici, Soriensem patronum, medio sæculo* XVIII *legitime hæc ei laus concessa est, ut constat ex officio ecclesiastico, die* 31 *Augusti anni* 1743 *a sacra Rituum Congregatione approbato ; hunc recentius Miñano* (2) *quoque* S. Saturium *vocat Soriæ patronum. Ecce autem istud officium :* Die II Octobris, in festo S. Saturii confessoris, civitatis Soriæ patroni. In civitate Soriæ duplex primæ classis cum festo de præcepto et octava. In diœcesi Oxomensi duplex primæ classis absque festo et octava. Omnia de communi confessoris non pontificis præter ea quæ sequuntur. ORATIO. Deus, qui per mundi contemptum beatum Saturium confessorem tuum ad eximiæ sanctitatis apicem sublimasti, da ut, ejus imitatione a terrenis affectibus expediti, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum, *etc.* IN II NOCTURNO, LECTIO IV. Saturius Numantiæ, ut perhibent, illustri genere natus, cum adulta ætate perfectioris vitæ desiderio esset incensus, patrimonium, quod demortuis parentibus sibi obvenerat, in pauperes erogavit et ad hospitam prope Durium flumen eremi solitudinem se recepit. Ibi in prærupta montis rupe, humili sacello in honorem beati Michaelis archangeli dedicato, per triginta et amplius annos oratione, jejuniis, vigiliis et corporis afflictationibus asperam quidem, sed cœlestium rerum contemplatione suavem vitam duxit. Turiasonensem episcopum sanctum Prudentium, adhuc adolescentem, sanctitatis ejus opinione commotum, ad se venientem excepit et in eadem eremi solitudine fere per septennium felici eximiarum virtutum æmulatione educavit ; donec meritis plenus septuagenario major migravit ad Dominum. Ejus corpus, a sancto Prudentio in eodem oratorio conditum et miraculorum subinde fama illustratum, pia fidelium veneratione ad hæc usque tempora F

(1) Coronica general, lib XI. cap. 74, tom. V, pag 575.

(2) Diccionario geografico de España, t. VIII, p. 335.

AUCTORE V. D. B.

pora colitur. *Qui hæc probanda obtulerunt Sacræ Rituum Congregationi, secutos esse vitam, a Tamayo fictam, manifestum est; nec est quod plura de his moneam, satis habens laudasse sacram Congregationem, quod pericopen* ut perhibent *initio inseri voluerit. Lectio* v *et* vi *est de sermone sancti Bernardi abbatis, seu ex declamatione in Matthæum, cap.* 19, *a verbis* Arbitror verba lectionis *usque ad* quam cupio, quam requiro. *Missa* Os justi *de communi.*

16 *In diœcesi Cordubensi promovit nonnihil* S. Saturii *cultum Petrus Maria Heredia, Hispanus; qui anno* 1828 *humiles preces Leoni papæ XII obtulit, quibus petiit ut in duobus sacellis sui patronatus, altero oppidi Aguilar, altero oppidi Cabra, liceret quotannis die* 2 *Octobris celebrari in honorem sanctissimi eremitæ missam solemnem tantum cum cantu. Quod per duo rescripta de die* 6 *Decembris prædicti anni, quæ in forma authentica penes me habeo* (*ut et rescriptum in Oxomensi de die* 31 *Augusti anni* 1743), *concessum fuit. Plura, quæ hic inserantur, nescimus.*

D *et missa cantata in duobus diœcesis Cordubensis sacellis.*

AUCTARIUM

AUCTARIUM

SEU NOTÆ

AD ACTA SANCTORUM

TOMI V OCTOBRIS.

B E

ADDENDA AD DIEM X OCTOBRIS.

NOTA 1 ad pag. 2, litteris D, E.

DE S. FELICE, EPISCOPO

ET CONFESSORE

CLAROMONTII IN ALVERNIA.

C F

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

Cultus, Reliquiarum translatio et gesta in episcopatu.

CIRCA ANNUM 664

S. Felix jam a seculo X cultus fuit

De S. Felice, *Claromontano seu Alvernensi episcopo* (*operæ pretium non est utriusque loci hic signare discrimen* (1)) *agendum non esse asseritur, quia non satis constet ejus cultum centum annis antiquiorem esse celeberrima Urbani VIII Constitutione. Verum quum hæc ratio non subsistat, fides facienda nobis est verbis decessorum, qui hoc ipso loco pollicentur de hoc Sancto in Actis dictum iri, quam primum de ejus cultu sufficientique hujus auctoritate constiterit. Porro dubium nullum est quin jam ante medium sæculum* X *Claromontii* S. Felix *coleretur. In opere scilicet* de sanctis ecclesiis et monasteriis Claromontii, *quod Savaronus ante annum* DCCCCL *conscriptum evidenter demonstravit, quodque ex Ms. S. Illidii et S. Mariæ Portuensis desumptum et eruditissimis adornatum annotationibus suis Claromontanis Originibus inseruit* (2), *hæc de antiquissima S. Stephani ecclesia traduntur* (3) : In ecclesia S. Stephani, altare Sancti Stephani, ubi Sanctus Namacius et Sanctus Quintianus, et Sanctus Aprunculus et Sanctus FELIX et alia Sanctorum corpora, quorum nomina nescimus, quiescunt. *Jam vero Sanctum hunc* Felicem *eum ipsum esse, de quo inter Prætermissos sermo fit, nemo ibit inficias qui meminerit ex una parte in Usuardino auctario totidem adstrui verbis* S. Felicem, *qui hac die Cluniaci colebatur,* pontificem *fuisse et* apud Arvernum episcopalem tenuisse cathedram, *et ex altera unum tantum* Felicem *in catalogo Claromontensium præsulum reperiri. Quo argumento nil strictius est. Adde sanctos Namacium, Quintianum et Aprunculum Episcopos*

(1) Cfr Gallia Christ. nova, tom. II, col. 222.
(2) Les Origines de la ville de Clairmont, pag. 342 et seqq.
(3) Ibid. pag. 323.

fuisse

A *fuisse Claromontanos, quibus demortuis socius sepulturæ additus fuerit, qui vivus eorum occuparat cathedram. Atque hæc pauca de cultus antiquitate.*

in ecclesia S. Stephani extra Claromontium in qua sepultus fuit,

2 *In tribus autem locis venerationem ecclesiasticam nactus est* S. Felix. *Quod ad ecclesiam S. Stephani attinet, quæ ejus sepulcro gloriatur, pandit ejus originem S. Gregorius Turonensis, quum de S. Namacio, octavo apud Arvernos episcopo, agens :* Cujus conjux, *inquit* (1), basilicam Sancti Stephani suburbano murorum ædificavit ; quam cum fucis colorum adornare vellet, tenebat librum in sinu suo, legens historias actionum antiquorum, pictoribus indicans quæ in parietibus fingere deberent. *Plura de eadem exhibet Savaronus* (2), *eamque postea* S. Eutropii Suburbicarii *appellatam fuisse passim docet ; quam nominis immutationem ad exiens sæculum* XV *Ruinartius refert* (3). *Quantum ex nuperiori Chronologia Episcoporum Claromontensium* (4) *colligere queo, exstat etiamnum hoc templum.*

quia tunc nondum sepeliebantur mortui in civitatibus.

3 *Quod autem ibidem* S. Felix *et plures alii ejusdem ævi sepulti fuerint episcopi, non est quod* B *miremur ; quoniam tunc temporis non ferebat consuetudo in Gallia, ut sepulcra pararentur in mediis civitatibus. De qua re plura notavimus in Commentario de S. Mummolino* (5), *cujus biographus hæc totidem habet verba :* Quia vero civitas vivorum dicitur, non mortuorum, a discipulis suis post multam lacrymarum effusionem extra muros ante portam Aquariam, in ecclesia Sanctorum sepultus est Apostolorum.

Teste Martyrologio Candiacensi, cujus auctoritas in rebus Cluniacensibus vindicatur,

4 *Secundus locus cultus celeberrimum fuit Cluniacense monasterium, cujus paucas superstites reliquias descripsere Lorain* (6), *Merimée* (7) *aliique. Verum nihil aliud de collatis hic* S. Felici *honoribus cognoscere nobis licuit quam quæ pauca nobis exhibet Caudiacense, seu potius (ut inferius demonstrabitur) Candiacense Usuardinum auctarium, his verbis :* Pago Matiscensi, monasterio Cluniaco, exceptio Sanctorum Valenti presbyteri et martyris atque Felicis pontificis et confessoris, qui apud Arvernum episcopalem cathedram tenuit. *De hac quidem translatione nuspiam ullum vestigium repe-* C *rimus ; verumtamen, licet Candiacum, cujus codex hæc nobis exhibet, non ad Matisconensem sed ad Lugdunensem diœcesim pertineret, certa tamen est hujus monumenti fides. Ex Cluniacensi scilicet codice, intermedio Magnilocensi, descriptum esse Candiacense Martyrologium res apertissima est ex collatione quarumdam propriarum annuntiationum, quas olim descripsit Chiffletius noster. Etenim si Sollerii editionem Usuardini Martyrologii inspicias, ad diem* 13 *Maii consonantes habes codices Cluniacensem, alterum D. Du Cheval littera D notatum et tertium Candiacensem hæc habentes :* Translatio B. Grati Confessoris Acquæ a civitate Cabillonis ; *item ad* 20 *Julii :* Ipso die Cluniaci monasterio, gloriosa exceptio B. Gregorii papæ ; *item ad* 5 *Septembris de translatione S. Marcelli. Habet et alios Cluniacenses fastos Candiacensis codex, quos in duobus aliis codicibus vel ne invenit quidem* D *Chiffletius, vel saltem ex iisdem non descripsit. Ad* 13 *Martii solus habet :* Cluniaco, translatio S. Consortiæ Virginis ; *et ad* 22 *Junii alteram de S. Consortia annuntiationem. Quod autem intermedium fuit Magnilocense in Arvernia Martyrologium ostendetur inferius ; id unum in præsentia concludendum nobis est, omni fide dignum esse Candiacensem Usuardinum codicem, quum Cluniacensem* S. Felicis *cultum solus statuat. Nam illud insuper fatendum est, sæculo præterlapso in Officio divino nullam amplius* S. Felicis *memoriam Cluniaci factam fuisse, ut ex renovato Cluniacensi Breviario colligimus ; sed universim tantum omnium Reliquiarum festum actum esse in die octava solemnitatis Omnium Sanctorum.*

translatus fuit S. Felix Cluniacum, prout illuc Arvernis etiam S. Marcelli reliquiæ translatæ fuerunt,

5 *Jam si quæritur quo tempore Arvernis seu Claromontio Cluniacum delatæ sint SS. Valentini et* Felicis *exuviæ, nil est quo id directe determinari posse videatur. Arvernis Cluniacum alias delatas fuisse reliquias ex Auctariis Usuardinis Cluniacensi, altero notato D. D. Du Cheval, atque etiam ex Candiacensi cognovimus :* Cœnobio Cluniaco, E *annuntiant ad* 5 *septembris* (8), beati Marcelli papæ et martyris gloriosa AB ARVERNIS exceptio, miraculorum laude, populorumque frequentia non mediocriter illustris. *Quam translationem ante annum* 1109, *quo S. Hugo Cluniacensis abbas obiit, factam esse, extra controversiam ponendum est, quum in ejus Vita, a S. Hildeberto Cenomanensi scripta et in Actis Sanctorum, in Bibliotheca Cluniacensi et inter S. Hildeberti opera edita, legamus :* Porro exiturus ex hac Ægypto, Dei famulus B. Marcelli capsam sibi jubet præsentari. *Quod testimonium ita peremptorium est, ut curanda non sit objectio, ex inscriptione sermonis S. Petri Mauritii seu Venerabilis petita, quod scilicet hic Sermo* in Exceptione Reliquiarum S. Marcelli *habitus fuerit* (9); *deinde perquam facile intelligitur hæc locutio de annua solemnitate ; et quidem eamdem ita intelligi jubet ipsius sermonis exordium :* Jure, *hæc sunt verba,* in hujus beati corporis exceptione, OLIM præsentem *(seu militantem)* ecclesiam contigit gavisam fuisse, in cujus beatæ animæ susceptione certum est eam, quæ sursum est, Jerusalem exultasse. F

ante sæculum XII ; *nam, quum annuntiatio hujus translationis sit sæculo* XIII, *seu fundatione prioratus Candiacensis per Magnilocenses monachos antiquior,*

6 *Atque ego crederem* SS. Felicis *et Valentini Reliquias Cluniacum item delatas fuisse ante S. Hugonis obitum, quoniam non videtur quo postmodum tempore eæ Arvernis illuc devenissent. Diximus scilicet supra Candiacensem Usuardinum codicem haustum fuisse ex Cluniacensi, intermedio tamen Magnilocensi ; seu Candiacensem descriptum fuisse ex Magnilocensi, qui ipse ex Cluniacensi desumptus fuerat. Porro Candiacensi prioratui a suis originibus suum fuisse Martyrologium ex consuetudinibus monasticis certum est ; jam vero ineunte sæculo* XIII *exstabat jam Prioratus ille, ut liquet ex diplomate Rainaudi de Foresio, Lugdunensis archiepiscopi, qui anno* 1212 *exsecutus est testamentum quoddam, in quo legimus* (10) Willelmam uxorem Franconis, facto testamento, dedisse corpus suum et animam

(1) Hist. Francorum, lib. II, cap. XVII.
(2) Op. cit., pag. 353.
(3) In annot. ad S. Greg. Tur. Hist. Fr., lib. II, cap. XVII.
(4) Gonod, Chronologie des Ev. de Clermont, etc., p. 6, 15 et passim.
(5) Act. SS. ad XVI Octob., pag. 955 et 985.
(6) Abbaye de Cluny, pag. 339.
(7) Notes d'un voyage dans le midi de la France, pag. 78.
(8) Hinc corrige Molanum in Natalibus SS. Belgii et Bollandum ad XVI Januarii, pag. 4, hanc translationis solemnitatem VIII idus Januarii celebrantes.
(9) Martennius. Tom. V. Anecdot. col. 1445.
(10) De la Mure. Hist. ecclés. du diocèse de Lyon, p. 319.

suam

A suam Domino nostro Jesu Christo et Beatæ Mariæ et sancto Sebastiano de Candiaco, post dedisse sancto Sebastiano decimam vinearum quam habebat ultra Candiacum, etc. *Unde sequitur Candiacensem de* SS. *Felicis et Valentini translatione annuntiationem initio sæculi* XIII *habendam esse antiquiorem, nisi forte aliquando suum mutassent Candiacenses Martyrologium, atque illi, quod a principio habuerant, aliud aliunde accersitum substituissent. Verum nil horum apparet. Candiacum scilicet erat Magnilocensis colonia, ut apparet: tum ex catalogo beneficiorum diœcesis Lugdunensis, exhibente abbatem Magnilocensem Candiacensis Prioratus patronum* (1); *tum ex eo quod eumdem, quem Magnilocenses* (2), *colebat sanctum titularem Sebastianum martyrem. At vero Candiacense Martyrologium, ex quo suas desumpsit annuntiationes Chiffletius et quod in præsenti nos detinet, illud idem esse vel saltem ejusdem exemplar, quod fundatores Candiacensis Prioratus in suo ex Magnoloco discessu secum asportarunt, ex internis notis conficitur. Ad diem videli-* B *cet* XVI *Maii habet :* Arvernis, monasterio Magnoloco SS. Cassii et Victorini ; *ad* XXIII *ejusdem mensis :* Magnoloco, adventus Reliquiarum S. Austremonii Episcopi et Martyris ; *ad* XXV *Septembris,* Magnoloco S. Georgiæ virginis, *de qua jam ad* XV *Februarii dixerat :* Arvernis, translatio S. Georgiæ ; *item bis meminit S. Domnini, Magniloci in magna veneratione habiti.*

et quum hæc translatio fieri non potuerit per priorem medium partem sæculi XII *propter discordias inter Cluniacum et Claromontium,*

7 *Atque hinc initium sæculi* XIII *stabiliri posse videtur tamquam terminus, ultra quem annuntiatio de* SS. Felice *et Valentino et proin eorum translatio referri nequeat. Superest itaque ut probabilibus conjecturis ostendamus eamdem translationem non fuisse factam sæculo* XII. *Atqui S. Hugoni, anno* 1109 *demortuo, successit Pontius ; sub quo plures Cluniacum delatæ fuerunt sacræ Reliquiæ. Verum in coæva narratione de susceptione horum piorum pignorum nulla de* SS. *Felice et Valentino fit mentio* (3). *Tempore vero S. Petri Mauritii seu Venerabilis multæ simultates inter Claromontanam sedem et Cluniacum exstiterunt ; quæ sane rerum conditio similem sacrarum Reliquiarum donationem omnino* C *impedivisset. Constat autem de his dissidiis ex diplomate, quo Aymericus, Arvernorum episcopus, anno* 1131 *multas Cluniaco restituit ecclesias et cujus hoc est exordium :* Ego Aymericus, Dei gratia Arvernorum episcopus, notum facio omnibus tam præsentibus quam futuris GRAVES DIUTURNASque discordias, quæ inter me et abbatem Cluniacensem domnum Petrum ac canonicos Claromontenses et monachos propter quasdam ecclesias olim fuerant, taliter Deo auxiliante extinctas esse (4). *Verumtamen decennio post vigebant adhucdum simultates, adeo ut Aymericus detrectaret auctoritatem abbatis Cluniacensis, qui ut delegatus apostolicus judex sedebat. Habemus hæc ex epistola Cœlestini II Papæ, ad eumdem S. Petrum Mauritium* (5). *Similiter dum Eugenius III ecclesiæ* D *universæ præsideret, sed quum Stephanus de Mercorio Claromontanam nondum conscendisset cathedram, adeoque inter annum* 1145 *et* 1151 (6), *seu potius inter annum* 1147 *et* 1150, *ut ex itineribus S. Petri Venerabilis et ex ejus ad Eugenium III epistola patet* (7) *nondum bene conveniebat inter Claromontium et Cluniacum ; quod abundantissime colligitur ex epistola* 25 *libri* VI *S. Petri Venerabilis. Anno scilicet ante scripserat Eugenius III ad Cluniacensem abbatem, ut inquireret in gesta quædam Claromontani episcopi. Verum quum litteræ pontificiæ huic, non vero Venerabili Petro redditæ fuissent, non potuit hic delegati Apostolici exsequi partes ; de qua re anno post rationem reddidit pontifici, quod dum facit, laudat quidem* Episcopos qui ante istum terræ illi jure ecclesiastico principati sunt ; *sed continuo subdit :* At nunc PER VIGINTI FERE ANNOS populus ille Dei tantus... mansit sine... sacerdote. Quomodo enim sacerdos dici potest, qui exceptis sacramentis pontificalibus, de pontificis officio, EX QUO EPISCOPARI CŒPIT, pene nihil implevit ? E

quo tempore non unus sed duo sederunt ibi Aymerici,

8 *Atque hic animadvertere nobis liceat, correctionem quamdam propter allegata verba inducendam esse catalogo episcoporum Claromontensium. Auctarium Chronici Cluniacensis, descriptum a Stephanotio et inter scriptores Galliæ* (8) *editum, refert Aymerici Claromontani episcopi mortem ad annum* 1140 ; *verum ut taceam id pugnare cum multis aliis monumentis, nullius fidei est auctarium istud, ut colliges ex novo Tractatu de recte stabilienda chronologia* (9). *Cl. vir Gonod* (10) *et Dionysius Sammarthanus* (11) *extendunt ejus episcopatum ab anno* 1111 *usque ad annum* 1150, *recte expungentes Stephanum quemdam, quem Savaronus* (12) *et Dufraisse* (13) *induxerant. Verum enim vero duo omnino admittendi sunt Aymerici, quorum alter sedit ab anno* 1111 *usque ad annum saltem* 1127 ; *alter vero ab hujus morte usque ad annum circiter* 1151. *Triplex scilicet id suadet argumentum : primum est testimonium omni exceptione majus, S. Petri nempe Mauritii seu Venerabilis, ad Eugenium III (ut modo vidimus) inter annum* 1147 *et* 1150 *scribentis, tunc temporis Aymerico viginti fere fuisse episcopatus annos :* Per viginti fere annos, ex quo episcopari cœpit ; *clarissima sunt hæc verba. Secundum argumentum petitur ex diversa omnino utriusque indole : prior videlicet, qui fuerat Casæ-Dei abbas, relatus fuit inter hujus celeberrimi monasterii viros sanctos, ut testatur Mabillonius* (14) *et Sammarthanus* (15) ; *item laudatur a Sugerio, S. Dionysii abbate* (16), *ut* vir honestæ vitæ, et defensor ecclesiæ illustris, *et de eo ad diem* 18 *Aprilis hæc consignata est vetus memoria :* F

Ipso die Aymericus præsul magni nominis
Prudens, pius et pudicus, cultor summæ Virginis
Expiravit : salvet eum Christi salus hominis.

Nil quoque impedit quin ad eumdem referantur duæ

(1) Ibid. pag. 238 et Poulié général, contenant les bénéfices de l'archevêché de Lyon, etc., pag. 41, Paris 1648.
(2) Gall. Christ. Nov., tom. II, col. 360.
(3) Biblioth. Cluniac. col. 561 et seqq.
(4) Gall. Christ. Nov., tom. II, Instrum. col. 80.
(5) Bullarium Cluniac., pag. 51.
(6) Cfr Gall. Christ. Nov., tom. II, col. 270.
(7) Cfr Biblioth. Cluniac., col. 922 et Biographie Univ. T. XXXIV, pag. 405 ; vel Hist. litt. de France, tom. XIII, pag. 245 et 246.
(8) Recueil des Hist. de France, tom. XII, pag. 315.
(9) Art de vérifier les dates, tom. II, pag. 413.
(10) Chronol. des Év. de Clermont, pag. 29 et seqq.
(11) Gall. Christ. Nov., tom. II, col. 267 et seqq.
(12) Les Origines de la ville de Clairmont, pag. 66.
(13) Ap. Gonod, pag. 30.
(14) Annal. Ord. S. Bened., lib. 70, num. 47, tom. V, pag. 424 et alibi passim.
(15) Gall. Christ. Nov., tom. II, col. 328.
(16) Lib. II, ep. 29 et 41, opp. S. Hildeberti, col. 126 et 140.

epistolæ (1) *Sancti Hildeberti, quarum priorem scripsit ante finem anni* 1125, *seu quum esset adhuc Cenomanensis episcopus; posteriorem vero, quum conscendisset Turonensem cathedram. De altero vero alia, omnino diversa, traduntur :* Castrorum domini *inquit S. Petrus Venerabilis* (2), inferioris nominis milites, burgenses, rustici populi, laicorum omne genus de illo clamant quod propheta Dei olim pessimo regi Israël locutus est : *Vidi universum Israël dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem.* Si ab eo de malefactoribus justitia ecclesiastica exigitur, aut negatur aut venditur... Manet otiosus inter negotia infinita... Monachi carent sub tali episcopo, non tantum divino sed et humano auxilio... taceo graviora. *Neque dicatur cum Daunou* (3) *iniquius hæc scripta fuisse a S. Petro; nam si ipsemet bene sibi conscius fuisset, summorum pontificum non detrectasset judicium; et tantum abest ut S. Petrus animosius processerit, ut contra a Cœlestino II Papa anno* 1143 *obtinuerit hoc rescriptum* (4) : Quod autem A. Claromontensis episcopus præterita Beati Lucæ festivitate a prædecessore nostro bonæ memoriæ papa Innocentio evocatus non venit, nec canonicam excusationem prætendit, PRO VESTRA DILECTIONE ad præsens æquanimiter toleramus. *Diximus jam quomodo postea Eugenii III interceperit epistolam; quod non minus grave piaculum erat. Quæ vero alia in Gallia Christiana Nova referuntur, non ea sunt quæ ista umquam redimere possint, ita ut Casæ-Dei pientissimi monachi in animum inducere potuissent ut eum inter Sanctos referrent, præsertim quum hæc ad ejus fere vitæ finem pertinerent. Adde tertio quod, nisi duo distinguantur Aymerci, ille unus, qui vulgo apparet, ad decrepitam pervenisset ætatem; quin tamen hujus adjuncti ullum inveniremus vestigium, licet aptus locus omnino esset in his quæ de eo supersunt epistolæ. Gessisset scilicet per novem annos* (5) (*non vero septem, ut habet S. Roberti biographus* (6)) *abbatiale pedum et per annos circiter quadraginta episcopale; et tamen oportet, ut, quum Casæ-Dei abbas electus est, multa jam gauderet fama, siquidem non in ipsa tunc illa abbatia, sed in monasterio S. Roberti de Andrio degebat* (7).

et quum etiam hæc translatio facta non videatur per alteram sæculi XII *partem, facta sit oportet ante mortem S. Hugonis*

9 *His itaque in transitu stabilitis, superest ut concludamus intra priorem sæculi XII mediam partèm tempus non fuisse opportunum, ut Cluniacenses peterent et Claromontani concederent Sanctorum venerandas exuvias. Neque videntur media altera ejus sæculi parte concessæ. Nam ut mittam nil esse quo credatur post mortem S. Petri Venerabilis tantam Cluniacum inter et Claromontium exstitisse mutuam benevolentiam, ut Claromontani, obliti se coactos fuisse quam plurimas Cluniacensibus restituere parœcias, etiam de corporibus Sanctorum suorum præsulum reliquias sacras iisdem concesserint; ut hæc, inquam, mittam, auctarium Chronici Cluniacensis, descriptum a Stephanotio, et inter scriptores historicos Galliæ editum* (8), *nullam omnino de SS.* Felicis *et Valentini translatione mentionem facit, licet translationem SS. Leodegarii et Principini et duorum Innocentium, intra idem temporis spatium peractam, memorat, quamvis minus ad Cluniacenses hæc pertineret. Atque hæc dicta sunto ad firmandam conjecturam saltem ante S. Hugonis obitum* SS. Felicis *et Valentini Reliquias Claromontio Cluniacum delatas fuisse.*

Auctarium Usuardi, Caudiacense dictum, dicendum est Candiacense;

10 *Quod autem ad Candiacensem, non vero Caudiacensem,* S. Felicis *venerationem attinet, nihil aliud occurrit quam quod in hujus prioratus Martyrologio ejus translationis fieret memoria. Verum enimvero operæ pretium videtur accuratius de hoc dicere Martyrologio, quod toties decessores nostros in transversum egit. Imprimis J. B. Sollerius, in præfatione ad suum Usuardum, sermonem instituens de extractis ex variis Martyrologiis, a R. P. Petro Chiffletio submissis, monet num.* 265 (9) Caudiacum *esse prioratum, et proin legendum* Caudiacensem, *non vero* Candracensem, *ut alicubi in Actis deprehenderat. Et certe Papebrochius ad diem* XV *Maii illustrans sanctos Martyres Claromontanos Cassium et Victorinum et eosdem ad diem* XIX *ejusdem mensis inter Prætermissos recensens, bis* Candracense *scribit. Verum ut* Candracum *non valet, ita etiam nullius frugis est* Caudiacum, *sed omnino scribendum* Candiacum, *ut ad diem* XIII *Maii inter Prætermissos et alibi scripsit Henschenius* (10). *Quod ex illo ipso codice facile probatur.*

qui error tot tricarum fuit origo.

11 *Nam ut alia multa mittam, ad diem* XXI *Julii* adventum et susceptionem *refert* corporis S. Domnini ex sacra Aquitaniæ provincia translati in Selula, in pago Toloricensi, in loco antiquitus...., Magnoloco dein nomine dicto, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXIX; *ad* XVI *Augusti* Arvernis, monasterio Magnilocensi, Sancti Domnini, inclyti Martyris et Sociorum ejus *meminit; ad* XXIII *autem ejusdem mensis :* Apud Caudiacum, *(ita legit Sollerius),* natale S. Ainandi et Domnini Martyris. *Quid vero ad hæc decessores nostri? Quum flocci haberent hunc codicem, cujus origo eos latebat, de prima annuntiatione inter Prætermissos siluerunt; satis habentes quod Sollerius in Usuardo dixerat se nil in his capere; quod et ad diem* XVI *Julii scripsit, quum in instrumentum incidisset ubi similia habebantur, licet hæc omnia valde clara sint, si in Translatione Sanctorum Sebastiani et Gregorii legantur Magnilocensia exordia. Ad secundam scripserunt* se jam pridem notasse Sanctum illum aut synonymum sæpius recurrere (11); *ad tertium demum* hos Sanctos sibi hactenus ignotos esse (12). *Et quidem, ex quo tempore Sollerius edidit Usuardum suum, tot fere admissi fuerunt lapsus, quot ex illo codice inciderunt annuntiationes. Verumtamen ad diem* XVI *Julii, qua S. Domninus Apriliacensis colitur, illustrarat ipse Sollerius S. Domnini Candiacensis Martyris acta, eumque constanter* Candiacensem, *nunquam vero* Caudiacensem *appellarat; præterea ex instrumento translationis Reliquiarum narrarat ibidem* (13) populum in

(1) Lib. II Vit. S. Hildeberti, pag. XXVI.
(2) In epist. cit. S. Petri Vener.
(3) Hist. litt. de France, tom. XIII, pag. 245, et Biographie Univ., verbo *Pierre le Vénérable.*
(4) Bullar. Cluniac., pag. 51.
(5) Gal. Christ. Nov., tom. II, col. 332.
(6) Act. SS. Tom. III Aprilis, pag. 332.
(7) Gall. Christ. Nov., tom. II, col. 332.
(8) Recueil des Hist. de France, tom. XII, p. 313, et tom. XVIII, p. 742.
(9) Præfat. pag. LVII.
(10) Act. SS. Tom. IV Maii, pag. 187.
(11) Act. SS. Tom. III Augusti, pag. 262.
(12) Ibid. Tom. IV Augusti, pag. 553.
(13) Ibid. Tom. IV Julii, pag. 127.

magna

A magna quantitate adfuisse die crastina post assumptionem B. Mariæ mensis Augusti, qua die celebratur festum proprium S. Domnini, *et quidem cum Octava, ut ex annuntiatione Martyrologii, diem* XVI *et* XXIII *Augusti pro festis assignantis, liquet. Adde quod quæ de adventu et susceptione corporis S. Domnini, anno* DCCCLXXXIX *Magnumlocum translati, initio hujus numeri retulimus, ibidem ex alio documento a Sollerio referuntur* (1) ; *adeo ut hæc res extra controversiam reponenda et sua servanda auctoritas sit codici, quem deinceps* Candiacensem *dicemus.*

Accuratius distinguitur prioratus Candiacensis.

12 *Superest ut paulo plura de hoc prioratu, tot tricarum origine, dicamus. Imprimis duo erant Candiacenses prioratus, in diæcesi Lugdunensi siti, alter in pristino archipresbyteratu Meysiacensi* (2), *alter in Monte-Brisonensi,* (3) *alter trans Rhodanum, alter citra eumdem fluvium* (4). *Qui in archipresbyteratu Meysiacensi jacebat, suberat Cluniaco, ut habemus ex Catalogo Abbatiarum, Prioratuum, etc., Cluniaco subjectorum* (5), ubi debebant esse B priore (non?) computato duo monachi et vicarius perpetuus *seu* presbyter commensalis; *vocabatur etiam* de Clausone; *de hoc loco sermo fit in Dictionario Universali geographico ad verba* Chaudieu *et* S. Thomas-de-Chaudieu; *erat enim S. Thomas patronus* (6). *Alter vero non jacebat in Arvernia, ut habent decessores nostri* (7), *sed aliquot passuum millibus extra ejus fines ad Septemtrionem Montisbrisonis. Ut antea dictum est, hic prioratus, patrono S. Sebastiano, exstabat jam anno* 1212 *et Magnilocensis erat colonia. Aderant autem ibidem plures quam tres monachi, ut manifestum fit ex instrumento, quod ad diem* XVI *Julii allegarunt decessores nostri* (8) ; *atque ad hunc non ad illum pertinet* S. Felicis *cultus. In eodem vico hospitium erat, quod neque a Priore loci, neque ab Abbate Magnilocensi dependebat, sed Abbatem Cluniacensem habebat patronum* (9). *Plura ad nos non pertinent.*

S. Felicis quæ noscuntur gesta pauca sunt.

13 *Ad* S. Felicem, *cujus occasione hæc disquirenda fuerunt, ut tandem constaret de loco et de nomine loci ubi colebatur, e diverticulo revertimur. De* C *eo hæc tantum ex synchrona secunda S. Præjecti Arvernensis item Episcopi Vita, a Bollando ad* XXV *Januarii et a Mabillonio inter Vitas Sanctorum Ordinis S. Benedicti edita, habemus* (10) : Non multum post ista *(nempe susceptum a S. Præjecto diaconatum et conscriptas nonnullorum Sanctorum Vitas)* tempus effluxerat, Felix urbis prædictæ *(Arvernicæ)* cathedram possidebat et tunc Candidinense cœnobium tradidit ad regendum Præjecto; *et post pauca de impensis a S. Præjecto disciplinæ et ædificiorum structuræ curis, pergit biographus :* Defuncto itaque Felice, cum maxima pars cleri vel populi Præjectum cuperent habere antistitem, archidiaconus urbis præfatæ Giroaldus nomine, episcopatum urbis Arvernicæ usurpavit præmio ; sed quadraginta dierum evoluto curriculo, mortis sortitus est transitum. *Et dein fit sermo de S. Præjecti electione.* D

Non habuit decessorem Gyroindum,

14 *In his verbis nonnulla attingenda videntur, quorum primum est de* S. Felicis *episcopatus tempore. Ast valde difficile est certos ei assignare limites. Sammarthanus* (11) *et Gonod* (12) *concludunt illud intra annum* 1162 *et* 1165; *verum neuter annus certus est limes. Sammarthanus quidem catalogo Claromontensium præsulum ad annum* 1162 *intrusit Gyroindum quemdam ; verum ut mittam eum in veteribus catalogis non comparere, ut testis est Gonod, fundamentum quo nititur Sammarthanus caducum omnino est, utpote mera conjectura Mabillonii, nullo argumento eam probantis. Etenim in celeberrimo Senonensi diplomate, quo Emmo monasterio S. Petri Vivi plura concessit privilegia, reperiens eruditissimus vir multa episcoporum nomina absque sedium suarum notis ipse de penu sua adjecit ad marginem suam unicuique cathedram, atque ita ad hæc verba :* In Christi nomine Gyroindus, ac si peccator, consentiens, *assignavit Gyroindo sedem Arvernensem* (13). *Quem lapsum jam videntur animadvertisse Brequigny et La Porte du Theil, qui has omnes divinationes in sua hujus diplomatis editione suppresserunt* (14). *Adde hoc diploma ad annum* 658 *seu* 659 *proprie pertinere* (15). E

sed S. Genesium, cujus ætas, determinatur et mors, quæ inter annum 636 et 660 contigit.

15 *Suppresso itaque Gyroindo in Claromontano catalogo, dicendus est S. Genesius* S. Felicis *prædecessor, ex S. Præjecti duplici Vita notus, sed cujus episcopatus tempus omnino incertum est. Re quidem vera traditur S. Genesius in Vita sua, quam* nullis fabulosis commentis permixtam *minus recte asserit Henschenius* (16), quinquennio officium episcopatus sui administrasse, *priusquam Romam aufugerit, et postquam Arvernos reductus fuisset,* degisse postmodum parce vivendo quadraginta annis ; *verum præterquam quod hæc Vita venerandæ antiquitatis non sit, pugnat certo cum actis Concilii Alvernici, quod anno* 535 *celebratum est, ut ex subscriptione Honorati Bituricensis* (17) *manifestum est, et cui interérat S. Gallus II Claromontanus. Unde, etiamsi cum Gonod* (18) *supprimas Proculum, quem* F *plures catalogi inter S. Gallum II et S. Genesium collocant, et quamvis anno* 635 *S. Genesii inchoares pontificatum, protraheretur tamen S. Genesii episcopatus ad annum* 680 *usque, quo tempore ipse S. Præjectus jam obierat ; ut nil dicam de lapide sepulcrali S. Genesii. Ponimus itaque S. Gallum II anno* 635 *Alvernis sedisse, cujus tamen episcopatum ad annum* 649 *ob Vitam S. Amabilis cum Sammarthano* (19) *(ipse utpote inferius eamdem flocci facit* (20), *) extendere non audemus. Successit deinde Proculus, qui et Prologus dicitur. Venit postea S. Genesius, quo archidiacono puer erat S. Præjectus* (21). *Quot vero annos vixerit S. Genesius colligi posse*

(1) Acta SS Tom. IV Julii, pag 127.
(2) Pouillé de Lyon, p. 18 De la Mure, Hist. eccl de Lyon, p. 248
(3) De la Mure, pag 238.
(4) Vide Mappas Cassini
(5) Biblioth Cluniac, col 1128, coll. cum indice ad verbum *Chandiacum*, et Pouillé de Lyon, app. pag 4
(6) Cfr Dict. univ. de la France, verbo *Chaudieu (S. Thomas de)* et *Chaudieu (S Pierre-de)* Pouillé de Lyon, p 18, et de la Mure Hist eccl de Lyon, pag 248.
(7) Act SS. Tom. IV Julii, pag. 126.
(8) Ibid pag 127
(9) Pouillé de Lyon, p 12.
(10) Act SS Ord S Bened. sæc 2, pag 647 et 648.
(11) Gall Christ Nov, tom II, col 245 et 246
(12) Chronologie, etc, pag 15
(13) Act. SS Ord S Bened., sæc. 3, part 2 pag 614.
(14) Diplomata, Chartæ, etc, tom I pag 229
(15) Cfr Act SS. Tom. VII Oct., pag [illegible]
(16) Act SS. Tom IV Junii, pag 322, num 2.
(17) Recueil des Hist. de France, tom IV, pag 106
(18) Chronologie, etc., pag 14
(19) Gall Christ Nov, tom 2, col 244 et 245
(20) Ibid. col 270
(21) Act. SS. Ord. S Bened sæc 2, pag 646.

videtur

A *videtur ex ejus obscurissimo sepulcrali lapide in quo sic legitur* (1):

PONTIFICALEM QUAM
ACCEPIT CATHEDRAM REXIT IN PACE ANNUS
LXII EJUS QUÆ VITA QUOD MANSIT IN SECULO ANNI FUERUNT MEGRANS DE MUNDO IMPERANTE
PRINCEPE FRANCORUM REGE.

Quæ verba, sive detritus sit numerus post annus, *sive aliud nescio quid voluerit sculptor, omnino ita interpretanda sunt, ac si S. Genesius* LXII *annos vixisset : hoc pacto omnia fluunt, secus in absurda quæque inciditur, scilicet S. Genesii episcopatum ad annum saltem* 697 *durasse. His positis, novimus etiam S. Genesium mortuum esse inter annum* 656 *et* 660, *dum scilicet Francis unus rex imperaret, seu priusquam Clotharius III, Francorum rex, anno* 660, *fratri suo Childerico II, (qui anno tantum* 670 *Francorum monacha factus est* (2),) *cessisset Austrasiam* (3), *qua tunc continebatur Arvernia* (4). B *Atque hinc priorem* S. Felicis *episcopatus terminum habemus, quum hic S. Genesii successor fuerit.*

successorem habuit post brevem Giroaldi episcopatum S. Præjectum, qui circa annum 664 conscendit sedem Arvernensem.

16 *Ex altera parte de S. Præjecto (nam ad successorem quoque recurrendum est, ut aliquo usque* S. Felicis *mors determinetur), de S. Præjecto, inquam, habemus cum anno* 674 *mortem pro justitia obiisse, ut ex ejus Vita ostendit Mabillonius* (5). *Ast non ita facile statui potest, quot annos episcopalem cathedram occuparit : quod si tamen decennium assignemus, a veritate non procul aberrare possumus, quoniam id fere requiritur ut commode duo asceteria, adeoque unum post alterum, exstuere potuerit* (6) *et ut ejus fama pervenerit ad S. Chrotbertum Turonensem, qui etiam diaconum suum cum eulogiis ad eum misit* (7). *Neque multo magis extendi potest, quoniam sub* S. Felice *aliquamdiu Candidinensis monasterii regimen habuit. Unde, si inchoemus S. Præjecti episcopatum anno circiter* 664, *ad idem tempus referendus erit* S. Felicis *ex hac vita exitus. Qua chronotaxi omnia commode procedunt : anno videlicet* 628, *aut circumcirca, natus erit S. Præjectus,* C *episcopo S. Cæsario ; S. Gallo II episcopo et S. Genesio archidiacono, pueritiam exegerit Iciodori* (8) ; *anno circiter* 648 *præfectus erit parœciæ Iciodorensi ab eodem S. Genesio* (9) ; *anno vero* 653 *ab eodem ordinatus erit diaconus* (10) ; *atque anno demum* 658 *presbyter ordinatus fuerit (ut modo videbimus) a* S. Felice, *non ita pridem episcopatum adepto. Atque hæc omnia paucis quidem annis a veritate discedere possent ; pluribus, non crediderim.*

et qui nequaquam senex erat, quum martyr occubuit, ut nuper assertum est.

17 *Re quidem vera hinc fit ut S. Præjectus anno circiter ætatis* 46 *obierit et proin senex non fuerit, quum Childericum II Augustodunum anno* 673 *adiit ; secus quidem habet eruditus Ordinis S. Benedicti monachus J. B. Pitra, senectutem S. Præjecti concludens* (11) *ex ejus* de operis sui labore (12) *querelis ; verum etiamsi supponas de labore itineris hic agi, non multum hinc forte juvaberis : contra quis dixerit senem* arrepturum fuisse iter per vastum eremum Vosagi, per laboriosissimum callem, per juga montium et convallium (13), *præsertim quum alios suo nomine et loco mittere posset ? Nonne etiam de tali itinere recte conquestus esset vir junior ? Sed hæc minora sunt. S. Præjectum a* S. Felice *ordinatum fuisse sacerdotem nemo negarit, diaconum a S. Genesio aperte narrat biographus. Porro quum S. Præjectus, indole, moribus et ingenio præstans, a pueritia clero adscriptus fuerit atque etiam adolescens parochiali Iciodori cura onustus fuerit, certe censendum est eum, quam primum liceret per canones, sacros ordines suscepisse : jam vero ferebat canon* 1 *Concilii Arelatensis anni* 524 (14) *:* Nullus episcoporum diaconum antequam XXV annos impleat, ordinare præsumat. Episcopatus vero vel presbyterii honorem nullus laïcus ante præmissam conversionem vel ante annos XXX ætatis accipiat. *Hæc si applicentur S.* E *Præjecto, nemo non videt actum esse de S. Præjecti senectute. Cæterum venia mihi sit animadvertere minus diligenter versatum videri S. Leodegarii recentiorem biographum in excutienda S. Præjecti Vita ; sin minus, quomodo tentasset elevare auctoritatem prioris S. Præjecti biographi, acrius S. Leodegarium perstringentis, quod scripsisset* ante *S. Leodegarii martyrium, et quum* recens *esset dolor de S. Præjecti morte* (15)? *Nam ille idem biographus narrat S. Leodegarii mortem* (16), *et passim indicat se aliquot annis post S. Præjecti mortem scribere.*

S. Felix presbyterum ordinavit S. Præjectum eumque præfecit monasterio.

18 *Utcumque statuto* S. Felicis *episcopatus tempore, ad ejus gesta deveniendum est. Verum si excipias traditum S. Præjecto regimen Candidinensis monasterii, nil aliud occurrit. Verum et hic difficultas una non est; quæritur itaque : primo quid esset istud regimen ; secundo an presbytero tradiderit ; tertio quod esset illud monasterium. Quod ad primum quæsitum attinet, fuse hac de re tractatum est in Commentario prævio de S. Magnobodo, cui item Colonetense monasterium regendum traditum fuit : quocirca illuc* (17) *lectorem, ne rem actam agam, remit-* F *to. Ad secundam autem quæstionem respondendum videtur S. Præjectum ordinatum fuisse presbyterum a* S. Felice *ut huic præficeretur cœnobio. Imprimis certum est S. Præjectum fuisse presbyterum, priusquam sacraretur episcopus; sæpius enim diaconos sacratos fuisse episcopos, quin prius ordinarentur presbyteri, aliquot doctorum virorum firma sententia est ; verum id in S. Præjecto non habuisse locum liquet ex ejus electionis historia, in qua leguntur* cives in electionem Præjecti verba deprompsisse, qui illis diebus OFFICIUM SACERDOTALIS ORDINIS in præfata urbe gerebat (18) ; *adeoque, quum S. Præjectus diaconus tantum ordinatus fuerit a S. Genesio, recta est Cointii* (19) *sententia* S. Fe-

(1) Savaron, Origines de Clairmont, pag. 56.
(2) Gebhardus, Reges Francorum Merovinginci, pag. 147 et seqq.
(3) Ibid. pag 145 et seqq.
(4) Act. SS. Tom. I Junii, pag. 323.
(5) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. 2, pag. 650.
(6) Ibid. pag. 648.
(7) Ibid. pag. 642.
(8) Ibid. pag. 646.
(9) Ibid. pag. 647.
(10) Ibid loc. cit.
(11) Hist. de S. Léger, pag. 260.
(12) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. 2, pag. 644.
(13) Ibid. pag. 642.
(14) Labbe, tom. 4, col. 1622.
(15) Hist. de S. Léger, pag. 289.
(16) Act. SS. Ord S. Bened. sæc 2, pag. 644.
(17) Act. SS. Tom. VII Oct., pag. 932 et seqq.
(18) Act. SS. Ord. S. Bened. sæc. 2, pag. 641.
(19) Annal. eccl. Franc. ad annum 662, num. 4, tom. III, pag. 525.

lici

A lici contigisse honorem manus imponendi sancto Martyri Præjecto eumque presbyterum creandi. Id autem factum esse initio pontificatus S. Felicis apparet omnino, quia regimen Candidinensis monasterii tunc temporis ei creditum presbyteratus ordinem requirebat (1) : quin etiam posterior biographus, qui accurate omnia minora S. Præjecti munera explicat, nullam vero apertam de ejus presbyteratu mentionem injicit, implicite narrat S. Felicem fuisse S. Præjecti ordinatorem, quum hunc ab illo monasterio præfectum statuit.

quod non erat puellare, nec Cantobennense,

19 Quæritur demum tertio quodnam esset istud monasterium. Savaronus (2) et post eum Mabillonius, Cointius, auctores Galliæ Christianæ suspicati sunt Candidinense asceterium idem esse ac Cantobennensem parthenonem (Chantoin). Verum id stare non posse videtur : nam prior biographus S. Præjecti, postquam sermonem instituisset de duobus sub hoc præsule fundatis puellaribus monasteriis, continenter hæc totidem subjicit verba (3) : Ante illud etenim tempus puellarum in his locis cœnobium vix B reperiebatur. Posterior vero biographus (4) : Construxit etiam vir Dei aliud cœnobium virginum in territorio Arvernorum ; nam ante illud tempus, in eadem provincia nulla fuerant virginum monasteria instituta. Jam vero, si S. Felix concredidisset S. Præjecto regimen cœnobii puellaris, quomodo hæc illi scribere potuissent, maxime posterior biographus, qui paucis versibus ante ita locutus fuerat de monasterio quod S. Præjectus presbyter rexerat, ut nemo non videat illud satis insigne fuisse ?

cujus antiquiora illustrantur facta.

20 Videtur autem eo inductus fuisse Savaronus, ut crederet parthenonem S. Præjecto fuisse creditum a S. Felice, quod monachi sacerdote extraneo non indigerent. Ast infirmum omnino est istud argumentum, quoniam tunc temporis sæpius destituebantur monachi presbyteris e suo gremio desumptis ; adeo ut necesse omnino esset ut aliquis eis assignaretur presbyter sæcularis, qui spiritualem et sæpius etiam temporalem de eis curam gereret ; quam disciplinam erudite explanatam reperiet lector in Commentario prævio ad Vitam S. Magnobodi (5). Aliud argumentum videntur repetere ex Vita S. Genesii, qui Can- C tobenni exstruxisset puellarum monasterium (6) ; verum hæc eadem Vita est, quam edidit Henschenius et in qua (ut vidimus) inter alias fabulas legimus S. Genesium ante fugam quinque et post fugam quadraginta annos in Arvernensi sedisse cathedra.

D Insuper alia omnino de hoc cœnobio novimus ex S. Gregorio Turonensi : tempore S. Urbici, secundi Claromontani episcopi, seu ineunte sæculo IV exstabat jam Cantobenni crypta, in qua sepeliebantur etiam summi viri (7) ; de Eparchio vero, decimo Claromontano episcopo, qui post medium sæculum V sedit, scribit idem S. Gregorius Turonensis (8) : Ferunt etiam ipsum in arce Cantobennici montis monasterium collocasse, UBI NUNC ORATORIUM EST ; adeoque sæculo VI exeunte, quo scribebat S. Gregorius, destructum jam erat istud monasterium, quod cæterum virorum fuisse videtur, quoniam illuc per Quadragesimam se reciperet Eparchius (9). Medio sæculo X exstabat ibidem asceterium puellarum, cum ecclesia S. Petri et ejusdem altari, nec non altari S. Præjecti (10) ; ast eodem hoc sæculo X exeunte reperimus Robertum abbatem Cantinobensem (11) ; sub cujus regimine monasterium istud in misero statu fuerit oportet, quum secus Robertus pedum suum Iciodorensi non commutasset (12) ; et quidem sæculo XII ita jacebat, ut hoc sæculo exeunte ab Alfredo quasi de novo fundatum dicatur (13) ; ex E quo tempore penes viros mansit (14). Atque hæc paulo latius diducere placuit, tum ut omissa quædam a Gallia Christiana suppleremus, tum ut appareret sæculo VII Cantobenni non fuisse puellare monasterium, atque etiam nullum virorum. Ast si Candidinense idem non sit ac Cantobennense monasterium, quod demum erit? Ejus notitiam omnem intercidisse, hæc una erit nostra responsio ; quod nemo mirabitur, quum in plerisque diœcesibus talia sint loca, adeoque in catalogo ecclesiarum et monasteriorum Claromontensium sæculi X plures sint ecclesiæ, quarum hodie ignoratur situs.

S. Felix habebat Giroaldum archidiaconum immediatum suum in sede Claromontana successorem.

21 Volunt etiam quidam S. Felicem usum fuisse S. Præjecto archidiacono, ut jam eo usus fuerat S. Genesius. Sed hæc futilis est conjectura ; nam biographus S. Præjecti probe distinguit inter diaconum et archidiaconum S. Genesium et Giroaldum vocans archidiaconos, diaconum vero S. Præjectum ; adeoque aperte Giroaldus brevi post episcopus dicitur S. Felicis archidiaconus (15) ; qui plures habuisse censendus non est. Atque his absolvimus de S. F Felice Commentarium historico-criticum, satis habentes viam stravisse ad restaurandum S. Felicis cultum. Faxit Deus, ut qui Claromontii auctoritatem habent, ea in hujus Sancti promovenda veneratione uti aliquando dignentur !

(1) Cfr Act. SS. Tom VII Oct., pag 932 et seqq
(2) Origines p 56
(3) Act SS. Ord S Bened. sæc 2, pag 641.
(4) Ibid pag. 648.
(5) Act. SS Tom VII Oct , pag 633 et 634
(6) Cfr Savaron, Origines, etc , pag. 358, et post eum Cointius, Mabillonius, Gallia Christiana, Gonod, etc.
(7) S. Greg Turon. Hist Franc , lib. I, cap. XXXIX ; ap. Dom. Bouquet, tom. II, pag. 151.
(8) Ibid lib. I, cap XLI, pag 172
(9) Ibid. loc. cit.
(10) De sanctis eccles. et monast. Claromontii, ap. Savaronum, p 358.
(11) Translatio S. Austremonii ap Labbe, Bibl. nova Mss. T II, p. 506
(12) Ibid. loc. cit.
(13) Cfr Gall. Christ. Nov., tom II, pag. 394.
(14) Ibid. loc. cit.
(15) Act. SS. Ord S. Bened sæc. 2, pag 648.

NOTA

NOTA 2 ad pag. 4, littera F.

DE GISLEBERTO, ABBATE

SYLVÆ NIGRÆ.

Quæ hic de Gisleberto, *Nigræ Silvæ abbate, disseruntur, confirmari possunt ex historia Nigræ Silvæ, quæ anno* 1783 *typis Sanblasianis prodiit opera et studio Martini Gerberti. Nuspiam enim ibidem cum Sancti seu Beati titulo effertur. Verumtamen, teste eodem Gerberto anonymus auctor libri constructionem Sanblasianarum refert ineunte sæculo* XII *ex veteri ecclesia in novam translatum fuisse ab Utone abbate Gisleberti corpus una cum corporibus Werneri item abbatis Sanblasiani et S. Reginberti; Beringeri autem similiter abbatis relictum fuisse in monasterio seu ecclesia veteri ab Utone,* quia revelatum sibi fuit, quod non deberet transferri, sed in loco suæ habitationis, nec non ædificationis sineret permanere. *Negare nolim his initium alicujus cultus designari, maxime ex consociatione cum reliquiis sancti Reginberti; attamen hæc limites piæ venerationis excedere non videntur, maxime quum nulla in Martyrologiis aut calendariis horum abbatum mentio fiat. Cæterum diem et annum mortis accuratius determinare placet: scripsit scilicet de eo Bertholdus Constantiensis in chronico ad annum* 1087 : Reverendissimus abbas de cella S. Blasii, nomine Gisilbertus migravit ad Dominum VI idus Octobris, cui venerabilis Uto ejusdem monasterii prior in abbatiam successit. Gislebertus *autem abbatiale pedum tenuit ab exeunte anno* 1068, *postquam ejus decessor die* 28 *septembris obiisset. Anno* 1069, *consentiente Romoldo Constantiensi episcopo, consecrandum curavit per Beringerum Basileensem sacellum S. Michaelis a decessore exstructum. Ipse vero* Gislebertus *cœnobii familiæ construxit ecclesiam S. Stephani et capellam infirmorum, innumerosque nobiles doctosque ad monachicam vestem admisit pieque rexit; de quibus legendus historiæ Silvæ Nigræ liber* VI.

NOTA 3 ad pag. 5, littera E.

DE B. MICHAELE EREMITA

CAMALDULI IN ETRURIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, ætas, biographi, vita sancta, institutio Coronæ Dominicæ; gesta cum Quirino et Justiniano sociis.

ANNO MDXII.

B. Michaelis, *qui Camalduli et alibi colitur,*

Decessores nostri occasione festivitatis Coronæ Dominicæ denuo inter Prætermissos ad hanc diem sermonem instituerunt de B. Michaële, *Camaldulensi eremita, cujus nomen in Sanctorum Fastis a Dorgaino, Wione, Menardo et Ferrario, ut loquuntur, signatur; affirmantque se nondum alicunde discere potuisse an alicubi publico legitimoque cultu gaudeat, ac proin eum intactum iterum prætereunt. Verum id nequaquam commisissent, si jam ad eos pervenisset tomus* VIII *Annalium Camaldulensium, anno* 1764 *impressus, atque ibidem sequentia legissent* (1): Ipsius, nempe *Michaëlis,* sacrum corpus quod una cum B. Peregrini aliisque Servorum Dei Reliquiis post aram maximam eremi servabatur, incendio templi, quod anno 1693 accidit, bonam in partem consumptum, propè altare capituli in cornu Evangelii cum cæteris semiustis ossibus promiscue fuit humatum eodem anno. De ipso agunt Bollandiani Socii tomo II Januarii inter Prætermissos, et tomo IV Augusti ad diem XXI ejus mensis similiter inter omissos; sed promisit Daniel Papebrochius in epistola ad Grandium Vitam Michaëlis se daturum in Appendice Januarii, quem publicis aris expositum Romæ in S. Gregorii, Faventiæ in S. Hippolyto, Senis in ecclesia Rosæ, Pisauri in ecclesia Angelorum, Pisis aliisque in locis Romana ecclesia permittit; facta etiam non ante multos annos coram promotore fidei super ejus cultu controversia, nihil innovandum esse censuit. *Præterea ad diem* 3 *Junii, ubi de B. Peregrino Camaldulensi eremita sermo est, iterum repetit Papebrochius* (2) B. Michaelis *Vitam dandam esse,* quum privilegio casus, ab Urbania-

(1) Mittarelli et Costadoni, Annal. Camald. l. LXXI, n. 35, t. VIII, p. 33.

(2) Act. SS. Tom I Junii, pag. 372.

nis

A nis decretis excepti, frui debere videatur; qui plus quam centum annis ante eorum editionem exspiravit, et credi potest statim a morte in veneratione aliqua habitus fuisse. *Porro quum hic sat aptæ sit occasio fidem faciendi Papebrochii promissis et illustrandi gesta* B. Michaelis, *cujus cultus ecclesiasticus extra controversiam fuit positus, de eo jam sermonem faciemus.*

Vitam minus accurate scripsit Fortunius aliique.

2 *Primus ejus Vitam scripsit Augustinus Fortunius, Camaldulensis monachus, Fortunii nomen, quod a parentibus expositus fuerat, adeptus. Præter alia nonnulla edidit* Historias Camaldulenses, *quarum pars prior seu libri tres anno* 1575 *Florentiæ prodierunt: pars vero posterior Venetiis anno* 1579; *unde fit Vitam* B. Michaelis, *quæ libro* III *partis* I *a capite* XIV *ad* XVII *inserta est*, 47 *annis post mortem* B. Michaelis *fuisse editam. Adde Fortunium anno tantum* 1558 *monasticam Vitam induisse in monasterio S. Mariæ Angelorum Florentino, seu* 36 *annis post* B. Michaelis *obitum; quocum proinde nullum omnino commercium habere potuit. Insuper*
B *bis terque tantum Florentia Camaldulum venit, omnia pro historia sua monumenta evoluturus cæteraque ex ore eremitarum docendus* (1). *Beati itaque Viri gesta ex ore plerumque senis eremitæ et* B. Michaeli *familiarissimi, Samuelis nomine, enarrat. Hic autem* B. Michaeli *a ministerio erat, et absque ulla tergiversatione vir pientissimus fuisse dicendus est. Andreas Mugnotius Conchensis in descriptione eremi Camaldulensis* (2) *ad S. Pium V eum vocat* magnum divæ eremi luminare (3), *Joannes Baptista Generalis in suo Itinerario appellat* pulcherrimum florem et eremitarum margaritam (4). *Patria erat Foroliviensis, ex genere de Valeriis, et anno* 1568 *annis gravis in majorem eremi Camaldulensis electus fuit* (5). *Quæ sane sufficiunt ad egregiam fidem optimi Samuelis commendandam. Verum idem de ejus memoriæ fidelitate encomium instituere non licet, quum multa quæ ex ejus narratu excepit Fortunius cum certis simis pugnent monumentis. Et mirarer sane ipsum Fortunium id non animadvertisse, si fides adjungenda esset laudibus quibus eum onerant Camaldulenses annalistæ* (6); *merita certe*
C *Fortunii negare olim, sed vel unica* B. Michaelis *biographia suadet recte a Guidone de Grandis, eruditissimo Camadulensi monacho, in eo desideratam fuisse* parem eloquentiæ diligentiam ac soliditatem (7). *Unde qualis noster futurus sit in hac discutienda Vita labor nemo non videt: vera scilicet a falsis aut dubiis continuo discernenda erunt; eoque magis necesse est quod id a nemine hucusque præstitum noverimus. Nactus vero est et alios complures biographos* B. Michael. *Silvanus Razzi, seu Ractius, abbas Camaldulensis, anno* 1604 *Florentiæ edidit Vitam sub titulo:* Vita del beato Michaele romito Camaldolese (8); *aliam anno* 1720 *seu* 1722 *Romæ edidit abbas Augustinus Flori, seu de Floribus, cum inscriptione:* Vita del B. Michael eremita Camaldolese con l'origine, approvazione pontificia, ed indulgenze della Sacra Corona del Signore da lui istituita (9); *tertiam anno* 1743 *Viennæ in Austria typis subjecit Anonymus, præmissam libello:* Origo Rosarii J. C. D. N. cum indulgentiis a summis pontificibus concessis et specialiter a Clemente X (10). *Nullam ex his præ* D *manibus habeo, nec vehementer desidero, quum ex Diario Camaldulensi, quod Basilius Duvergius* (11), *seu Duverchius* (12), *anno* 1751 *Viennæ edidit et cui ex scriptione Augustini de Floribus Vitam* B. Michaelis *illevit* (13), *intelligam turbidum Fortunii rivum per omnes currere. Sunt et complures aliæ collectiones Vitarum Sanctorum Camaldulensium, quibus insertum sit* B. Michaelis *encomium; nam tanta apud suos videtur frui celebritate, ut Petrus Leopoldus Viennensis, de illustribus Camalduli eremi viris agens, de uno* B. Michaele *paulo fusius agat* (14). *Sed in has Vitarum collectiones inquirere hujus loci non est.*

Beatus vir, Florentiæ e Senis

3 *Ortum Florentiæ, patre Ventura,* B. Michaelem *aperte tradit Fortunius; et* Pini *vel* de Pino *a* E *posterioribus annalistis et biographis constanter tribuitur gentilitium nomen. Basilius Duverchius* (15) *vocat eum germanice* von Tonnen; *sed dicendum erat* von Tannen, *quoniam* Tanne *Germanis est* Pinus. *Familia de Pino occurrit mihi rarius Florentiæ, sæpius vero Senis; adeoque in Diariis Senensibus ad* 1 *Martii anni* 1479 *legitur uxor Venturæ Pini* (la donna di Ventura Pini) *interfuisse baptismo filii Naddi Colombini* (16). *Huic sane rei non multum pondus adderem, nec propterea in dubium vocarem utrum Florentiæ an Senis natus sit* B. Michael, *si Fortunius aliquantum accurate in ejus vitam inquisivisset; sed quum omnis omnino in eo desideretur accuratio, debilissima argumenta suo non carent robore; adeoque nil mirarer si pro patria* B. Michaeli *Florentia tributa fuerit, quod in aulam Laurentii Medicei admissus fuerit, licet reapse Senis oriundus esset. Deinde quod ad nomen attinet, ambigi potest datumne sit beato viro* Michaelis *nomen in baptismate, an in assumptione vestis eremiticæ, quoniam solebant tunc temporis Camaldulenses* F *nomen cum veste sæculari ponere et aliud assumere novum; et nil prohibet quin arbitremur* B. Michaelem *idem fecisse, eumque post desertum sæculum Sancti Archangeli induisse nomen; quod quam celebre apud Camaldulenses fuerit vel ex ingenti monasteriorum numero manifestum est, quæ B. Michaelem Archangelum patronum habent.*

anno 1445 natus, non potuit Laurentii Medicei pincerna esse ante annum 1468,

4 *A pubertatis annis in aula Laurentii de Medicis, cognomine Magnifici, degisse ibique egisse pincernam asserit Fortunius. Ast error ille manifestus fit ex ætate* B. Michaelis *et Laurentii Medicei. Quum enim Paulus Justinianus (sitne Beatus an venerabilis dicendus non attingimus) anno* 1510 B. Michaelem

(1) Act. SS. Tom. I Junii, p. 317 et seqq.
(2) Exstat apud Grævium, Antiq. Ital. Tom. VIII, part 3. et Annal. Camaldul. Tom. I, col. 314.
(3) Annal. Camald. lib. LXXIII, num. 17, tom. VIII, p. 130.
(4) Ibid. loc. cit.
(5) Ibid. lib. LXXIV, num. 21, pag. 190 et 191.
(6) Dissertat. Camald. diss. 3, cap. III, num. 1, pag. 81
(7) Ziegelbaur, Centifolium Camaldulense, pag. 13.
(8) Annal. Camald. lib. LXXIV, num. 63, tom. VIII, pag. 231.
(9) Ibid. lib. LXXX, num. 18, pag. 657. Centifolium, p. 11.
(10) Annal. Camald. lib. VIII, num. 31, p. 669.
(11) Ita ejus nomen effertur in Annalibus Camaldulensibus.
(12) Ita Petrus Leopoldus Viennensis in Notizie storiche spettanti al sacro eremo di Camaldoli, pag. 146, Florentiæ, 1795.
(13) Diarium, oder Camaldulensisches Tagbuch, part. 1. p. 64 et seqq.
(14) Notizie storiche, etc., p. 146, et seqq.
(15) Diarium, p. 65.
(16) Diarj. sanesi di Allegretto Allegretti, ap. Muratori, Rer. Italic. Script. Tom. XXIII, col. 798.

A Michaelem *invisit, æstimavit ex facie eum annos circiter* 60 *natum ; quo referretur ejus ortus ad annum circiter* 1450. *Sed hic stare non licet ; omnino quippe tenendum est* B. Michaelem *anno* 1445 *natum fuisse. Omni quippe exceptione majus est testimonium Christophori Marcelli archiepiscopi Corcyrensis, qui non ex visu judicavit, sed omnia exploravit accurate, quum autumno anni* 1521 *Camaldulum lustravit, et qui disertis verbis affirmat* B. Michaelem *tunc temporis* septuaginta et sex annis natum *fuisse. Verba Justiniani et Marcelli inferius dabimus. Ex altera vero parte Laurentius Magnificus natus est anno* 1448, *anno* 1468 *matrimonium iniit, annoque sequenti, amisso patre, rebus Florentinis potitus est. Ante hoc itaque tempus in aula Laurentii versari non potuit* B. Michael ; *verum annos tunc natus erat viginti quatuor, seu decennio pubertatem superabat et ætatem attingebat virilem. Operæ pretium etiam videtur monuisse Augustinum de Floribus et secundum eum Basilium Duverchium hic corrigendos esse, qui* B. Michae-
B lem *anno circiter* 1454 *natum et anno ætatis* 68 *mortuum statuunt ; et similiter Dominicum Mariam Mannum in Inventis Florentinis, qui ejus ortum ad annum circiter* 1540 *refert.*

nec occasione qua dicitur, sed anno 1501 Camaldulensis eremita factus est.

5 *Derelinquendi item nobis sunt Fortunius et quotquot eum secuti sunt in enarrando qua occasione Camaldulum petierit* B. Michael. *Narrat scilicet Fortunius :* Accidit inter hæc Laurentium ad sacram eremum adequitare. Illic ergo Michael decore domus Dei captus et quadam cœlesti vi eremitam agere instinctus, Romam prius proficisci voluit ad Sanctorum Apostolorum limina ; inde concito gressu in sacrum montem reversus exutus est mundi sordibus, et sacræ militiæ adscriptus. *Imprimis scilicet nullum omnino vestigium superest quod Laurentius umquam Camaldulum venerit. Mittarelli quidem et Costadoni narrant plurima Laurentii in Camaldulenses benefacta ; narrant item non secus ac Petrus Leopoldus Viennensis plures insignes viros sacrum conscendisse montem ; sed nulla mentio fit de Laurentii Magnifici Camaldulensi itinere, postquam republica Florentina poti-*
C *tus esset. Præterea certus lapsus chronologicus hic admittitur : die enim* 8 *Aprilis anni* 1493 *mortuus est Laurentius, et* B. Michael *sibi Camalduli sedem non elegit ante annum* 1501. *Etenim quum Paulus Justinianus mense Julio anni* 1510 B. Michaelem *convenit, novem tantum annis illuc advenerat ; quorum quinque in cella reclusus et quatuor circiter non reclusus ibidem vixerat. Quæ sane didicit Justinianus a Petro Delphino, priore generali, suo comite ; adeoque conveniunt ejus asserta cum professionis tempore, quam, testibus Mittarelli et Costadoni* (1), *die* 24 *Martii anni* 1502 *in præsentia Joannis Baptistæ Lucensis majoris emiserat : quod ipsi ex libro professionum dubio procul exscripserunt. In Brevi Leonis papæ* X, *mense Februario anni* 1516 *dato, dicitur* B. Michael jam quindecim annis intra unius cellæ angustias reclusus ; *unde ejus reclusio ad annum* 1501 *referretur ; sed errorem hic intercessisse seu reclusionem ab ejus apud Camaldulenses commoratione distinctam non fuisse, nemo non fatebitur, quin diutius his hæreamus. Ex dictis itaque constat* B. Michaelem *circa annum* 1501 *cum Laurentio Magnifico venire non potuisse, quum hic octo saltem annis ante vita jam functus esset. Origo vero Fortunii lapsus ponenda forte est in celebrioribus quæstionibus Camaldulensibus, quas anno circiter* 1460 *(ut habet Bandinius* (2)) *seu hoc ipso anno* 1460 *(ut ex Chronico Baroncinii accuratius determinat Mittarelli* (3)) *Camalduli cum suis magistris aliisque habuerunt juvenes Laurentius et Julianus Medicei, quosque anno* 1464 *Landinus Florentiæ edidit* (4). *Verum tunc temporis nil commune habebat* B. Michael *cum Laurentio Medicco.* D

Anno 1510 Justinianus

6 *In cella inclusus quam piam duceret* B. Michael *vitam narrat Justinianus in epistola, quam quum ipse de eremo incolenda cogitaret ad Quirinum et Baptistam Egnazio dicto mense Julio anni* 1510 *scripsit. His itaque verbis exorditur apographum quod ex codice Rhuensi desumpsere Mittarelli et Costadoni* (5) : Inclusus ille erat olim presbyter sæcularis ; jam abhinc annos quinque inclusus E
fuit, et quatuor circiter degit in eremo annos, priusquam includeretur : adeo ut hic jam multum temporis sit. Die, qua huc veni, cum Reverendissimo Patre Generali eum visitavi. Meo judicio annos circiter sexaginta natus est ; barbam habet candidam et longam, et videtur alter S. Hieronymus. Pallidus nonnihil est, non tamen nimis macer ; mansuetæ est naturæ et sancta humilitate plenus apparet. Cum eo sermocinatus non sum, sed hodie (ni fallor) cum eo sermocinabor. Ex verbis aliquot, quæ locutus est, quum eum cum P. Generali visitavi, mihi visus est prudentia præstare et valde spiritualis esse. Quum Generalis ei diceret me eum esse de quo cum ipso locutus erat, respondit me bene facturum, si sequens dicta Sanctissimi Domini Nostri, omnia relinquerem et sequerer hunc Dominum, qui se sequentibus æternam promittit felicitatem, eumque non esse fallacem ut mundus fallax est, deceptor et mendax, et omnes res mundanæ et antiquus noster inimicus. Hæc fere fuerunt ejus verba quæ in aditu dixit et in exitu, quum me amplexus est. F
Mihi vero roganti ut oraret pro me respondit : Et tu, fili mi, ora ut Deus exaudiat preces, quas pro te fudi et adhuc fundam pro te, et ora pro salute mea. Ejus cella est omnium maxime remota, nec tamen plures quam quinquaginta passus distat ab illa, in qua ipse sum, et quæ loco sacelli habet (ut vocari potest) ædem sacram valde magnam, cum pulchro altari, et ibi supra humum est sepultura, in qua jacent ossa unius eremitæ hic inclusi, qui fama sanctitatis fruitur, *scilicet B. Leonardi. Huc usque Ven. Justinianus ; ex cujus dictis manifeste colligitur, quæ de* B. Michaele *apud suos et exteros esset opinio.*

et anno 1521 Christophorus Marcellus eum visitant et deprædicant ;

7 *Autumno anni* 1521 , *paucis mensibus ante mortem visitatus fuit* B. Michael *ab alio præclaro viro Christophoro Marcello, archiepiscopo Corcyrensi. Conscripsit hic accuratam sui itineris narrationem ex qua excerpenda videntur sequentia* (6) : Vi-

(1) Annal. Camald., lib. LXXI, num. 35, tom. VIII, p. 29.
(2) Specimen litteraturæ Florentinæ sæc XV, tom. II, pag. 2.
(3) Annal. Camald., lib LXV num. 28, t. VII, p. 265.
(4) Ibid. loc. cit.
(5) Annal. Camald. tom 9, col. 451.
(6) Marcelli epist. de Eremo Camaldulensi, inserta Append tom. I Annal. Camald., col. 307 et seqq.

tas

A tas Sanctorum patrum percurrunt *eremitæ*, ante oculos versant instituta legis antiquæ, recentiora documenta revolvunt, perlegunt, imbibunt, et qui lectionis interdum gravitatem fastidiunt, ex abiegnis nodis globulos diametro perforatos torno conficiunt; quibus funiculo transfixis annexisque, Dominicæ, dum dicunt, aut Beatæ Virginis orationes enumerantur. Ex his duo sunt ita suis reclusi domunculis, ut exire sit nefas : cum altero et seniore sermonem habui, qui septuaginta et sex annis natus, ore pallido, complicataque barba, omni ex parte exuberante canitie, homo alioqui illiteratus, tanta mihi gravitate, pietate, dicendi serie locutus est, ut illum sane non admirari nequiverim. Suadebat enixe pastoralis officii curam, ad quotidiana sacrificia me invitabat, quod ipse singulis quibusque diebus sacra persolveret, inde sibi tam vehementem animi dulcedinem attestatus, et suavitatem inditam persentire, ut magna eo die felicitate privatus videretur, quem sine sacrificio transmisisset. Vere senis illius B monita, suaque consilia usque adeo cordis mei intima perstrinxerunt, ut quamvis esset in mei excusationem quid dicerem, et divi Augustini de quotidiana celebratione neque laudanda, neque vituperanda sententia, obmutescerem tamen, nihilque illi præter gratiarum actiones et humiliter satis exprimerem. Is certe locus, hæc habitatio est, qua nulla umquam fuit, quæ magis homines ad vitæ renovationem et profectum vel invitos alliceret. *De nullo alio speciale encomium instituit Marcellus. Quod ad Coronam Domini attinet, de ea jam faciendus videtur sermo.*

instituit Coronam Domini

8 *Per hanc scilicet Coronæ institutionem, quam Hispani etiam* Camaldulum (1), *Itali* Capellina (2) *vocant, quam maxime celeber factus est* B. Michael. *Andreas Mugnotius in descriptione eremi Camaldulensis, quam anno* 1570 *Romæ edidit et S. Pio V dicavit, accurate hanc descripsit pietatem. Meminit imprimis eremitarum laboris qui hos abiegnos globulos perficiunt, atque* (3) his globulis constitui Coronas (quas appellant) pulcherrimas in Domini nostri Jesu Christi matrisque suæ sanctissimæ C honorem, quæ maximo apud magnates ceterosque omnes in pretio habentur ac devoto pioque desiderio oblatæ accipiuntur; eo etiam magis, quod Corona Dominica ab uno ex senioribus sanctissimæ vitæ eremitis, Michaele nomine, quondam excogitata ad commemorationem annorum vitæ Domini triginta tres Orationes Dominicas, et pro commemoratione quinque vulnerum ejus quinque salutationes angelicas ex mente resolvendas continent. *Perfecta aut mutata fuit dein hæc pietas, et singulis globulis Dominicis recolendum assignatum aliquod mysterium aut virtus Christi Domini, globulis autem Marianis non Christi vulnera, sed aliquod ex vita B. M. V. factum* (4). *Verum id semper perstitit ut triginta tres Orationes Dominicæ recitarentur et quinque Angelicæ Salutationes. Quod probe animadvertendum est, quoniam eodem tempore invalescebat extra Italiam seu in partibus citramontanis alia Corona Dominica, ut habemus ex Brevi* D *Leonis Papæ X die* XIV *Septembris anni* 1517 *dato ad Gabrielem Mariam generalem totius Ordinis Minorum regularis observantiæ in Ultramontanis partibus commissarium. Constabat autem hæc ex triginta tribus* Pater Noster *et totidem* Ave Maria *in honorem* 33 *annorum, quos Christus vixisse credebatur* (5).

ante annum 1507,

9 *Jam ab anno* 1506 *illius generis Coronas ad pietatem erga Christum Dominum ejusque passionem fovendam passim distribuit* B. Michael; *et ex iis* unam, *inquiunt Camaldulenses Annalistæ* per Petrum Bembum dono dedit Eleonoræ Elisabethæ Gonzagæ ducissæ Urbini, ut liquet ex epistola ejusdem Bembi ex Urbino data die XVI Maji anni 1507. *Atque ex his et ex aliis quæ inferius occurrent documentis apparet a vero aberrasse cl. vir Binterim* (6), *quum B. Peregrinum, sæculo* XIII *Camalduli eremitam, auctorem fecerit Coronæ Dominicæ. Cæterum apertus est ejus erroris fons; nam quæ ex Mugnotio apud Papebrochium ad* 3 *Junii de* B. Michaele *legerat, de B. Peregrino intellexit.* E *Quum vero ineunte anno* 1516 *Leo X post colloquia Bononiensia cum Francisco I Galliarum rege iterum Florentiæ versaretur, eam occasionem arripuit* B. Michael *ut Coronam Dominicam ad summum pontificem destinaret et approbationem obtineret ab eo ipso, quocum puero tam diu in paterna domo degerat. Admisit supplicationem Leo Papa, ornavitque hanc in Dominum Christum ejusque passionem pietatem indulgentiis valde insignibus, si spectentur tempora quibus non ita effusa erat spiritalis pontificum largitas.*

quam Leo X

10 *Operæ pretium est recitare ipsum Breve* (7) : Leo, etc. Nuper nobis fide digna relatione innotuit, quod cuidam seniori eremitæ intra unius cellæ angustias jam quindecim annis in sacra Camaldulensi eremo in magna vitæ austeritate recluso commoranti, Domino (ut credere pium est) inspirante, a quo omnis recta procedit cogitatio, in mentem venit, quod in honorem Salvatoris et Domini nostri Jesu-Christi, fideliumque devotionem cedere posset, si quemadmodum ex antiquissima valdeque communi institutione Christi F fidelium in honorem beatissimæ Virginis secundum numerum annorum, quos vixisse in hoc mundo creditur, sexaginta tres Angelicas Salutationes, septem interpositis Dominicis Orationibus, devote dicere solent, quod orationis genus Coronam Virginis appellant; ita in honorem D. N. J. C. pro commemoratione annorum, quibus ipse in terris versatus est, ex triginta tribus Dominicis Orationibus, quinque interpositis Angelicis Salutationibus, quas Dominicam Coronam dicere assuescant; supplicarique nobis humiliter fecit, ut ad excitandam fidelium devotionem aliquam indulgentiarum gratiam eam Coronam dicentibus concedere apostolica benignitate dignaremur. Nos vero, quibus incumbit et honorem D. N. J. C., quantum ipso auxiliante possumus augere, et unioni Christi fidelium devotionis inci-

(1) De Heredia, Vidas de Santos, bienaventurados y personas venerables de la sagrada religion de N. S. P. Benito, tom. I, ad 21 Jan. p. 403.

(2) Binterim, Denkwurdigkeiten der Katholischen Kirche, tom. VII, part. 1, p. 105.

(3) Ap. Bermannum, Antiquit. Ital., tom VIII, part. 3, col. 12, et Annal. Camald., tom. 1. App. col. 323.

(4) Diarium Camald., pag. 63 et seqq.

(5) Wadingus, Annal. Minor. ad annum 1517, num. 38, tom. XVI, p. 62, et Raynaldus, Annal. eccl. ad ann. 1517, n. 115, t. XII, p. 195.

(6) Denkwurdigkeiten der Katolischen Kirche, t. VII, part. I, p. 105.

(7) Annal. Camald. lib. LXXI, num. 16, tom. VIII, p. 4

A tamenta præbere, hujusmodi supplicationibus inclinati, prædictum orandi modum ab illo seniori Recluso eremita excogitatum approbamus, confirmamusque, et Coronam Domini vocari volumus. Quod orationis genus, ut a Christi fidelibus devotius suscipiatur, frequentiusque excolatur, universis et singulis utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis, ac professionis, qui eamdem Dominicam Coronam dixerint, per singulas vices decem annorum indulgentiam ; his vero, qui justo amoto impedimento, per continuum anni circulum eamdem Dominicam Coronam semel in die dixerint, ultra prædictam summam mille annorum indulgentiam de nostræ plenitudine potestatis auctoritate apostolica concedimus et elargimur. His vero, qui ad extremum usque vitæ diem eam Domini Coronam semel in die dixerint, easdem annorum summas duplicamus, et decedentibus ex hac vita apostolicam elargimur benedictionem. Quia vero difficile esset præsentes litteras ad universorum notitiam pervenire, etc. Datum Florentiæ sub annulo piscatoris die XVIII Fe- B bruarii pontificatus nostri anno III.

aliique Pontifices indulgentiis ornant,

11 *Indulgentiis aliis alii pontifices auxerunt hanc pietatem ; satis nobis fuerit indigitasse diplomata, quæ præter recitatum Leonis X quatuor numero sunt : Gregorii XIII datum die* 14 *Februarii anni* 1573 (1) ; *Sixti V die* 3 *Februarii anni* 1589 (2) ; *Clementis X die* 20 *Julii anni* 1674 (3) *et demum Benedicti XIII die* 6 *Aprilis anni* 1728 (4). *Mugnotii tempore utebantur hac Corona populus et magnates, adeoque sæculo post frequentioris usus videtur fuisse apud milites : nam in Brevi Clementis X legitur :* Quicumque solitus fuerit saltem ter in hebdomada dictam Coronam recitare et in bello contra infideles, hæreticos et S. R. E. hostes dimicaverit, si eo vel antecedenti die eamdem Coronam recitaverit et in actu dimicationis mentem ad Deum elevaverit et peccatorum suorum pœnitens humiliter veniam postulaverit, si in dicta pugna occubuerit, plenariam indulgentiam pariter consequatur. *Ex his omnibus satis manifestum est* B. Michaelis *inventum placuisse plurimis. Initio,* C *ut vidimus, conficiebant eremitæ Coronarum globulos ex abietibus, quibus undique cingitur eremus. Ast pares non diu fuerunt omnibus petentibus satisfacere ; unde factum est ut oppidani Balnei Regii* (Bagnorea) *eas fabricare inceperint, et Camaldulensibus vendere ; quod onus quum diutius ferre non possent, efflagitarunt a Paulo V ejusque successoribus eremitæ Congregationis Montis Coronæ facultatem sese indemnes servandi* (5). *Ad lucrandas indulgentias initio opus non erat ut benedicerentur Coronæ ; quocirca P. Barry in Anno Sancto ad Sabbatum I post Ascensionem suadet Philagiæ, ut ordinario Rosario, seu Corona B. M. V. utatur* (6) ; *sed in præcitato Clementis X Brevi videtur requiri ut Coronæ istæ* a monachis vel eremitis Camaldulensibus immediate vel mediante alia persona tra- D dantur ; *sed hæc pertinent ad indulgentias a Clemente X concessas, non vero ad indulgentias Leonis X et Gregorii XIII. Anno* 1728 *primum mentio fit de benedicendis his Coronis ; quum videlicet die* XIX *Julii hujus anni permisit Benedictus XIII abbati generali Camaldulensi destinare sacerdotes sæculares et regulares ad benedicendas* B. Michaelis *Coronas iis in locis, ubi non essent Camaldulenses* (7). *Labente tempore instituta etiam fuerunt de Dominica Corona sodalitia. Sub anno* 1591 *mentio fit fratrum et sororum societatis Coronæ Dominicæ Fabriani, qui participes fiunt bonorum operum Ordinis* (8) *Anno* 1636 *jam invaluerat hæc pia sodalitas, ut ex opusculo Joannis Gualberti Durazzinii, inferius citando, apparet. Quo vero anno primum probata sit S. Sedi, non invenio ; verum probatam fuisse indubium est, quum Benedictus XIII die* 19 *Julii anni* 1728 *etiam concesserit, ut abbas generalis Camaldulensium ejuscemodi societates virorum et mulierum institueret per presbyteros etiam exteros, si Camaldulenses abessent* (9). *Reperio etiam* E *in monasterio S. Michaelis de Burgo Pisarum altare, aliquando de Corona Dominica dictum ; quod nomen ei inditum fuerat quia in icone altaris præter S. Dominicum Vernagallium coloribus expressa etiam fuerat imago* B. Michaelis ; *adeo ut hic illius pietatis patronus haberetur. Sed quum postea etiam adjuncta fuisset effigies S. Romualdi, ab imagine potioris dignitatis, nominatur hodie (ita loquitur Mittarelli) altare S. Romualdi* (10).

multique scriptores illustrant,

12 *Sparsi in publicum de hac pietate libelli aliud subministrant ejus celebritatis argumentum. Anno* 1579, *mandante Antonio Pisano generali, Sebastianus a Fabriano Venetiis typis edidit utrumque Leonis X et Gregorii XIII de Corona Dominica diploma cum brevi ejusdem devotionis illustratione. Inter opera Silvani Razzi, qui exeunte sæculo* XVI *floruit, recensent Mittarelli* (11) *et Ziegelbaur* (12) : Corona del Signore in forma di orazioni, *Florentiæ,* 1591. *Simile opusculum anno* 1602 *Senis edidit Franciscus Pifferus sub titulo :* Breve discorso sopra i misteri della Corona del Signore alla serenissima madama Cristina di Toscana (13). *Anno* F *autem* 1636 *Joannes Gualbertus Durazzinius, quum in abbatia Rosæ Senarum officio fungeretur correctoris sodalitii Coronæ Dominicæ, typis Senensibus edidit opusculum,* in quo, *ut loquitur Mittarelli,* eruditam præfationem, multas sacras ad Coronam ipsam recitandam meditationes et nonnulla pro sodalitio egregia statuta conscripsit (14). *Anno* 1672 *Faventiæ, et* 1680 *Tarvisii apparuit Joannis Marinetti opusculum :* Corona del Signore e vita del beato Michele eremita Camaldolese (15). *Anno* 1703 *typis Venetis eamdem devotionem illustravit Augustinus Guerra, monachus Classensis* (16), *et quinquennio post Moranus Merighius carminibus, Forolivii editis sub titulo :* Li Misteri della Corona del Signore, et quelli del Rosario Santissimo di Maria Vergine portati in varj Sonetti (17) ; *de-*

(1) Ann. Camald., lib. LXXIII, num. 32, tom. VIII, pag. 153.
(2) Ibid. lib. LXXIII, num. 74, p. 173.
(3) Ibid. lib. LXXVIII, num. 13, p. 130.
(4) Ibid. lib. LXXIX, num. 70, p. 627.
(5) Ibid. lib. LXXVIII, num. 13, pag. 132.
(6) L'année Sainte de Philagie, part. 2, devot. III, tom. II, pag. 67.
(7) Annal. Camald., lib. LXXIX, num. 70, tom. VIII, p. 626.
(8) Ibid. lib. LXXIV, num. 4, pag. 178.
(9) Ibid. lib. LXXIX, num. 70, pag. 626.
(10) Ibid. lib. XXXVII, num. 43, tom. IV, pag. 256.
(11) Ibid. lib. LXXIV, num. 63, tom. VIII, pag. 231.
(12) Ziegelbaur, Centifolium, pag. 75.
(13) Annal. Camald., lib. LXXV, num. 2, pag. 237 ; et Manni Commentar. de inventis Florentinis, pag. 45.
(14) Ibid. lib. LXXXI, num. 24, pag. 322.
(15) Ibid. lib. LXXVIII, num. 49, pag. 485.
(16) Ibid. lib. LXXIX, num. 6, pag. 533.
(17) Ziegelbaur, Centifolium, pag. 70. Cfr. Annal. Camald. lib. LXXX, num. 15, pag. 655.

mum

A *mum num.* 2 *memini alius opusculi anno* 1743 *de eadem re Viennæ in Austria editi. Sunt et alii multi qui in eodem illustrando argumento versati sunt; verum quum animus tantum fuerit specialia indicare opera, non est quod illis recensendis diutius hæream. Et certe quæ hactenus dicta sunt, satis patefaciunt quam late vulgata fuerit illa a* B. Michaele *excogitata pietas.*

In ea tamen admittitur vulgaris in Christi annis error.

13 *Ut demum hunc de Corona Dominica absolvam locum, fusius sane ostendendum non est opinionem de Christi ætate, quam secutus est* B. Michael, *omnino stare non posse. Ferebat scilicet hæc sententia Christum Dominum natum esse die* 25 *Decembris anni* 749 *post Urbem conditam, mortuum que die* 25 *Martii anni* 782, *duobus Geminis Coss.; adeo ut* 32 *annos et* 3 *menses vixisset. Sed ostendit Henricus San-Clementius Herodem Magnum verno tempore paulo ante pascha anni* 750, *postquam plures menses Callirhoe et Hierichunte propter gravissimum jacuisset morbum, mortuum esse; quocirca fieri omnino non posse ut eum Magi Hierosolymis invenerint, si Christus mense Decembri anni* 749 *natus* B *fuerit. Aliunde vero ostendit tum ex tempore concessæ universo orbi pacis, tum ex tempore census a Quirino instituti aliisque ex adjunctis omnia istuc vergere ut Christus die* 25 *Decembris anni* 747 *natus dicendus sit, mortuus vero die* 25 *Martii anni* 782, *seu* 29 *æræ vulgaris, postquam* 34 *annos et* 3 *menses inter homines versatus esset, seu* 35 *annis a sua Incarnatione. Münter discessit aliquantum ab hoc calculo, propter præconceptas quasdam de stella Magorum duce opiniones; verum non hujus eæ sunt ponderis, ut a gravissimo S. Joannis Chrysostomi testimonio, Christi nativitatem die* 25 *Decembris omnino reponendam esse propter certissimam traditionem Romanam statuentis, recedendum esse arbitremur. Qui plura de hoc argumento cupiat, legat ipsum San-Clementii eruditissimum et copiosissimum de Æræ vulgaris emendatione commentarium, exeunte superiori sæculo impressum; quod opus hujuscemodi est, ut pauca omnino ei æquiparari possint.*

Eremitæ aliquot pientissimi,

14 *Examinanda supersunt omnium difficillima* B. Michaelis *gesta, quæ ei scilicet cum Paulo Ju-* C *stiniano et Vincentio Quirino communia sunt et ad reformationem ordinis Camaldulensis quam proxime pertinent. Quum tamen Beatus noster in his non habuerit præcipuas partes, ea tantum attingenda videntur, quæ necessaria sint ad quædam ejus intelligenda scripta et dicta. Ante omnia autem tres probe cognoscendi sunt viri Petrus Delphinus, Paulus Justinianus et Petrus Quirinus, de quibus jam mentio incidit, et qui omnes, patricio genere Venetiis orti, mirum in modum pro sua ætate in litteris profecerant, priusquam Camaldulensem vestem induerent. Primus omnium Petrus Delphinus,* 18 *annos natus, anno* 1462 *ad S. Michaelis de Murano monasterium se recepit. Continuo ita omnibus satisfecit, ut gravissima ei crederentur officia, et ut anno* 1479 *abbas et vicarius generalis, et altero fere anno post prior generalis renuntiaretur, annos solum* 36 *natus. Per annos* 36, *quibus plena generalatus auctoritate potitus est, studuit semper ne vel* D *minima ex parte consuetus sacri illius instituti ritus relaxaretur. Explicari autem vix potest quot et quantis perfunctus sit laboribus pro ordinis sui cœnobiis aut redimendis aut restaurandis seu a commenda vindicandis. Per triennium ad cardinalatus honores evocatus, constanter hanc a se dignitatem deprecatus est; verbo scientia, virtute et rerum gerendarum peritia insignem fuisse virum concedunt omnes. Paulus Justinianus, in sæculo Thomas dictus, annoque* 1476 *natus, non minores ab omnibus sibi commeritus est laudes. Anno* 1510, *postquam sacram Camaldulensem eremum omni ex parte exploravit, multo gaudio ad id vitæ genus exceptus fuit a priori Generali, populari suo, Petro Delphino. Multum continuo posuit studium ut pristinos sodales Vincentium Quirinum et Joannem Baptistam Egnazio illuc alliceret. Frustra tentavit Egnazium, Quirinum vero devicit, qui ineunte anno* 1512, *Camaldulum incolere cœpit, assumpto Petri nomine. Quanta porro uterque virtute præstiterint, vel ex eo colligitur quod Justinianus aliquo cultu apud Camaldulenses fruitur aut saltem fruitus est, et quod* E *Quirini laudes sæpe celebravit Justinianus aliique gravissimi viri.*

Justinianus maxime et Quirinus actuosissimi viri,

15 *Quum autem ambo Camalduli degerent, explicuerunt statim naturam suam mirabiliter actuosam, adeoque haud scio an omni culpa vacet Delphinus (aliam scilicet ab hoc viro in toto hoc negotio admissam reperire non possum) quod ad tirocinium vitæ vere eremeticæ ponendum eos non satis adegerit, sed aliis ante tempus occuparit rebus* (1). *Cæterum et sponte sua aggrediebantur nonnulla: quaquaversum dabant litteras, pias utique, sed præmaturas forsan; scribebant item ingentem de Romani Pontificis curis libellum, ex pluribus quam centum apud Mittarelli et Costadoni* (2) *constantem majoribus columnis, itemque alterum de Officio Pontificis* (3), *quos postea miserunt ad Leonem papam X; scribebat insuper Quirinus Tractatum super concilium generale* (4) : *quæ utrum recentium eremitarum sint munia atque apta valde ad curiales (ut vocat eos Delphinus* (5)) *in viros contemplativos immutandos judicent alii. Porro præter Justinianum et Quirinum aderant tum Camalduli inter eremitas docti et* F *litterati nulli, si tamen Thomam* (6) *quemdam aliunde mihi ignotum excipias. Quum insuper spreta sæculi nobilitate, rerum gerendarum experientia et peritia, nec non morum comitate mirum in modum præstarent, conversi sunt in eos omnium eremitarum oculi, ipsique lumen piæ solitudinis et deliciæ fieri visi sunt.*

res novas moliuntur,

16 *Interea dum tirocinium adhuc peragerent, incidit eis in mentem cogitatio de excerpendis constitutionibus ad eremum pertinentibus. Scripsit hac de re Quirinus ad Delphinum, qui ad hoc opus Quirinum ipsum, Justinianum et Thomam jam dictum designavit* (7) *die* 3 *Julii* 1512. *Quum hæ Delphini litteræ e Fonte-Bono in vicinum Camaldulum delatæ essent, supervenit susurro quidam, qui Quirini mentem penitus turbavit. Dedit hic itaque continuo ad Delphinum litteras, quibus insinuaret se cum sociis non collecturos tantum statuta eremi sed immutaturos; nudum enim colligendi officium minimum*

(1) Cfr passim Annal. Camald. et Epist. Delphini.
(2) Annal. Camald., tom. IX, col. 612 ad 719.
(3) Ibid. lib. LXX, num. 23, tom. VIII, pag. 131.
(4) Ibid. tom. IX, col. 599 et seqq.

(5) Petri Delphini epist. 217, ap. Martene et Durand t. III. col. 1186.
(6) Ibid. epist. 231. col. 1177.
(7) Ibid. loc. cit.

conver-

A conversum dedecere, quanto magis se litteratos? Et alia id genus. Retudit hæc cogitata Delphinus litteris e Fonte-Bono datis die 2 Julii seu biduo post alteras (1), recte asserens immutandi statuta potestatem ne ad se quidem Generalem pertinere, sed ad capitulum generale; cæterum non agi de honore cum noviliis, sed de imponendo eis labore. Atque hinc forte repetenda origo miseriarum, quas Deus bonus ex sua erga sanctum Camalduli institutum misericordia, fausto coronavit fine.

veteres renovant querelas,

17 Tunc temporis videntur etiam resuscitatæ veterum querelarum causæ, quas B. Ambrosius Traversarius compresserat. Ineunte scilicet sæculo XVI triplicis generis erant Camaldulenses : Eremitæ nempe proprie dicti, qui duo tantum habebant asceteria, Camaldulum Etruriæ et subjectum ad montis radices monasterium Fontis-Boni ; Observantes deinde, seu Congregatio sancti Michaelis de Murano, quæ, anno 1446 ex novem cœnobiis inchoata anno demum 1474 stabilita fuit et superiores habebat temporaneos vitamque vivebat cœnobiticam ; tertio B demum Conventuales, qui nullo certo congregationis inter se conjuncti erant fœdere, superiores habebant perpetuos, vitam ducebant cœnobiticam et disciplina utebantur laxiori (2). Camaldulensis porro eremus non erat amplius caput Ordinis ; sed qui Generalis erat præses Petrus Delphinus ad Congregationem Muranam pertinebat. Quocirca asseruerunt eremitæ, ut testatur ipse Delphinus (3), majorem etiam esse potestatem eremitarum super universum Ordinem, quam prioris eremi et quam capituli generalis. Similia omnino objecta fuerant B. Ambrosio Traversario (4). Quum vero aliquis rancori habenas dedit, vel rerum mutationes cogitans in improvisa incurrit obstacula, displicent omnia vitioque vertuntur.

et Delphinum, sanctum virum,

18 Ante omnia autem Petrus Delphinus exauctorandus erat. Ea res agitari cœperat sub annum 1503. Querebantur eremitæ insigniora Ordinis cœnobia deperire in dies, et commendatariorum voracitate absorberi, atque his retia explicari per dignitates et præfecturas perpetuas : egregiam quidem operam navasse Delphinum et plurima ex eorum faucibus loca haud ignobilia eripuisse ; at vergente C ad senium ætate (erat vero infirmitatibus quam annis senior) molestissimis illis temporibus imparem prope videri, sed neque immortalem ; eoque decedente, invasuros gregem suum lupos rapaces (5). Erant et alia : sat diu usus fuerat Delphinus vicario generali Basilio, abbate S. Felicis Florentini, Conventuali. Hic certe nonnulla pessime gesserat et damna intulerat plura Camaldulo ; verum ipse Petrus Delphinus jam ab anno 1504 eum a vicarii officio removerat, ei substituens Simonem abbatem S. Michaelis Pisarum : res mira quod anno 1513 adhucdum vitio vertebant, quod Basilio usus fuerat vicario generali (6) ! Erant et alia multo minora ; v. g. de Delphini coquo conquerebantur pientissimi eremitæ (7) : et bene multa alia ægerrima ferebant.

D *et B. Ambrosii Traversarii, iisdem difficultatibus tentati, imitatorem,*

19 Verum in his, ut jam dictum, nil erat adeo novum : tempore B. Ambrosii Traversarii, summi utique et pietate et litteris viri, eædem omnino querelæ auditæ fuerant ; miserant scilicet eremitæ ad summum pontificem panem, indicium quam male tractarentur (8) ; contenderant item de primatu (9) ; commendæ autem vetus erant calamitas, quam Ambrosius certe tollere studuit (10), multo vero felicius Delphinus. Sed quid hæc latius prosequar ? Legat, qui plura velit, epistolas B. Ambrosii Traversarii comparetque cum epistolis Petri Delphini, statimque intelliget turbas sub hoc ortas nihil novi fuisse, sed veterum meram renovationem, ut et ipse animadvertit Delphinus in epistola 241, quæ est apud Martenne (11). Unde hic culpari nequit quod eremitis suis restitit, nisi et ille culpetur ; adeoque ego profecto non intelligo, quomodo, qui mitissime etiam de Delphino scribunt, auctores asserere possint eum in his turbis humani aliquid passum fuisse, quod dure perstrinxerit Quirini et Justiniani gesta, nec eorum cesserit ausis. Verum enimvero pii fuerint E Quirinus et Justinianus, bona mente processerint, divinamque intenderint laudem : de internis disceptatio nulla est ; sed ex qua parte certum jus steterit quæritur, et utrum Delphinus superioris partes impleverit an excesserit.

a syndicatu et dein a generalatu dejicere aggrediuntur ;

20 Verum res jam ordine exponendæ sunt. In Fontem-Bonum mense Octobri anni 1512 visitatum venerat Delphinum Christophorus Rampinus, olim abbas Angiariensis. Unde quum die 22 ejusdem mensis pergendum esset Delphino Florentiam, mandavit Rampino, ut donec rediret familiæ suæ curam gereret, siquidem quindecim abfuturus esset dies. « Ubi hic, *inquit Delphinus* (12), in Eremum allatus est nuncius, summo mane sequentis diei venerunt Camaldulum (*lege* Camaldulo in Fontem-Bonum) eremitæ tres, ex quibus duo erant memorati nostri (*Justinianus et Quirinus*), pleni sollicitudine et rancore. Missos se dicunt omnium eremitarum nomine, significatum mihi, ægerrime tulisse omnes et monachos et conversos in eremo, quod audissent constituisse me perpetuum vicarium generalem Rampinum monachum : quem nisi quam primum revocarem, statuisse omnes collectis sarcinulis suis eremo de- F migrare...... Dissimulata animi commotione respondi eis trepidasse illos timore ubi non esset timor.... Læti abierunt. Eodem ipso die furia invecti eremitæ isti nostri, nulla neque pietatis neque honoris habita ratione, revocaverunt mihi syndicatum, quem in primordio generalatus mei ab eremitis mihi ultro collatum, sicut de more aliis Generalibus conferri consueverat, per triginta et duos annos quibus eremo præfui absque ullius contradictione, sine intermissione possederam... Profectus Florentiam receptus sum bis a legato (*Joanne Medicæo, dein Leone papa X*). Interea scripserunt duo isti tum Juliano, tum Antonio Pucio canonico et civi Florentino ut gene-

(1) Petri Delphini epist. 232, col. 1178.
(2) Cfr. Annal. Camald., lib. LXIX, num. 21, t. VII, p. 215 ; lib. LXXI, num. 31, pag. 291 et seqq. Dictionnaire des Ordres Religieux, tom. I, col. 595 et 594, Paris, Migne, 1847.
(3) Epist. 241, Martene et Durand, tom. III, col. 1211 et seqq.
(4) Ambrosii Camald., l. XII, epist. 54, Martene, etc., t. III, col. 428.
(5) Martene et Durand, tom. III, præf. p. XXI.
(6) Annal. Camald. lib. LXX, num. 13, t. VII, p. 417.
(7) Passim in Delphini litteris.
(8) Ambrosii Camald., lib. XII, epist. 34, Martene et Durand, Ampl. Collect., t. III, col. 428.
(9) Ibid. lib. IV, epist. 9, col. 93.
(10) Ibid. lib. IV, epist. 13, col. 98.
(11) Amplissim. Collect., t. III, col. 1210.
(12) Epist. 241, col. 1207 et seqq.

A ralatui cederem. Visitatus itaque denuo a me legatus...: Habeo, inquit ille, et ego tibi aliquid dicere coactus ab iis qui auctoritate et gratia apud me plurimum possunt. Communicato mecum singulari modestia de renuntiatione sermone... inter cætera testatus est cupere se auctorem fore augendæ dignitatis meæ, non ulla ex parte minuendæ. Accepta a me responsione ad satisfactionem, dimisit me in pace... Postquam redii Camaldulum, ad revisendos eremitas me confero. Didici continuo conterraneos nostros, ut mecum legatus de cessione conferret, fuisse auctores; et jam fuisse de meo responso certiores factos ex sequenti cum Quirino collatione deprehendi. Petito enim a me commeatu, ut mihi nonnulla soli diceret, abeuntibus reliquis ad Vesperas, ut exponeret quæ vellet permisi. Audi, quæso, novitii et qui nondum octo menses in Eremo exegerat menses, quam rationabiles fuerint petitiones. Nihil non verum referam tibi. Cupientes, inquit, omnes nos consuli Eremi libertati,
B ne te decedente locus iste alienis commendetur, obsecramus ut generalatui cedas. Si hoc non placet, contentus esto saltem, ut detur tibi coadjutor, qui post te in generalatu succedat. Quod si horum alterum non feceris, scito decrevisse eremitas revocare abs te syndicatum, quem hactenus in prioratu Eremi semper habuisti. Quod si et hoc parum curaveris, notum sit tibi me et fratrem Paulum *(Justinianum)* hinc demigraturos. *Suaviter, prudenter atque constanter, B. Ambrosii Traversarii exemplis nitens, negavit Delphinus, concessitque tantum ut in solo capitulo generali assensum præberet privilegio impetrando, quo generalatus post se temporalis foret.*

cui rei immixtus fuit B. Michael,

21 *Verum priusquam turbo ille ingrueret, dumque omnia quieto arbitraretur Delphinus, parata fuerat machina, quæ eum forte semper latuit. Mense enim Septembri ejusdem anni* 1512 *ad ducissam Urbinatem, Elisabetham Eleonoram de Gonzaga, ab anno* 1508 *Guidobaldi viduam, dedit Quirinus epistolam* (1) *qua eam rogat ut a Julio papa, (apud quem suffragium ejus valebat multum, ex quo mari-*
C *tus pontificis nepotem filium adoptivum et suum heredem instituerat), obtineat Camaldulensibus breve Apostolicum, cujus ipse non sensa tantum sed et formam et verba ibidem fuse suggerit et cujus hæc est summa : scilicet ut præcipiatur Petro Delphino priori generali, quatenus postposito concilio generali Lateranensi jam inchoato et ad quod evocatus fuerat congregaret capitulum generale intra octavam paschæ, in quo uniretur Eremus cum congregatione S. Michaelis de Murano, quæ illius Eremi reditus administraret; post ut ipse maneret saltem nomine Generalis et certis gauderet reditibus; dein separandum prioratum Eremi a generalatu, eumque priorem esse non posse, nisi in Eremo ipsa stabilem sedem figat; præterea priores deinceps triennales sint, et ex ipsis eremitis electi; cæterum in Eremo, quæ caput Ordinis sit, restringendam potius quam relaxandam regularem observantiam. Ut vero ducissæ diligentiam stimulet, addit* impense istud breve desiderari a se, a Justiniano et a bono patre incluso Michaele, quod certi sint hanc solam esse viam, D
qua facile felicissimo statu reddatur Eremus. *Demum commendat ut hæc omnia secreto agantur, adeo ut credere debeat Delphinus motu proprio et sponte sua papam Julium id breve dedisse. Quæ omnia ego expendenda et dijudicanda relinquo iis, qui vel minimum norint quanta pestis sint religiosis ordinibus intercessiones externorum.*

clanculum etiam epistola Quirinum pro vicario generali postulans.

22 *Neque hic consistere licet. Paulo ante vidimus Delphinum die* 22 *Octobris Florentiam profectum, et ineunte Decembri reversum; petitiones Quirini audivimus ejusque cum Delphino colloquium. Ast, ut loquitur Delphinus in memorata epistola* 241, paucis diebus antequam hic sermo fuerit inter nos, scripserat eremita reclusus illustrissimæ dominæ Urbinati, ut curaret apud pontificem constitui Quirinum auctoritate Apostolica majorem (*seu priorem*) Eremi. Quæ res, me jubente, statim revocata est, misso Urbinum cum festinatione nuncio, qui non sineret litteras reddi. *Porro hunc reclusum esse* B. Michaelem *nostrum omnia evincunt. Quod enim notus esset ducissæ Urbinati constat ex his quæ* E
num. 8 retulimus quod et magni ab ea fieret, liquet ex modo relatis Quirini verbis; unde etiam habemus eum huic novarum rerum negotio immixtum fuisse. Præterea unus tantum erat tunc temporis reclusus; *Justinianus enim anno* 1510 *scribens dicit nude* il rinchiuso; *animadvertendumque insuper est de nullo alio recluso mentionem fieri, dum de hoc agitur negotio.*

Hujus negotii exitus.

23 *Quum alibi* B. Michaelis *nomen in historia illarum turbarum non occurrat, licebit quam brevissimos esse. Obtinuere Justinianus et Quirinus desideratissimum breve, fulti maxime patrocinio Joannis Medicei, legati et paulo post Leonis X papæ. Continuo coryphei illi contulerunt consilia et condiderunt inter se conventionem de minutissimis rebus et de modo procedendi in capitulo. Ultima die Martii prodiit aliud breve, quo Justinianus et Quirinus, licet sacerdotes non essent admitti jubebantur ad capitulum. Exeunte itaque Aprili Florentiæ, præside non Delphino, sed extraneo, celebratum est capitulum* (2) *; in quo quomodo se gesserint illi, videat lector in epistola* 237 *Delphini apud Martenne* (3). F
Victores porro hinc discesserunt Justinianus et Quirinus, qui et syndici et procuratores a cæteris definitoribus Romam missi sunt, diploma pontificium efflagitaturi. Anno tamen sequenti restitutus fuit Delphinus ab ipso pontifice in munus suum; sed per novum valdeque ignominiosum breve dejecerunt eum iterum a generalatu adversarii; demum negotium istud Cardinalium Congregationi commissum est; cujus exitus fuit honestus satis pro Delphino, licet munere suo exauctoratus fuerit (4).

B. Michael cum et Quirinum cardinalem fore, [illegible] nonere [illegible]

24 *Dum hæc Quirinus Romæ aliisque procuraret in locis, summorum virorum amicitiam magis magisque sibi conciliavit; unde actum est de eo creando cardinali. Consilium petenti scripsit Justinianus epistolam, ex qua denuo cognoscere licet, quantæ apud se et Quirinum auctoritatis esset* B. Michael. *Censuit itaque Justinianus id munus ab eo ambiendum non esse, sed fugiendum quantum fieri posset, adeoque recusandum etiam post electionem, neque*

(1) Annal. Camaldul., t. IX, col. 566 et seqq.
(2) Ibid., lib. xx, num. 13, t. VII, p. 118 et seqq.
(3) Ampliss. Collect., t. III, col. 1182 et seqq.
(4) Annales Camaldul., loc. cit.

ceden-

A *cedendum nisi præcepto obedientiæ et comminationi excommunicationis ; se ejus epistolam ostendisse Patri Majori, et deinde subdit :* Communicavi etiam omnia cum Patre Incluso, qui sentit te omnino futurum Cardinalem, et facere male eum qui suadeat ut non acceptes, quandoquidem sentiat te magno adjumento fore ad reformandam Ecclesiam Dei (1). *Dissentiebat itaque* B. Michael *a Paulo Justiniano qui tamen arbitrabatur a se committi non posse ut hunc in sua epistola non signaret dissensum. Tanti erant apud utrumque ponderis pii Reclusi seu Inclusi (de qua appellatione disputat Justinianus (2)) dicta ! Ex sua vero parte scripsit Quirinus ad Justinianum, ut preces funderet apud Deum, Jesum Christum ejusque sanctissimam matrem, quatenus mors laqueos, quibus irretitus undique ad purpuram rapiebatur, contereret ; et ut* Michael Reclusus Deum quoque oraret (3). *Erravit autem* B. Michael *quum dixit aut prædixit Petrum Quirinum cardinalem futurum ; decessit hic nempe ante promotionem Romæ die* 23 *Septembris ejusdem*

B *anni* 1514 *inter amplexus amicissimi Justiniani, qui illic accurrerat* (4). *De his omnibus legi possunt tum Annales Camaldulenses, tum Tiara et Purpura Veneta, anno* 1761 *Brixiæ excusa, in qua a pag.* 107 *ad* 136 *fusum Quirini encomium multæque ejus et Justiniani epistolæ recitantur.*

Potest cum Justiniano Camaldulum relinquere;

25 *Paulo post immixtus fuit* B. Michael *alteri negotio, quod ad B. Justinianum pertinebat. Ut diximus, duo tantum habebant loca Eremitæ, Camaldulum et Fontem-Bonum. Jam pridem itaque mente volvebat B. Justinianus hunc augere numerum, et de hac re egerat cum* B. Michaele *jam ab anno* 1515 ; *adeoque meminerunt Mittarelli et Costadoni epistolæ* B. Michaelis, *quam hoc anno mense Februario ad B. Justinianum dedit, et in quo ei consuluit, ut potius in eremo Camaldulensi perpetuam mansionem suam stabiliret, quam ad novas condendas eremos animum adjiceret* (5). *Quibus tamen subjungunt citati annalistæ :* Non tamen Justiniani mentem reprobaverat, sed id consilii suaserat ad aliud tempus differendum. Eodem anno et mense obtinuerat Justinianus a Romano pontifice opera

C Petri Bembi facultatem recedendi a Camaldulo cum Michaele Recluso, cum Hieronymo Georgio et cum Innocentio converso ; qua usus non fuit, adoptato ejusdem Michaelis Reclusi consilio.

probat Justiniani consilium de inducendis Camaldulensibus in Americam.

26 *Cogitavit postea B. Justinianus de propaganda S. Romualdi instituto in Novo Orbe, non ita pridem detecto. Quod consilium quum propter subortas difficultates exsequi non potuisset, denuo eremis condendis animum applicuit.* Reprobavit tamen, *inquiunt Camaldulenses Annalistæ,* Justiniani dissessum Petrus Delphinus duabus epistolis datis ad alterum Justinianum Bergomatem. « Nocte, inquit, antequam itineri se daret, insomnis perstitit in cella sua ; die adveniente ad ortum solis, re sacra peracta, ad Michaelem Reclusum eremitam se contulit, qui alacri vultu ad se venientem excepit dicens : « Si carnis affectum sequerer, te « lacrymis libenter redimissem, sed spiritus de « isto tuo dono congaudere jubet ». Cum vero instaret Justinianus, ut Michael manifestius Dei

D voluntatem reseraret, obmutuit. nec amplius locutus est verbum. *Plura ad* B. Michaelem *non pertinent. Exordia Congregationis Montis Coronæ, hinc enatæ videat lector apud Mittarelli et Costadoni, apud Lucam Hispanum, Helyot aliosque. Atque hæc sunt quæ de* B. Michaele *colligere licuit ; superest ut ejus Vitam de qua supra num.* 2 *disseruimus, exhibeamus ; ex eaque intelliget lector beatum virum die end.* XII *kal. Februarii seu* 21 *Januarii anni* 1522 *sanctam suam animam in Dei manus commendasse.*

VITA B. MICHAELIS

Ex parte I Historiarum Camaldulensium a

Augustini Fortunati *a*.

E

CAPUT UNICUM.

Ortus, famulatus in aula Medicea, adventus in Camaldulum, institutio Coronæ Dominicæ, spiritus propheticus, virtutes.

B. Michael Florentinus famulatur Medicæis,

Beatus Michael, Florentiæ *b* ex honestissimis parentibus ortus patrem Venturam *c* nomine habuit ; a tenerisque annis Deum timere suetus, ubi pubertatis attigit annos, Laurentii Medicis clarissimi viri obsequiis sese dedit *d*, pincernæque officium plures annos exercuit, et ea quidem ingenuitate ac studio, ut inter reliquos domesticos ei exstiterit carissimus. Animadvertens primis diebus Michael quam Laurentii domum liberalium artium professores frequenter adirent *e*, ingemuit non semel pectore ab imo, quod pueritiæ annos non plene litterarum studiis addixisset. Itaque legendæ historiæ *f* cupidus, non parvam librorum supellectilem paulatim comparavit, ut in colloquiis peritorum hominum saltem ob illud studium aliquando non erubesceret. Pari modo cum multi religiosi ejus tempestatis insignes viri ad Laurentium frequenter convenirent, longosque sermones de cœlestium bonorum spe, deque vera christiana caritate protraherent *h*, Michaël ad religionem nonnihil appellere cœperat animum, quando ex Trebiana villa *h* in Senarii montis densissimas silvas venatum cum Laurentio aliquando concessit, ubi incidit ei in mentem recordatio casus illustris Guidonis marchionis *i*, qui intempestæ noctis tempore a sociis desertus per arduos inviosque saltus oberrans, horrida nimium visione ad mutandam vitam et mores invitatus est, septemque cœnobia propterea ædificavit. Quamobrem gravi terrore consternatus, quomodo se a sæculi servitute omnino liberaret, cogitare cœpit. Quod Laurentius facile exploratum ha-

F

(1) Annal. Camald., t. IX, col. 581
(2) Ibid. lib. LXXI, num. 20, t. VIII, p. 17.
(3) Ibid., lib. LXX, num. 23, t. VII, p. 435.
(4) Ibid. loc. cit.
(5) Ibid. lib. LXXI, num. 21, t. VIII, p. 19 et seq.

bens,

A bens, eumque penes se retinere cupiens, sacerdotium illi cum honestis proventibus conferendum curavit. Qua occasione Michael jam Deo omnino servire avens, illico se tamquam exemplar omnium bonorum operum comparare cœpit, etc.

accedit ad Eremum, instituit Coronam Dominicam, k

2 Accidit inter hæc Laurentium ad sacram eremum adequitare *k*. Illic ergo Michael decore domus Dei captus, et quadam cœlesti vi eremitam agere instinctus, Romam prius proficisci voluit ad sanctorum Apostolorum limina ; inde concito gressu in sacrum montem reversus exutus est mundi sordibus et sacræ militiæ adscriptus. Exinde vero in summa columbæ simplicitate se verum et non fictum Dei servum ac Sancti Romualdi discipulum adeo pie ac sancte præbere studuit, ut incredibili modo in superna fluenta fontis viri inhiare visus plurimos humilitate superaret, obedientia præstaret, caritate vinceret, continentia vero cibique parcitate nemini esset secundus, nulla infirmitate frangeretur; tantummodo adolescentiæ minus salubriter peractum
B cursum, tantummodo admissa in sæculo crimina continua pœnitentia lugeret. Sed enim tanta spe misericordiæ Dei adipiscendæ ducebatur, ut propter dulcedinem amóris atque caritatis Christi, in celebratione Missæ continenter lacrymas funderet. Quocirca fratribus veræ contemplativæ vitæ mira in dies præbens exempla, difficile dictu est, quanta veneratione eum prosequerentur. Jam vero cupiens ardenti animo proficere in virtutibus, et in cœlesti philosophia omnibus aliis curis solutus incumbere, reclusionem annuam ab eremitarum Patre summa humilitate ante omnia impetrat et elapso termino a conventu perpetuam
l m *l*, etc. Divino monitus oraculo *m*, quomodo Christi fideles septem petitiones, quæ in Dominica oratione continentur, frequentiori studio consequi possent, si Dominicam coronam ad exemplum coronæ B. Mariæ semper Virginis manibus attrectarent, rem cum Majori Patre *n* communicavit, eique coronam hujusmodi tornatis orbiculis a se confectam obtulit. Quam cum ille, adstipulanti Congregatione, ad Leonem X, Pontificem
C Maximum, qui Florentiæ agebat, detulisset, gavisus magnus sacerdos novo hujusmodi munusculo illud Apostolica auctoritate confirmavit et gratiosissimi diplomatis pagina honestavit *o*.

o

spiritu prophetico donatur,

3 Præstitit Venerabilis Michael prophetiæ dono, tali quidem gratiæ virtute, ut ejus fama summa Camaldulensis generis laude apud principes magnosque viros usque pervagaverit. Id autem principio sic cognitum est. Quadragesimæ tempore, eo videlicet die, quo sancta Mater Ecclesia historiam curati a Deo infirmi ad piscinam in Officio et in Missa legit, Stephanus Venetus vir inter eremitas longe venerabilis, qui præfecturam eremi non semel egit, audiendis divinis in templo intentus erat. Is ex historiæ sancti Evangelii lectione in pulcherrimam devenerat meditationem, qua veluti per excessum mentis Dei misericordiam animæ peccatrici semper medicinam facere philosophabatur, dummodo illa de salute sua sollicita in adventu cœlestis angeli, qui est Christus Dominus noster, ad motionem aquæ divinæ misericordiæ inter postremos non inveniatur, nec ad ejus verbum cor suum obduret. Qua rursus meditatione se ægrotum illum esse relegebat, qui lectum suum e sæculo tollere ad vocem Domini jussus fuerat, et in domum ipsam sacræ eremi sanus concedere. Quamobrem præ animi dulcedine lacrymabundus Dei misericordiam sic super se peccatorem diffusam esse ex intimo cordis affectu immortales gratias throno sanctissimæ Trinitatis agebat. Eodem temporis momento vir venerabilis Michael rem sacram in ædicula cellæ suæ faciebat. Qui quidem in offerendo sacrificium super eodem mysterio meditans cœlesti nectare et ambrosia vescebatur, quando coeremitæ Stephano *p* sociatur, eidemque suæ meditationi quasi præsens per spiritum assistit. Itaque p
Missarum solemniis expletis, e vestigio calamum sumit, et syngraphum ipsius meditationis seriem ad unguem continentem per Samuelem ministrum (qui scilicet senex hæc referre adhuc solet) ad eum tacitus mittit. Ne autem Stephanus admiratione effectus diceret : Quid lego? Quid audio ? Nonne Deus solus scrutatur renes et corda, homo autem videt in facie ? Adjecit vir bonus in apoca E
hæc verba : Carissime frater, ipse Mariæ semper Virginis Jesus semper benedictus filius, dum manibus venerabilem Eucharistiam contrectarem, cogitatum tuum, quem in eum ipsum ex tota anima jeceras, mihi misericorditer revelavit.

Clementis VII et Pauli III pontificatum prædicit.

4 Vulgato hujusmodi de viro Dei verbo, non defuerunt permulti, qui eum videndi et alloquendi gratia arduum eremi montem ascenderint. Contigit item ut cardinalis Mediceus *q*, qui Pon- q
tifex Maximus deinceps creatus fuit, et Clemens VII appellatus, ad sacrum locum veniret. Is cum Recluso de spiritualibus verba faciens, quantum quoque prophetiæ spiritu valeret, tentare voluit. Itaque an ad summi sacerdotii culmen eveheretur aperte ab illo sciscitatus est. Cui Pater venerabilis respondit : Eveheris quidem, tu præsul amplissime, post mortem gentilis tui brevi post tempore. Quibus utique ex verbis biennium Adriani VI, qui inter Mediceos pontifices medius sedit illum significasse rei exitus probavit *r*. r
Anno 1521 accedente cardinali Farnesio *s*, qui s
Paulus III postea fuit, ad sacram eremum pridie F
Kalendas Septembris in Dominico die, quidam ex ejus familiaribus Bertholomæus Grota nomine ejus capellanus Reclusum adiit, querimoniasque in colloquio Dei viro cœpit exponere, quod longo tempore tanto præsuli ingratis inserviisset. Cui vir Sanctus statim intulit : Perge, ut cœpisti, frater, quia aliquando te Pontifici Maximo famulatum impendere animadvertes. His verbis Cardinali renuntiatis, Reclusum et ipse petens, quando hæc futura sint percunctatur. Cui : Post electionem duorum magnorum sacerdotum, ille respondit. Porro hi Adrianus et Clemens dubio procul fuere. Adstruit idem venerabilis Samuel id quoque de B. Michaele vaticinium, videlicet quod in ultima Missæ libatione se non ulterius ad altare Dei introiturum sacrificandi gratia liberali animo renuntiavit.

vitam ducit severam et piam.

5 Quanta vitæ frugalitate, quanta cibi ac potus sobrietate venerabilis Michael se in solitaria militia comparaverit, vel ex eo conjectari licet facile, quod semel tantum singulis hebdomadis, Dominica scilicet die, vinum libere acquievit et, tunc quam parcissime ac dilutissime quam mo-

dica

A dica quotidie panis portione, sive interdum aliquo pulmenti genere intentus; raro sedere visus est præsertim ad ignem; unde referunt seniores eum coeremitis ad ignem non sedendi sæpenumero monumenta dedisse, ne scilicet eo pigritiæ fomite aliquem a sanctæ contemplationis opere torpescere contingeret. Cilicio corpus assidue domavit. Ligneis calopodiis incredibili Micheæ prophetæ constantia continenter utebatur *t*, omni calceamenti genere rejecto; asservanturque ad hanc diem calopodia, quæ ille ultimis vitæ diebus gestare consuevit, in quibus quidem digitorum ac plantarum pedum curvitates, perinde ac in molli cera expressa visuntur *u*. Tanta pietate augustissimaque humilitate Deo placere studebat, ut vere innocens, vere sanctus servire Domino in timore et exsultare pariter secundum prophetæ præceptum numquam fatigaretur. Quippe ad omnes horas canonicas cæteros sic prævenire fratres solebat, ut semper ad initium campanæ ad divinum opus se paratissi-
B mum componeret, quum jam pridem se alicui meditationi dedisset. Post matutinam synaxin indefessus orationi usque ad horam faciendi rem sacram toto corde vacare; libatoque sacrificio rursus orationem usque ad horam prandii repetere; a prandio recreandi animi gratia vel tornandis abiegnis coronarum orbiculis, vel legendo vel scribendo se nonnihil exercere.

tentatur a dæmone,

6 Acerrimas dæmonum persecutiones longo certamine tulit, adeo ut, quantum minister et alii exploratum habere potuerunt, raro inducias acciperet, quum tamen quo gravius contunderetur, eo magis divini auxilii consolatione sublevatus sit. Porro dæmonium in cella ei jugiter negotium facessebat, Malatasca nomine, deque impatientia illum tentabat, si forte eum cadere vel certe claudicare facere posset, et quum non liceret in magnis rebus, hanc operam in minimis frequenter præstabat, et aliquando etiam vel Samuele *x* ministro præsente. Is enim, quum prandium Recluso
C valetudinario aliquando pararet, et strata mensa Reclusus cyathum bibiturus accipere vellet, ecce illico cyathus phantastico quodam modo per aera, ex improviso jactatur. Dum vero Samuel præ novitate rei improviso terrore corriperetur, Reclusus in hæc verba prorupit: Desine, Malatasca, desine nunc mihi in aperto molestus esse; hæc hora alios mores postulat. Exinde ad ministrum conversus: Ne trepides, inquit, fili, hoc nihil est. Tunc ergo diabolus in cachinnum risusque prorumpere auditus, restituto scypho, senem irridendi finem fecit. Alio item tempore quum ipse Samuel oleum lucernæ Reclusi superfunderet, extemplo operimentum ex manibus evanescit, et nusquam inventum; denique postera die, dum oleum superadditur, ex insperato ejusdem in manibus restituitur. Quod Michaël cernens: Hic Malatasca est, ait, cum figmentis suis, qui utrumque de impatientia tentare voluit. Benedicat tibi Jesus Mariæ filius benedictus, qui non es scandalizatus in illo; verumtamen rogo te, sub silentio custodi.

Samueli ministro et bubulco per preces suas opitulatur,

7 Clariora miracula, quæ de beato viro accepimus, sunt hujusmodi. Initio conversionis ipsius Samuelis, juvenis ob vitæ regionisque mutationem cœlique in Apennino frigidissimam intemperiem magno capitis dolore vexabatur, ut ferre non posset, de redeundoque domum secum tacitus cogitabat. Venit autem ei in mentem cogitatio experiri, an Reclusi beneficio prius liberari posset, impetrataque facultate ei inserviendi, ubi primum ad eum ingressus, narrata sua valetudine, suppliciter se illius precibus commendavit; ille, Missæ celebratione peracta, frontem signo salutiferæ crucis ipsi consignavit. Quo omnis dolor sic repente abscessit, ut numquam postea, ut adstruit, laboraverit. Quidam bubulcus villæ Mogionæ *y* secus lacum qui Caroli Spellensis hodie dicitur, boves agebat. Horum unus fortuito casu in via mortuus procubuit. Rusticus ergo gladio doloris maximopere confossus factam animalis jacturam profundis singultibus deplorabat, adeo ut nullam omnino consolationem admitteret. Subiit autem illi inter fletus exuberantiam viri Dei Michaëlis eremitæ memoria, citatoque gressu acclivia montis scandens ejus cellam adit, magnisque ploratibus ut sui misereatur pro foribus etiam atque etiam postulat. Sciscitatur pater venerabilis de fenestra quid tanti cruciatus causa sit, afflictumque hominem mœrori ac squallori parcere hortatur, bonoque animo esse, atque in Dominum Jesum Mariæ semper Virginis benedictum filium summa fide sperare jubet, a quo consolationem de Sancto sibi missum iri pollicetur, moxque sacellum ingressus, precesque pro afflicto homine Deo supplex fudit, jam jamque ad excruciantem se virum remeans ait: Absterge, fili, absterge luctus, miserator enim et misericors Dominus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, misertus tui est, et bovem præmortuum ad auras revocavit. Age gratias sanctissimæ Trinitati; vade, quia in loco, ubi eum mortuum reliquisti, pascentem invenies. Atque ita se rem habere compertum est.

Urbinum frustra a duce vocatur, ut sit patrinus;

8. Invulgato hujusmodi miraculo, vix dici posset quantum opinio de viro venerabili per omnem Italiam concreverit, Duxque Urbinas *z* legatos ad eremitas misit multis precibus postulans, ut Venerabilis Michaël ad levandum ejus filium ex sacro baptismatis fonte Urbinum mitteretur. Qui quum reclusionem violare noluisset, missus est demum ad eum Paulus Justinianus una cum Petro Quirino. Qui uterque vices Reclusi supplevere, Urbinatum principem filium sacræ eremi facientes.

demum die 21 Januarii pie obiit et patrat miracula.

9 Quod reliquum est, ubi corpus imbecille ob longam abstinentiam seniles etiam anni fregerant, Venerabilis Michael jugi precatione dissolvi et esse cum Christo flagitabat, vocatusque est ad cœnam nuptiarum Agni gloriosa dormitione die XII Kalend. Februarii 1522. Porro sacro corpore ad templum delato, Deus O. M. ejus vitæ innocentiam novo signo hujusmodi confirmare dignatus est. Justinianus siquidem Bergomensis *aa* venerabilis ermita deterrimum dolorem dentium pati solitus, eo tunc acerbissime conficiebatur. Is B. Michaëlis manus osculando continuo sese ab omni dolore cognovit immunem, nec ulterius eo vexatus est. Corpore honorifice composito *bb*, patres virum Dei catalogo Sanctorum eremi adscribentes, exinde ejus memoriam in benedictione esse notum omnibus ad hanc diem faciunt.

ANNOTATA.

A

ANNOTATA.

a *Quum opus ipsius Fortunii penes nos non sit, coacti fuimus Annalibus Camaldulensibus Mittarelli et Costadoni uti, ubi* B. Michaelis *elogium a Fortunio contextum legere est. Vide plura de minori hujus scriptionis auctoritate in Commentario prævio num.* 2.

b *Num.* 3 *Commentarii prævii innuimus* B. Michaelem *Senis forte natum potius quam Florentiæ.*

c *Nomen potius erat Ventura Pini seu de Pino. Vide num.* 3 *Commentarii prævii.*

d *In Commentario prævio num.* 4 *ostendimus id fieri non potuisse ante annum* 1468 *vel* 1469, *quum scilicet* B. Michael *annos* 24 *natus esset.*

e *Non est quod plura de Laurentii Magnifici cum eruditis commercio dicamus, quum nemo ignoret* B *quantum restituendis humanioribus litteris contulerit. Confer, si placet, opus* Audin, *quod omnibus ad manus est, Historia nempe Leonis X, cap.* 1.

f *Nomine* historiæ *videtur hic omne litteraturæ profanæ genus designari, ut in charta quadam Trajectensi anni* 1083 *apud Cangium :* Historiam, id est, medicinalem librum. *Ut autem hic* historia *pro litteratura profana accipiatur, suadet contextus ipsemet ; adde minus in aula Laurentii cultam fuisse historiam (licet huic etiam suus non defuerit honor) quam reliquas artes liberales. Cæterum mente tenendum quod num.* 7 *Commentarii prævii ex ore Marcelli Corcyrensis excepimus, nimirum* B. Michaelem *fuisse* hominem illiteratum.

g *Non est quod hic describatur quomodo in illa aula pietas conjungeretur cum morum corruptela. Non philosophos tantum litteratosque ad Laurentium convenisse certum est, verum etiam sacros viros ; adeoque celebri Convivio Mediceo interfuere episcopi duo, totidem canonici* (1). *Apud Bandinium aliosque scriptores occurrunt sæpius viri pii, quibus utebatur Laurentius. Quin etiam ex epistolis Petri* C *Delphini et Annalibus Camaldulensibus apparet inter Laurentium et Camaldulenses benevolum intercessisse commercium.*

h *Lamius in Memoralibus ecclesiæ Florentinæ sæpius meminit loci cujusdam dicti* Trebia, de Trebbia, de Tribbio, *etc. Qui sitne idem ac ille in quo Villa Trebiana sita sit dicendo non sum. Verum alio forsan modo determinare licebit hunc locum. Gianius ad annum* 1599 *lib.* V *Centuriæ* IV *Annalium Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis cap.* VII (2) *explicans restitutionem eremi Montis Senarii, quæ primordia hujus Ordinis fuerant, ait ruinarum pristini asceterii* eo magis apparuisse indecentiam, quo proxima Pratolini Villa cum regio palatio, a Francisco II magno Etruriæ duce extructo, frequentius a magnis illis principibus in deliciis habebatur. Die igitur quodam accidit, ut Ferdinandus post Franciscum fratrem imperio Etruriæ potitus, dum feras venando insectaretur, ad cacumen Montis Senarii perveniret, ibique fessus, D *etc. Quæ verba si conferantur cum Fortunii dictis, statim manifestum fiet de iisdem agi locis, maxime si attendatur ibidem jam ante annum* 1529 *Villam fuisse Mediceam. Etenim inseruit Lamius Memorabilibus ecclesiæ Florentinæ* (3) *mappam topographicam vetustam valde, exhibentem* suburbia Florentina, qua urbs ad Boream spectat, qualia erant ante annum 1529, *ita ut prospectus Fæsulas usque pateat. Porro Senarius mons, qui et Asinarius dicitur* (4), *X. M. passibus a Florentia ad Septemtrionem distat* (5); *unde quum ad hanc partem secundum dictam mappam topographicam unica tantum signetur Villa Medicea et quidem prope Senarium Montem inter cœnobia S. Dominici et S. Hieronymi, hæc ipsa villa Trebiana dicenda est.*

i *Reperire non potui ad quem Guidonem marchionem alludatur.*

k *Hæc plena esse erroribus chronologicis ostensum est num.* 5 *Commentarii prævii.*

l *Ritum legesque reclusionis fusius describit Fortunius pag.* 1, *lib.* 3, *cap.* 12 ; *ejusque verba recitant Costadoni et Mittarelli in Annalibus* (6). *Hæc* E *omnia fere confirmavit Leo papa X per bullam datam* IV *Nonas Julii* 1513 (7).

m *In Commentario Dominici Mariæ Manni de Inventis Florentinis, qui anno* 1731 *Ferrariæ prodiit, leguntur de hoc oraculo sequentia* (8) : Michael eremita..., qui in Beatorum cœtum jam inde ex multo tempore publica omnium voce relatus est... Mariæ Virgini addictissimus, quam Rosarii recitatione singulis diebus venerari mos sibi fuerat, audire aliquando hanc cœlestem vocem sibi visus est : Mei vero, Michael, numquamne memineris? Hæc quidem quum semel atque iterum perpendisset, eam opinatus divini oraculi verba, præcipientia Christi Domini meditationem aliquam a sese excogitandam, hinc corollam alteram instituere aggressus est. *Absque dubio hæc hausit ex opusculo Francisci Pifferi, quod inferius citat, et quod ipsi signavimus num.* 12 *Commentarii prævii.*

n *Quum Coronam Dominicam excogitavit* B. Michael, *major seu prior Eremi erat generalis ipse* F *Petrus Delphinus ; sed hic videtur agi de majore seu priore, qui Eremo præerat anno* 1516, *quum scilicet Florentiam venit Leo papa X. Tunc vero istud munus gerebat Paulus Justinianus, eo ipso anno primum electus* (9).

o *Dedimus istud diploma num.* 10 *Commentarii prævii ; subjecimus plures alias aliorum pontificum approbationes. Mannus in Inventis Florentinis meminit et alius brevis pontificii, cujus mentionem nullam reperio in Annalibus Camaldulensibus quod forsan Francisco Mediceo soli inscriptum erat ; en Manni verba :* Ego vero in antiquis Notis Mss. apud me, alias item gratias largitas lego per fel. record. Pium IV « ad instantia dell'Illustrissimo » Principe di Fiorenza Francisco, venendo dalla » Madonna di Loreto a Roma in basciando il » piede al Papa. »

(1) Bandinius, Specimen litteraturæ Florentinæ, sæc. XV, t. II, p. 107.
(2) T. II, p. 297, edit. 1721.
(3) T. II, p. 718.
(4) Annales Camaldul., lib. LXIV, num. 12, t. VII, p. 210.
(5) Lamius, Memorabil. t. III, ind. Geograph. v° *Mons Asinarius.*
(6) Lib. LXXI, num. 21, tom. VIII, pag. 16 et seqq.
(7) Ibid. tom. VII, col. 126.
(8) De Inventis Florentinis, pag. 15.
(9) Dictionnaire des Ordres Religieux, par Badiche d'après Hélyot, tom. I, col. 600, Paris, 1847.

A p *Stephanus Venetus, qui in Annalibus Camaldulensibus cum titulo* Venerabilis *prodit, anno* 1530 *electus fuit major Eremi, primus omnium post separationem eremitarum a monachis, propter novas difficultates a Clemente VII invectam* (1). *Alias ejus laudes et scripta inveniet lector in Annalibus Ordinis. Eremita factus fuerat Stephanus saltem ab anno* 1519, *anno* 1548 *obiit postquam bis saltem, anno nempe* 1530 *et* 1542, *majoratum in Eremo gessisset.*

q *Erat hic Julius Mediceus, filius Cardinalis Juliani Medicei, anno* 1478 *occisi. Natus erat ex secreto matrimonio Juliani cum Floretta, femina Florentina. De his vide Novaes in Vitis Summorum Pontificum, aliosque scriptores de rebus pontificiis. Miror in Annalibus Camaldulensibus nullam aliam, quam quæ hic in Vita* B. Michaelis *est, fieri mentionem de hoc Julii ad Eremum accessu : cæterum vide sequens annotatum.*

r *Mittarelli et Costadoni hic inserunt sequentem annotationem :* Christophorus Marcellus Venetus
B Corcyrensis archiepiscopus dubiis aliquot Scripturarum tentare volebat *Michaelem*, sed ipsius angelica præsentia obstupefactus, contentus fuit id ipsum ab eo expostulare de Cardinali Julio Mediceo domino suo. *Qua annotatione innui videtur Fortunium tribuisse iter familiaris ipsi domino, adeoque quæ Corcyrensi archiepiscopo dixerat* B. Michael *de Cardinali Julio, ab eo ita accepta fuisse ac si dicta fuissent ipsi Julio. De adventu archiepiscopi Corcyrensis vide num.* 7 *Commentarii prævii.*

s *Videlicet Alexander Farnesius, filius Petri Aloysii Farnesii, anno* 1468 *natus, anno* 1493 *creatus cardinalis titulo SS. Cosmæ et Damiani, et anno* 1534 *electus pontifex Romanus. De ejus ad Eremum accessu agit Delphinus in epistola* 11 *lib.* XII, *ut notant Mittarelli et Costadoni ad hunc locum. Illa autem collectio epistolarum, quæ rarissima est, penes nos non est; unde plura de hoc Farnesii itinere omittenda nobis sunt. Quid vero de Bartholomæo Grota, ejus capellano, factum sit, quum ipse Farnesius ad pontificatum conscendit, item inexploratum nobis est. Demum animadvertendus error in*
C *notis temporis : anno scilicet* 1521, *littera Dominicali F. pridie Kalend. Septembris seu* 31 *Augusti incidebat in sabbatum, non in diem Dominicum, ut habet Fortunius.*

t *Dederunt Decessores nostri utriusque Micheæ prophetæ Vitam ad diem* 15 *Januarii et* 14 *Augusti; sed nulla ibidem mentio de calipodiis ligneis utriusvis prophetæ. Arbitror autem Fortunium alludere velle ad cap.* I, ✓ 8 *Micheæ prophetæ, ubi Samariæ calamitates prædicit et deplorat :* Super hoc plangam, *inquiens*, et ululabo : vadam spoliatus et nudus : faciam planctum velut draconum et luctum quasi struthionum. *Ribera confert hunc locum cum parallelo Isaiæ* 20 *et per* nudum *videtur intelligere* nudipedem, *non secus ac* LXX *interpretes et Chaldæus; licet alii, quos inter Bynæus in speciali opere de calceis Hebræorum* (2), *statuant hic de vestibus laceris sermonem fieri, certamen cum* LXX *interpretibus de significatione vocabuli hebraici*

D *aggredientes. Utut sit, quod Micheas, non secus ac Isaias, aliquando nudis pedibus incesserit, ut signaret Samaritanos nudis pedibus in captivitatem abducendos, non propterea sequitur hunc Micheæ fuisse morem, prout Fortunius insinuat.*

u *Ex his quæ de Coronis Dominicis dicta sunt, apparet* B. Michaelem *peritum nonnihil tractandi fabrilia. Quod itaque digitorum vestigia essent in ligneis calepodiis, non debebatur usuræ, sed quod ipse commoditatis gratia ea insculpisset. Cæterum non est quod tantopere in his adhibendis laudetur beati viri constantia ; quoniam aliquantum assuetis non molestior eorum est usus quam calceorum.*

x *De hoc Samuele, ex genere de Valeriis, Foroliviensi, de quo toties in hac Vita, dictum est num.* 2 *Commentarii prævii.*

y Mogiona, *seu* Moggione, Modiona, *et* Mojona *(his enim modis scriptum reperio) villa seu castrum est territorii Camaldulensis, quod olim reipublicæ Florentinæ subjectum non erat. Huic loco ecclesia parochialis erat sub titulo S. Jacobi* (3).

z *Dux ille Urbinas est Franciscus Maria Roboreus* (della Rovere), *filius adoptivus et successor* E
Guidobaldi I, filius vero fratris Julii papæ II et sororis Guidobaldi ipsius. Uxorem duxerat Eleonoram Hippolytam Gonzagam, viduam Antonii Montaltensis et filiam Francisci II, Mantuani ducis fratrisque Elisabethæ Gonzagæ, quæ ipsa uxor fuerat Guidobaldi I. Contigit autem id baptisma anno 1514 *ante diem* 23 *Septembris, qua Quirinus obiit. Filius autem sacris undis abluendus Guidobaldus II erat* (4), *ex historicis et biographis satis superque notus. Quod Quirinus missus fuerit cum Justiniano, ratio est quod ambo amicissimi essent domui Urbinati, ut ex his quæ in Commentario prævio disputavimus et multo magis ex Annalibus Camaldulensibus passim innotescit. Ex dictis num.* 8 *non minus manifestum est* B. Michaelem *Elisabethæ Gonzagæ notum fuisse jam ab anno* 1507. *Quod autem spectat ad eremitas seu monachos in patrinos seu sponsores assumptos et ad filiastrum monasterii filium factum, effugium videtur id fuisse, quo, quum canonibus vetaretur ne monachi in baptismo sponsores essent, ipsi jam id munus non implerent suo nomine,* F
sed tamquam procuratores monasterii. Cæterum omni fere tempore non ita bene lex illa servata est.

aa *Justinianus Bergomensis, ex monacho Casinensi anno* 1515 *eremita Camaldulensis factus, passim Venerabilis et a pluribus Beatus nuncupatur. Ejus elogium ad annum emortualem* 1563 *exhibent post alios plures Costadoni et Mittarelli* (5).

bb. *In Commentario prævio num.* 1 *de corporis compositione et cultu plura dicta fuerunt. Cæterum juverit hæc confirmare testimonio Mugnotii, qui ad finem libri* 1 *de Eremo Camaldulensi ita scribit :* Quiescunt præterea in eadem sacra Eremo multorum corpora, quorum animæ æterna fruuntur gloria, præcipue tamen aliquorum corpora, distinctis sepulcris recondita, cum veneratione ibidem servantur, qui multis miraculis coruscarunt. *Nomine deinde designat B. Leonardum reclusum tempore Gregorii IX, B. Peregrinum, cujus corpus*

(1) Annal. Camald. lib. LXXI, num. 62, tom. VIII, p. 57.
(2) Pag. 192 et seq., edit. 1715.
(3) Annal. Camald. lib. LXXI, num. 48, tom. VIII, p. 43 et lib. LXXII, num. 22, pag. 78 et alibi sæpius.
(4) Annal Camald lib. LXXI, num. 35, tom. VIII, pag. 33.
(5) Ibid. lib. LXXIII, num. 6, tom. VIII, pag. 120 et seqq.

ad

A *ad aram templi majorem conditum magna tum veneratione servabatur*. Juxta quod corpus, *sic pergit Mugnotius*, etiam Michaelis magnæ sanctitatis viri, cum veneratione servatur... Cujus vitæ sanctitatem referunt hodie calipodei, seu lignei socci, quibus ipse dum erat inclusus, loco calceorum nudis pedibus utebatur; in illorum nempe superiori parte, quæ plantas pedum respicit, earumdem plantarum effigies perinde ac in massa ex diuturno usu impressæ sunt. In cujus rei memoriam sub altari oratorii domunculæ, quam ipse olim occlusus habitabat, merito servantur. *Mirum est Fortunii dicta ita consentire Mugnotianis, licet* D *hæc ei ob opusculi raritatem non præluxerint* (1). *Nolim tamen credat lector magnam valde fuisse pientissimorum eremitarum in sacras exuvias illas venerationem : mirum enim in modum de neglectu earum conqueritur Papebrochius* (2), *prout etiam conquestus fuerat Mabillonius* (3) *de minori cura qua B. Ambrosii Traversarii corpus conditum erat. Quod attinet ad domunculam, de qua loquitur Mugnotius, poteris eam cognoscere ex imagine Camalduli, quæ Annalibus Ordinis, Descriptioni Mugnotii apud Burmannum et Itineri Mabillonii inserta est; ut enim ex dictis num.* 6 *constat, est ultima seriei mediæ domuncularum.*

(1) Act. SS. tom 1 Junii, pag. 372.
(2) Ibid. pag. 371 et seqq.
(3) Iter Italic., tom. I. Mus. Ital. pag. 184.

NOTA 4 ad pag. 9, littera E.

B

DE S. PINITO EPISCOPO

E

CNOSSI IN INSULA CRETA

Hujus Sancti memoria in Martyrologiis.

Hæc *Martyrologii Romani hodierni annuntiatio, primitus deprompta ex capite* XXVII *Catalogi scriptorum S. Hieronymi, apparet jam in Adone, Usuardo et eorum sequace sæculi* X *Martyrologo Fuldensi, edito curis Georgii ad calcem Adonis. Cæteros vero antiquiores Fastorum collectores de* S. Pinito *silere jam notavit Joannes Baptista Sollerius in suo Usuardo, tom. VI Junii.*

NOTA 5 ad pag. 12, littera D.

DE S. QUINTASIO EPISCOPO

ET MARTYRE.

C

F

Hujus Sancti sedes episcopalis et distinctio ab aliis.

Q*uintasii, cujus sedem Mabillonius sibi dicit incognitam, nomen reperitur non tantum in capite Epistolæ Synodi Arelatensi ad S. Silvestrum, verum etiam in elencho cui titulus* (1): Nomina episcoporum cum clericis suis, quinam et ex quibus provinciis ad Arelatensem synodum convenerint. *Porro hic scribitur:* Quintasius episcopus, Ammonius presbyter, de civitate Caralis, provincia Sardinia. *Unde Antonius Felix Matthæjus in Sardinia sacra* (2) *ita habet:* Quintasius episcopus Calaritanus una cum Ammonio presbytero interfuit Concilio Arelatensi I anno CCCXIV adversus Donatistas celebrato. *Additque deinde :* Ex epistolis Concilii Sardicensis liquet Sardiniæ antistites ad eamdem convenisse Synodum anno CCCXLVII habitam, cujus definitiones quoque probasse testis est S. Athanasius. Hos inter dubio procul erat Calaritanus præsul; sed an ille fuerit Quintasius paullo ante laudatus, an alter in ejus locum suffectus, frustra à me diu quæsitum fuit. *In subjecta demum ad imum paginæ marginem annotatione de* Quintasii *nomine refert* : A Fara dicitur Quintus seu Quintius. Quintas, Quintus appellatur in quibusdam codicibus Bibliothecæ Colbertinæ teste cl. Coustant (3). *Atque hæc quidem, quæ Byeum fugerunt, ob oculos habenda sunt, ut de universa ejus ratiocinatione quid tandem judicandum sit, discerni queat. Duos alios Quintasios episcopos recenset in Africa Christiana Stephanus Antonius Morcelli* (4), *alterum Bajanensem, alterum Capsensem provinciæ Byzacenæ, sed utrumque Donatistam, ut proinde neuter Sanctorum catalogo sit accensendus.*

(1) Apud Labbeum, Concil. tom. I, col. 1429 et 1430.
(2) Pag. 70.
(3) In not. ad Epist. Rom. Pont., tom. I, col. 343.
(4) Tom. I, pag. 389.

A

DE S. GEREONE ET SOCIIS

MARTYRIBUS,

COLONIÆ AGRIPPINÆ ET IN EJUS VICINIA

NOTA 6 ad pag. 15, litteris C, D.

De Colonia et Xanto prima et secunda Sanctorum martyrum palæstra.

Sub Diocletiano et Maximiano.

Colonia

Coloniam, Xantum *et* Bonnam, *palæstras sanctorum Martyrum* Gereonis *et sociorum, satis fuse illustravit Byeus. Quum autem post cum alii nonnulli egregii scriptores easdem versarint quæstiones quas ille, nostrum est saltem ea addere quæ accuratius disceptata fuerint. De Coloniensi palæstra brevior est initio Byeus, inferius num.* 39 *ex Gelenio plura dicturus. Opportune tamen hic loci decerpam ex recentiori opusculo descriptionem campi Coloniensis* S. Gereonis *sanguine rigati : videlicet hunc ambitum, qui et S. Gereonis templo adornatur, ita definiri ut complectatur ad occidentem et meridiem totam viciniam usque ad veterem Turrim Romanam (ubi Broelmann et Hillesheim* prætorium militare *collocant), et se porrigat ante vineam jam pridem vulgo* Mordhof *(cædis prædium) dictam et e regione Domus Granorum sitam* (1).

B

et Xantum, palæstræ SS. Martyrum, illustrantur.

2 *Secundus palæstræ locus est* Xantem, *ut jam vulgo scribitur ; de quo oppido tres, qui penes nos sunt, agunt recentiores libri, idemque egregii valde, scilicet :* Vetus et nova archidiœcesis Coloniensis (2), *opera Antonii Josephi Binterim et Josephi Huberti Mooren, parochorum unius in Bilck, alterius in Wachtendonck, Moguntiæ annis* 1828 *et sequentibus edita ; dein* Codex inscriptionum Rheni, *quem anno* 1837 *Dr. Steiner Darmstadii excudendum curavit ; et demum* Monumenta antiquaria oppidi Xantensis (3) *a J. P. Spenrath Ordinis sancti Benedicti digesta et anno* 1837 *a prælaudato Mooren in Fasciculis Crefeldensibus* (4) *edita. In præloquio et ad opusculi finem monet editor ab auctore relictas fuisse partes quasdam historiæ* Xantensis *ecclesiæ, quas ipse fors etiam editurus esset in lucem ; quod an fecerit necne nondum compertum habeo. Utut est, sat multa subministrabunt tria illa opera.*

C

Xanten, cujus vicinia etiam describitur,

3 Xantense *itaque oppidum non procul a Rheno ad sinistram jacet, sibique ad dextram propinquum habet vicum* Birten. *In summitate et declivitate montis, fere Birtinam inter et Xanten jacentis, (huic monti seu colli nomen* Fürstenberg, *olim* Vursteberg, Verseberg *et quibusdam* Varusberg,) *erat olim unum e vetustissimis castellis Rhenanis, dictum a Tacito* Castra Vetera, *seu* Vetera, *bello Batavico destructum, nec deinde restauratum. Ad imum montem ubi nunc Xanten assurgit, condita fuerunt, imperatore Trajano, nova mœnia, quibus nomen* Castra Trajana, Castra Ulpia *et* Tricesimæ, *propter stationem partis tricesimæ legionis. Extra castrorum mœnia domos ædificarunt cives, unde Augusto imperante ortum municipium, quod Spenrath conjicit* Birtinam *esse ; illo vero destructo,* civitas Trajanensis *seu* colonia Trajana, *quæ M. passibus a Veteribus distat et quæ Spenrathio præsens Xanten est. Vicus autem* Alpen, *qui ad meridiem Xanten jacet, et in quo tegularum imbricumque officina erat, legioni Ulpiæ nomen suum fors debet. Præter pontem et portum videtur his in locis fuisse amphitheatrum ad dexteræ viæ militaris, qua Xanto Coloniam itur, proxime scilicet ad Birtinensem ecclesiam ; a vulgo dicitur* S. Victors Loch, *seu* Lager, *id est* S. Victoris cavum, *seu* cubile, *quasi ibidem sanctus Martyr occubuisset ; ast ut scite animadvertit Spenrath, locus martyrii ponendus est potius ad septemtrionem Xanti* in pratis *scilicet et* palustribus locis, *ut Acta habent ; quibus verbis paludes, conventui Hagenbusch proximæ, indicari videntur. Unde forsan et porta Xantensis, qua illuc itur,* Mertpforte *seu* Marterpforte *dicitur. Atque ex his aliquatenus intelligitur distinctio locorum, quæ in Byei Commentario prævio et in Actis occurrunt, eorumque compositio.*

E

olim dicta fuit Troja, ut liquet ex monetis

4 *Sed jam nonnulla de Xantensis oppidi nominibus ; quæ res apud Byeum et Helinandum difficultatem etiam facessit. Civitatem Trajanensem et Coloniam Trajanam dictam fuisse a Trajani tempore jam retulimus. Verum postea etiam dicta fuit* Troja ; *nam ut omittam, quæ Byeus refert, exstat moneta argentea sæculi* XI, *cusa jussu Hermanni Coloniensis archiepiscopi, et Xantense templum exhibens, cum epigraphe SCA TROJA ; altera cuprea anno* 1457 *jussu ducis Cliviensis Joannis cusa, et in cujus antica parte legitur* Joannes Trojanorum rex, *in postica* Moneta Trojæ minoris *cum insignibus Xantensibus* (5). *Alia posteriora omitto.*

F

et verisimiliter etiam ex Cosmographo Ravennate.

5 *Verum operæ pretium est animadvertere cum Spenrathio* (6) *Cosmographum anonymum Ravennatem, de quo toties disputatum est atque etiamnum disputatur, scribere :* Colonia Agrippina — Rongo — Serinna — Novesio — Trepitico — Ascibergio — Beurtina — Troja, *licet altera editio habeat* Traja. *Porro ex hac itineris indicatione manifestum est* Trojam *seu* Trajam *hodiernam oppidum Xanten esse. Etenim si loco inter se mutentur*

(1) Geschichte uber die Erbauung und Stiftung der Kirche zum H. Gereon in Koln, pag. 22, 1824.
(2) Die alte und neue Erzdiozese Koln.
(3) Alterthumliche Merkwurdigkeiten der stadt Xanten.
(4) Geschichtforscher und bewahrer der Alterthumer am Niederrhein
(5) Spenrath, pag. 122.
(6) Ibid. pag. 121 et seqq.

Rongo

A *Rongo et Serinna, necnon Trepitico et Asciburgium, etiamnum eadem via Colonia Xantum pergere licet ad sinistram Rheni, videlicet: Colonia Serinnam seu Segorigam* (Woringen (1)); *hinc Rongum, seu Buruncum* (Burgel (2)); *inde Novesium* (Neuss *seu* Nuys); *post Asciburgium* (Asburg, *viculum inter* Duysbourg *et* Moers *seu* Meurs); *deinde Trepiticum* (Drüpt, *seu* Drüptstein (3); *unde Beurtinam* (Birten); *et demum Trojam seu Trajam* (Xanten). *Jam vero in doctissima epistola de pristino Ms. Bollandiano, cui titulus* Liber Guidonis *et de quo jam prius scripserant Bethmann, Reiffenberg et Schayes, fuse omnia prosecutus ostendit eruditus C. P. Bock* (4) *anonymum Ravennatem floruisse post annum* 667, *sed non multo tamen post; unde sequitur Xanten Trojam sive Trajam dictam fuisse sæculo* VII *adulto. Excipi quidam posset Trojam seu Trajam ita scribi per apocopen loco* Trajanæ; *verum quum certo postmodum Troja dicta fuerit, nonne prudentior erit sententia, si admittatur sæculo* VII *vulgarem jam fuisse hanc apo-* B *copen, eamque proin usui potius communi quam errori Anonymi tribuendam?*

Dictum fuit Xantum *ob cultum Sanctorum; quod tamen nomen*

6 *Quod vero* Xantum *dictum fuerit, dubito omnino nihil quin id cultui Sanctorum debeatur. Etenim res hæc singularis prorsus non est. Habemus scilicet in ipso Belgio vicum quemdam, Hallis Deiparæ propinquum, et qui dictus* Sainctes, Sanctæ, Xanctæ, Xantæ *et* Xantis, *ut in Vita S. Reineldis ad diem* XIV *Julii lector reperiet* (5). *Porro ut Sollerius in Commentario de S. Amelberga num.* 11 *ad diem* X *Julii notat,* Sanctas *a S. Reinelde et Sanctis martyrii sociis nomen traxisse jam pridem memoriæ proditum est; unde etiamnum sæpius dicitur* Sainte-Ernelle, Sainte-Renelle, *etc. Idem dixeris de loco* Sanctis, Sains-lez-Marquion (Arrondissement d'Arras), *de quo Baldericus lib.* 2, *cap.* II *Chronici Cameracensis, et quod Sanctæ Saturninæ Martyri procul dubio nomen suum debet. Ut autem in rem nostram hæc exempla convertamus, oportet hæc componere cum rebus Xantensibus. Juverit itaque hic aliquid excerpere ex ipsis Annalibus Xantensibus, quos ex Musæo Britannico eruit* C *cl. vir Pertz et Monumentis Germaniæ Historicis inseruit. Ibidem autem ad annum* 864 *legitur* (6): Nimia inundatione aquarum pagani sæpe jam dicti *(Nordmanni)*, ecclesias undique vastantes, per alveum Reni fluminis AD SANCTOS usque pervenerunt, et locum opinatissimum vastaverunt. Atque, quod omnibus audientibus et videntibus nimium dolendum est, ecclesiam Sancti Victoris mirifico opere constructam incenderunt igni, omnia quæ intus aut foris sanctuarii reppererunt, rapuerunt. Clerus tamen, et omne vulgus pene aufugit. Sed ipsum censum sanctuarii, postea nimium vesania correpti, ibidem remiserunt. Sanctum vero corpus Victoris prepositus fratrum, equo ascenso et loculo ante se posito, cum solo presbytero Coloniam noctu perduxit in magno periculo, nonnisi meritis Sancti intervenientibus. Guntharius autem iisdem temporibus ibidem rector et episcopus preesse videbatur, nepos scilicet Hildiwini junioris. Predones vero post, perpetrato scelere, haut longe a monasterio insulam quamdam parvam petierunt *(paulo superius scilicet in Rheno)*, ibique munitione constructa, habitaverunt ad tempus. *Atque hæc, quibus constare omnino videtur quo sensu Xantense oppidum olim* Sancti *diceretur, et quibus simul nonnulla ad* S. Victoris *reliquias pertinentia dignoscuntur, ab oculato teste conscripta esse manifestum est omnino, ut jam in præloquio ad hos Annales notavit Pertzius. Hinc porro etiam nonnulla mutanda esse in his quæ* § 1 *Gloriæ posthumæ de elevatione corporis* S. Victoris *Byeus disputat facile deprendet lector.* D

7 *Cæterum usque ad sæculum* XIII *nescio an uspiam* Xantum *scriptum reperiatur.* Sanctas, *non* Sanctos, *lib.* 3, *cap.* 12 *Chronici Cameracensis scribit Baldericus; valuit deinde* Sancten *etiam latine, hinc* Xanten *et* Setten, *atque etiam* Xantum; *quæ omnia fuse prosequi non libet, quoniam satis nobis est pro sanctorum Martyrum gloria ostendisse primam hujus nominis originem cultui* Sanctorum *nostrorum esse debitam. Eadem de causa confutare nolumus quæ in monumentis nota 9 adductis asseruntur, scilicet Trojam seu Xantum dictum fuisse ex sede majorum Francicæ gentis: satis superque illustrata fuit, maxime his temporibus, universa series seu cyclus harum fabularum. Adverti tamen meretur id* oppidum Francorum *dici et in* Niebelungen *sedem Sigismundi et Segelindis regis et reginæ* (7). E

non videtur habuisse ante sæculum XIII.

NOTA 7 ad pag. 16, littera C.

De Bonna tertia Sanctorum Martyrum palæstra.

Bonna, tertia palæstra, etiam dicta fuit Verona.

Tertia demum Sanctorum Martyrum palæstra Bonna *est seu* Verona, *de qua disputat Byeus num.* 7 *et sequentibus Ostendit ille ibidem uno alterove antiquioris scriptoris testimonio utrumque nomen illi olim fuisse civitati. Possent vero nonnulla alia addi documenta; quæ quum facile reperire possit lector in Indicibus Monumentorum Pertzii, non est quod hæc ego hic describam. Satis fuerit adjicere recenseri ab Harzheimio in Historia rei nummariæ Coloniensis monetas sæculi* X, *quibus loco Bonnæ seu Bunnæ inscripta est* Verona (8). *Quæ vero etymologica ratio utrumque nomen conjungat, vel quæ historica mutationi dederit locum, a nemine hucusque proditum reperio, licet disceptarint multi de Bonnæ et Veronæ significatu.* F

Quæritur nonnum an ibidem non essent olim tribunalia

2 *Neque hæc claudere volumus quin lectori ob oculos ponamus sagacissimam conjecturam Binterim seu Mooren, interrogantium more eam proponentium:* Quum, *inquiunt,* Colonia Agrippinæ, Bonna et Vetera Martyres habeant, nonne tribunalium certæ fuere sedes? *Ad quod quæsitum si aiendum sit, lumen aliquod affusum iri nostrorum Martyrum passioni nemo non videt.*

(1) Steiner, tom. II, pag 142.
(2) Ibid. pag. 39.
(3) Spenrath, p. 1.2.
(4) Annuaire de la bibl royale de Belgique, 1851, pag. 167 et seqq.
(5) Vide Act. SS. Belgii, t. IV, p. 612 et seqq. Cfr Index Geograph.
(6) Tom. II, pag. 230.
(7) Cfr. Spenrath, pag. 119 et Binterim et Mooren. tom I. pag. 13.
(8) Cfr. Binterim et Mooren, in cit. op., tom. I, pag. 147

NOTA

A

NOTA 8 ad pag. 30, littera F.

Varia nomina Bertunensis oppidi.

Clarescent forsan nonnihil Byei argumenta, si varia hujus loci hic signentur nomina. Cosmographus Ravennas appellat Beurtinam, *Annales Fuldenses* Biorzunam, *alii autem* locum Biorzune *et* monasterium apud Biorzuna, *item* Birzani, Bierzoni, Biertanam, Birtine, Birte *et nunc demum* Birten; *quæ nominum immutationes suis stabiliuntur monumentis in laudato opere Binterim et Mooren de archidiœcesi Coloniensi* (1). *Certum omnino est aliquandiu celebrius fuisse nomen* Bertunam *seu aliud simile quam* Trojam *seu* Trajam *aut* Sanctos, *siquidem ipsum* S. Victoris *monasterium indicaretur appellatione* monasterii apud Biorzunam; *atque hinc intelligitur quare S. Gregorius Turonensis* Bertunense *oppidum dixerit, potius quam aliud adhibuerit vocabulum. De situ hujus vici dictum est nota* 6.

B

NOTA 9 ad pag. 36, littera E.

De cæde Sanctorum Martyrum, S. Gereonis Ecclesiæ fundatione et Ordinis militaris institutione.

Recitatur Passio SS Gereonis et sociorum pertinens saltem ad seculum XI;

In opere Binterim et Mooren de archidiœcesi Coloniensi, jam supra laudato, plurima ad totam hanc paragraphum pertinentia reperiuntur. Imprimis inseritur ibidem fragmentum desumptum ex codice sæculi XI, *in quo nonnulla de Sanctorum Martyrum cæde et de* S. Gereonis *ecclesiæ fundatione narrantur; quæ quum duobus fere sæculis Helinandi scriptis antiquiora sint, hic omnino referri merentur. Sonant autem in hunc modum* (2) : Apud Agaunum his peractis, invenere primarios milites Cassium et Florentium cum VII aliis... juxta Veronam civitatem in ripa fluminis Rheni considentes, qui eo loco perempti sunt. Gereo cum CCCXVIII sociis in campis Agrippinæ magnæ civitatis carnificis præstolatus est, tortores corpora per campi illius planitiem traxere est in puteum quemdam maximum projecere; monstratur adhuc usque hodie in loco, ubi sanctus Gereo trucidatus est, e sanguine illius spectaculum; et ipse locus ad Martyres ab incolis servat vocabulum. Hæc (3) itaque dum agerentur, cohors, quæ beatum Victorem comitabatur, ad locum cui destinata erat properans pervenit, *ad oppidum Francorum*, quod ex majorum suorum sedibus Trojam sive Cantum (*Xantum*) ibique cum duce suo castra in pratis virentibus posuere, et ibidem pro Christo occisi sunt. Tortores vero Victoris cum CCCXXX sociorum corpora in locis palustribus submerserunt. (Eodem vero tempore) de (4) Mauritania finitimisque regionibus milites ab imperatore propter Gallorum tumultus in Galliam venere, quorum CCC pro fide trucidati cum Gereone et sociis quietem et venerationem perpetuam delegerunt. Postea Constantinus beatissimæ matri suæ Helenæ honorandi et sublimandi sanctorum Martyrum sepulturas jus et facultatem, ipse per omnem pene terram in eodem studio occupatus, dedit. Cujus Deo dignæ matronæ in B. Gereonis monasterio adhuc plura reservantur insignia... Insignem illa neminique prorsus et scientia sermonis explicabilem, et arte operis imitabilem structuræ mirificæ et sublimis erexit ibidem ecclesiam, quam ita metallorum fulgore et artificii varietate decoravit, muris etiam validis excelsisque firmavit, ut nihil supra per omnes illas regiones fuisse, et quod ligneam aliquam et quæ tam facile senio et negligentiæ cedat materiam habuisse legatur. Cum marmoreæ soliditatis ibi tanta copia fuerit, ut opus totum columnarum illius generis firmitudine et pulchritudine fulciretur. Aurei vero fulgoris in ea tantum emicuit, ut musiva foris et intus fulgens elegantia nomen *ad aureos Sanctos Martyres* vulgo sortiretur. *Hæc autem præluxisse Helinando dubitabit nemo, qui contulerit utrumque textum, quum utrobique eædem nonnumquam occurrant dictiones.*

C

D

E

2 *Verum et hanc breviorem Passionem ex alia desumptam esse liquet ex his* : Et quod ligneam aliquam... materiam habuisse legatur. *Et quidem videtur mihi omnino hæc antiquissima Passio penes nos esse in quatuor editionibus Legendæ aureæ; de quibus in tomo VII Octobris mentio facta fuit, quum hinc excerpserimus Passionem S. Eliphii et Vitam S. Lulli. In his scilicet editionibus, quæ ab anno* 1476 *usque ad annum* 1483 *Coloniensibus typis factæ et dein Lovaniensibus imitatæ fuere, libro Petri de Voragine adjectæ sunt Vitæ multæ et Passiones ex Mss. Coloniensibus aut vicinis excerptæ et secundum Mss. exemplaria rite expressæ. In hac autem S.* Gereonis *et sociorum Passione prælibatus locus aliter exprimitur; habet enim* : In hujus autem Gereonis et sociorum ejus honorem fecit postmodum Helena mater Constantini ecclesiam pulcherrimam super eorum corpora miro metallorum fulgore et artificii varietate decoratam, totaque constructa fuisse DICITUR sine lignis vel alia materia quæ facile senio cedit aut negligentiæ. Aurei vero fulgoris emicuit in tantum ut nomen AD AUREOS SANCTOS ab incolis sortiretur. *quæ ipsa ex antiquiore,*

F

3 *Non tamen est quod hanc hic describamus Passionem, quoniam pluribus sæculis post sanctorum Martyrum cædem dubio procul fuit conscripta. Paucis solummodo synopsim exhibebo. Meminit imprimis Maximianum a Diocletiano in Gallias missum ut motus comprimeret; qui cum crescerent, legionem Thebæam, ex* 6666 *militibus constantem et Thebæ*, super Nilum, qui de paradiso egreditur, *sitæ, collectum. Milites, hinc dictos Thebæos, more Orientali a Sancto Zabda Hierosolymitano episcopo suscepisse christianismum et pro fide sua se morituros spopondisse Marcellino papæ; permixtum hunc fidelium et infidelium exercitum, quum* *cujus synopsis datur, deprompta est.*

(1) Cfr Binterim et Mooren, cit. op. Tom. I, pag. 260.
(2) Erzdiozese Koln, tom. 1, pag. 57.
(3) Ibid. pag. 94.
(4) Ibid. pag. 57 et seqq.

Galliæ

A *Galliæ appropinquaret, missum fuisse a Maximiano ad Rhenum, quod ibidem Carausius insidias moliretur; duces additos* Gereonem, Victorem, Cassium, Florentium *atque* Mallusium. *Prodiisse interea Maximiani edictum de sacrificando viritim Diis. Hinc S. Mauritii agmen impiis jussis obluctans decimatum. Missos satellites Veronam* (*Bonnam*), *ab iisque SS.* Cassium, Florentium *et septem alios pro fide trucidatos; mox eamdem obtigisse sortem ab iisque SS.* Gereoni *et* CCCXVII *sociis, quorum* corpora insani tortores cruentantes per campi illius planitiem traxerunt et in puteum quemdam maximum projecerunt. (*Deest hoc loco phrasis quæ in altera Passione et apud Helinandum est :* Monstratur adhuc usque hodie in loco, ubi sanctus Gereo trucidatus est, e sanguine illius spectaculum, et ipse locus ad Martyres ab incolis servat vocabulum.) *Interea cohortem S.* Victoris, ad locum cui destinata erat properantem, pervenisse ad oppidum quod Trojam sive Xantim nominabant; *hos porro etiam numero* 330 *cum* Vi-
B ctore *a satellitibus pro pietate occisos et in locis palustribus submersos. Eodem tempore e Mauritania finitimisque Africæ regionibus navigiis advenisse* Gereonis *turmam, numero* 360, *eosque item trucidatos; quos omnes a Coloniensi ecclesia, a S. Materno ad fidem primum instructa, una die coli, licet dubium sit an una die mortem oppetierint. Sequitur tandem paragraphus de constructione templi S.* Gereonis, *sumptibus S. Helenæ ædificati et de miraculo in gratiam S. Evergisili patrato.*

S. Helenæ sumptibus non videtur exstructa Xantensis et Bonnensis ecclesia;

4 *Ast nec in hac nec in altera Passione ullum omnino verbum fit de ecclesiis Xantensi et Bonnensi a S. Helena exstructis; neque sunt quod sciam ulla monumenta quæ huic faveant sententiæ et simul ad sæculum* XI *pertingant. Unde assentiendum videtur Byeo, neganti hæc a sancta illa imperatrice condita fuisse templa. Utut id est, antiquissima tamen censenda sunt, quum jam ecclesia Xantensis, jam Bonnensis* (*disputatum scilicet sæpe fuit de præcedentia*) *omni tempore primo loco venerint post metropolitanam* (1) ; *deinde antiquissime erant et forte post Coloniam Agrippinæ omnium florentissima oppida,*
C *regimine civili et militari conspicua* (2); *præterea repertum fuit Xanti vetus monumentum Christianum, ad Romanorum, non autem ad Francorum tempora pertinens, scilicet lapis signo Labari inscriptus cum adjectis* A *et* Ω (3) ; *et demum adde in historicis quidem documentis reperiri horum templorum existentiam, constructionem non item.*

ab item Coloniensis,

5 *Jam quod attinet ad S.* Gereonis *templum, observatione dignum est in omnibus Passionibus indubitanter asseri id a S. Helena fuisse ædificatum. Quin etiam in Passione breviori, supra descripta, mentionem fieri aliorum insignium quæ pia Constantini mater huic ædi reliquisset. Quibus addendum templum istud, imperatrice vere dignum, tempore Venantii Fortunati et S. Gregorii Turonensis certo exstitisse. Verum utrum hæc prævaleant adversus argumentum desumptum ex ejusdem S. Gregorii de Helena silentio dijudicent alii; certe cum Byeo non negabimus probationes Coloniensibus præsto esse, sed de solo pondere statuere non lubet.* D

cujus structura superius laudata fuit?

6 *Plura de hoc templo aut de adjuncto monasterio congerere non libet. Qui autem plura desiderat adeat libellum, qui supra ad notam* 6 *indicatus fuit. Videbit ibidem lector quomodo sanctorum Martyrum corpora variis sub altaribus sint collocata et pluribus sua adjecta sint nomina. Quæ quo innotuerint pacto, aut quantam mereantur fidem, intelliget facile lector ex his quæ adversus plures alias absque examine receptas opiniones contulit Byeus.*

Ordo militaris S. Gereonis

7 *Demum supplenda est omissio Byei de ordine equestri S.* Gereonis ; *cujus meminerunt Mennenius, Fovinus, Schoonebeek, Helyot, Quaresmius aliique. Porro Quaresmius ordines recensens militares, infidelibus oppositos, in hunc loquitur modum :* Nono sequitur, *inquit* (4), inter militares ordines Palæstinæ Ordo S. *Gereonis*... Ordo iste, institutus ab imperatore Frederico Barbarossa, vel, ut aliis placet, a Frederico II ex solis nobilibus nationis Germanicæ constabat. Profitebantur E
hujus Ordinis milites regulam S. Augustini, habitum album et crucem plenam nigram deferebant. De isto..... sequens subjicio oculatum testimonium D. Joannis Van den Hoevel, viri multis legationibus et itineribus obitis clarissimi, qui, ut Franciscus Mennenius refert, præter alia ad equestris dignitatis illustrationem a se observata, in Palæstina vidit milites..... S. *Gereoni* sacros, cruce patriarchali (qualis fere est antiqua illa in insignibus Hungariæ) triplici colliculo viridi imposita splendescente.

verisimilius numquam exstitit;

8 *Verum licet ita a plerisque Ordo ille receptus videatur, ut etiam in scholaribus libris* (5) *apud Germanos de eo fiat mentio, nullus tamen dubito quin rerum quarumdam confusioni debeatur et proin mere fictitius sit. Imprimis seponamus hæc omnia quæ nemo negare potest esse deprompta ex imaginandi libidine, non vero ex historicis fontibus. Primo itaque quod dicitur ille ordo regulam S. Augustini sequutus, debemus id Favini cerebro, ut concedit ipse Helyot* (6). *Quod vero asseritur ab imperatore Frederico Barbarossa aut a Frederico II institutus, invenit hæc* (*ut ex Schoonebeek* (7) *colligitur*), F
Elias Ashmole, qui sæculo XVII *exeunte de Ordine Anglicano Garterii scripsit; habitus albus et crux plene nigra, quæ ordinis Teutonici insignia sunt, attributus eis fuit ab eodem Ashmole, qui et subjectum triplicem colliculum viridem eis addidit* (8). *Demum quod capiebat solos nobiles Germanos, apud unum Quaresmium reperio. Omnia itaque de hoc Ordine testimonia rediguntur ad illud unum Joannis Van den Hoevel, toparchæ in Veen et Aurhagen. Ast quis hic fuerit quæret forte lector; nil aliud de eo novi quam quod Franciscus Mennens seu Mennenius, Canonicus Liranus, ei dicavit opus suum, quas Delicias Equestrium Ordinum appellavit* (9). *In hoc porro post editas Templariorum Constitutiones legitur monitum ad lectorem* (10), *quo*

(1) Binterim et Mooren, Erzdiozese Koln, tom. I, p. 95 et passim
(2) Ibid p. 7 et seqq.
(3) Spenrath, Alterthumliche Merkwurgidkeiten, etc., pag. 104
(4) Elucidat. Terræ sanct., lib. II, cap LIX, tom I p. 663.
(5) Dumbeckn Hist. univ. tabulæ, ad annum 1157, p. 34.
(6) Badiche, Dict. des Ord. relig. d'apres Hélyot, tom II, col. 404
(7) Hist. de tous les Ord. milit., tom. II, p 118
(8) Ibid loc. cit.
(9) Paquot. Mémoires, tom. II, p 672, edit. in-fol.
(10) Ap. Janum Gruterum, Chronic. Chronicor eccles tom. II, p. 222 et seqq.

Joannis

A *Joannis Van den Hoevel affinis sui* (1) *insigne encomium capitur, et asseritur ab eo in Oriente observatos fuisse duos Ordines militares, quos ipse in libro suo non commemoravit, nempe S. Thomæ et S.* Gereonis, *prout supra indicavit Quaresmius. Jam vero an illud unum Hovelii, aliunde omnino ignoti viri, vagum satis testimonium sufficiat, ut alias incognitus Ordo militaris seu qui semel tantum ab uno viro visus fuerit, credatur exstitisse lectori dijudicandum relinquo.*

Nec Ordo Cruciferorum Hungarorum, quorum confusus traditur.

9 *Insuper manifestum est omnia quæ de hujus Ordinis institutore et insignibus Ashmole disserit, (si excipias triplicem colliculum viridem insignibus additum), ad equites Teutonicos pertinere. Contra Helyotus, testimonio Hovelii de insignibus motus, æstimat hunc ordinem eumdem esse ac Cruciferorum Hungarorum, quos in Annalibus ecclesiasticis Hungariæ P. Melchior Inchoffer a S. Stephano rege institutos et insignibus regiis (cruce nempe patriarchali cum tribus colliculis) adornatos affirmavit. Verum enimvero quis alius umquam de Cruciferis* B *Hungaris mussitavit verbum? Et quidem ipse Helyotus animadvertit tempore quo S. Stephanus vixit neminem adhuc de ordinibus equestribus cogitasse; conjicit ipse tamen postea ordinem forsan institutum fuisse, cujus equites crucem a Silvestro II papa submissam regi præferrent. Ast Stiltingus, qui fuse de hac cruce disserit* (2), *ne hilum quidem hac de re habet. Quibus addam et reliquos, quos penes me habeo scriptores Hungaros, similiter de ordine isto silere; adeo ut et hic Ordo militaris Hungaricus omittendus videatur; quod et fecit ipse Helyotus.*

Exeunte sæculo XVIII *Coloniæ institutus fuit Ordo honorificus.*

10 *Utut id est, anno* 1785 *Maximilianus Franciscus, Coloniensis archiepiscopus et ultimus S. R. I. elector, genuinum ordinem S.* Gereonis *instituit in gratiam canonicorum S.* Gereonis *capituli. Insigne vero referebat ex antica parte S.* Gereonis *effigiem, ex postica S. Helenæ, et ex vitta serica violacea dependebat* (3). *Periit vero ordo cum ipso capitulo.*

C

NOTA 10 ad pag. 41, littera E.

De concilio Agrippinensi anni CCCXLVI.

De *Euphratæ damnatione, adeoque de Concilio Agrippinensi anni* 346, *in quo a sede sua defuisse fertur, latius agitur in Commentario historico-critico de SS. Sanctino episcopo et Antonino ad diem* XI *Octobris* (4).

D

NOTA 11 ad pag. 49, littera C.

De capite S. Gereonis.

N*escio qua hallucinatione hic præoccupatus fuerit Cornelius Byeus, vir accuratus, imo et minutiarum scrutator, quando ex allato textu deducit, caput S.* Cassii *sive integrum sive ex parte Assisium delatum fuisse, quum potius citata scriptura contrarium indicet; nam clare edicit* unum caput de legione Sanctorum Thebæorum Martyrum *donatum fuisse, quibus verbis primicerii* Gereon *et* Cassius *excluduntur. Quinimo infra pag.* 55, *num.* 50, *auctor noster idem prodit de S.* Gereone, *quatenus ejus caput Assisii fuisset depositum, quum tamen citatus textus de* uno *solum capite pronuntiet.*

NOTA 12 ad pag. 57, littera F. E

I*n ea quæ hac paragrapho non secus ac in fine ipsius Commentarii prævii tanguntur, animadversiones nonnullæ propositæ fuerunt in Nota* 9, *quas hic loci præ oculis habuisse forsan juverit.*

NOTA 13 ad pag. 60, littera F.

L*ocus iste olim dictus* Dungo, *nunc* Donck, *situs in pristino Hasbaniæ pago, in præsentiarum vero ad decanatum* Herck-la-Ville *pertinens, celeber est cultu Beatæ Mariæ Virginis, quæ pro fœcunditate et felici partu ibidem maxime invocatur. Wichmannus, Tungerloënsis abbas et pientissimus scriptor, in suo Sabbatismo Mariano refert hujus religionis initia ad sæculum* VIII. *Et quidem profert Miræus* (5) *diploma ad annum circiter* 746 *spectans, quo Robertus Hasbaniæ comes monasterio S. Trudonis* tradidit supradicto in pago Hasbaniensi locum quemdam qui dicitur DUNGO, cum basilica F inibi constructa, quam ipse proprio labore ædificarat in honore B. Mariæ et S. Petri, S. Joannis et S. Servatii et S. Lamberti. *Rodulphus, ineunte sæculo* XII *S. Trudonis abbas et Gestorum suorum decessorumque scriptor, meminit a se locum hunc nonnihil fuisse auctum, ibique a se* præter ecclesiam, domum constructam fuisse et horreum, claustrulumque satis aptum compositum juxta ecclesiam et duos constitutos fuisse fratres, qui Deo et M. Mariæ servirent.

(1) Paquot, Mémoires, loc. cit.
(2) Act. SS. Tom. I Sept., p. 510 et seqq.
(3) Geschichte der Kirche zum H. Gereon, p. 26.
(4) Acta SS. Tom. V Octobris, pag. 594 et seqq.
(5) Opera diplomat., tom. I, pag. 493.

DE

A D

DE S. CLARO EPISCOPO CONFESSORE

NANNETE IN BRITANNIA ARMORICA

NOTA 14 ad pag. 61, littera F.

Lectiones propriæ de Sancto in Breviariis Nannetensi et Briocensi.

In Proprio Sanctorum diœcesis Nannetensis, quod anno 1782 *auctoritate Joannis Augustini de Fretat de Sarra, episcopi Nannetensis, editum fuit, quarta tantum inter novem lectiones historicam de S.* Claro *notitiam continet, desumptam, ut ibi annotatur, ex Breviario Nannetensi manuscripto, ex Historia seu Catalogo Episcoporum Nannetensium, Lobinæo, Moricio et novis Vitis Sanctorum ex Anglo, scilicet ex Albano Butler. Ea lectio ita se habet :* Clarus, circa annum ducentesimum octogesimum, sub Probo imperatore, « a Romano Pontifice ad Galliæ partes missus, ut verbum Dei prædicaret, ipso ducente, in Britanniam minorem pervenit, et urbis Nanneticæ primus factus est episcopus. » Quo zelo fuerit accensus videns idololatriæ deditam civitatem ; quot labores et pericula subierit ; quæve signa ac miracula patraverit, ut a simulacris ad veri Dei cultum patres nostros adduceret, minus testantur historiæ scriptæ, quam uberes sinceræ pietatis fructus, qui sæculis sibi succedentibus superstites, annuntiant quantæ virtutis ac meriti fuerit, qui populum a fide alienum et cæcis servientem desideriis, transtulit in lucis supernæ claritatem, et de potestate Satanæ ad Deum. Constans opinio fuit in diœcesi Venetensi, illum ibi vita functum fuisse et sepultum. Sed anno octingentesimo septuagesimo octavo, ob barbarorum e septemtrione profectorum incursus, sacræ ejus reliquiæ Andegavum translatæ sunt, et in ecclesia S. Albini depositæ, ubi etiamnum asservantur, sola fere excepta calvaria, qua gaudet ecclesia cathedralis Nannetensis. Festus Sancti Pontificis dies, magno fidelium concursu, in capellæ ipsius visitatione, celebratur. *Extat eadem lectio, sed in duas divisa, paucis tantum vocibus immutatis, in Breviario Lucionensi ad annum* 1836 *edito. Proprium vero Briocense, anno* 1783 *excusum, ita res S.* Clari *enuntiat :* Clarus tertio creditur vixisse Ecclesiæ sæculo. Vir cœlesti doctrina eruditus, ad Galliæ partes missus est verbum Dei prædicaturus ; quo in opere Deodatum diaconum habuit adjutorem. Is in Britannia minori agrum Nannetensem Sanctorum Donatiani et Rogatiani cruore jam fœcundatum veræ Religioni acquisivit ; primusque habetur Nannetum episcopus. Alios quoque in Armorica populos ad veri cultum perduxisse dicitur præsul sanctissimus. Tandem emenso feliciter evangelicæ prædicationis stadio, virtutibus fulgens sanctisque operibus prope innumeris plenus quievit in Domino. Sacrum ejus caput Nannetibus in basilica Sanctorum Petri et Pauli servatur ; corpus vero ipsius, ne furentibus Normannis violaretur, anno octingentesimo septuagesimo octavo Andegavum translatum est, ibique in ecclesia Sancti Albini repositum magna veneratione colitur.

B E C F

NOTA 15 ad pag. 63, littera A.

De ætate S. Clari.

Ut Papebrochius, a Byeo num. 4 *citatus, existimabat stari posse traditioni secundum quam* S. Clarus *circa annum centesimum venerit in Galliam ; ita etiam pridem Henschenius eam non putavit plane rejiciendam, prout ex illis verbis Commentarii prævii de SS. Donatiano et Rogatiano* (1) *colligere est :* Quibus temporibus octo primi episcopi dictæ Ecclesiæ *(Nannetensi)* præfuerint, non satis constat : putantur S. Clarus et Ennius primo Christi sæculo floruisse, et tertius S. Similianus sub Diocletiano. Fidem certo ibidem Christianam sub ethnicis imperatoribus fuisse plantatam, docemur ex martyrio SS. Donatiani et Rogatiani fratrum ; quorum prior baptizatus fuerat, quod alteri non contigit ob Sacerdotis, forte Similiani, in persecutione fugitivi absentiam. *Prævaluit tamen apud recentiores opinio, quæ nunc etiam in Officiis ecclesiasticis passim proponitur,* S. Clari *ætatem recentiorem esse ; ac nonnullis quidem videtur is ipse esse sacerdos qui S. Donatianum baptizaverit et non multo post ad declinandam persecutionem ex civitate sua excesserit* (2) ; *quem S. Similianum fuisse scribit Albertus Legrand* (3). *Verum Lobineau* (4) *verisimilius autumat eo tempore quo laudati Sancti fratres martyrium subiere, nondum degisse apud Nannetes episcopum, sed simplicem presbyterum, illuc a S. Gatiano episcopo Turonensi missum ; ita ut* S. Clarus *Roma ad eas Galliæ partes non ante venerit quam Constantius libertatem inibi fecerat Evanglii prædicandi, Quæ autem in hanc*

(1) Tom. V Maji. p. 279.

(2) D. L. Miorcec de Kerdanet, in nova editione operis Alberti Legrand, Vies des Saints de la Bretagne-Armorique, p. 281, not. 1 ; De Garaby, Vies des Bienheureux et des Saints de Bretagne, Saint-Brieuc, 1839, p. 251 ; Guépin, Hist. de Nantes, 2ᵉ édit. pag. 9 et 10.

(3) Pag. 281, 282, 308 et 309 novæ editionis, D. L. Miorcec de Kerdanet.

(4) Vies des Saints de Bretag., nouv. édit., par M. l'Abbé Tresvaux, Paris, 1836, p. 13 et seqq.

A *hanc rem affert argumenta, ex eo fere desumpta quod S. Rogatianus ob sacerdotis absentiam caruerit Baptismi Sacramento, haud magnam vim habere fatebitur quisquis ob oculos habuerit antiquorum de Baptismo per episcopos administrando sententiam; ex qua nonnumquam accidit ut, absente episcopo, præsentibus licet presbyteris et diaconis, multi morerentur non baptizati* (1). *Accedit quod S. Donatianus Confirmationis quoque Sacramentum, utique ab episcopo, videatur accepisse; quod satis innuit hæc ipsius pro fratre ad Dominum Jesum Christum precatio* (2): Sit famulo tuo Rogatiano pura fides donum Baptismatis; et ei si contigerit crastina die nos feriente gladio interire, sanguinis effusio fiat ei chrismatis Sacramentum. *Secus enim eccur non dixisset:* Sanguinis effusio fiat nobis chrismatis sacramentum? *Itaque jam tunc episcopi præsentia gavisos fuisse fideles Nannetenses, non est cur negetur. At, inquit Lobineau* (3), *si apud Nannetes tunc temporis episcopus aliquis erat, saltem indubitatum est hoc fortunium non nisi paulo ante illi*
B *civitati obtigisse; quandoquidem vix ulli fideles tunc ibi erant, clerus vero nullus. Sed numerum fidelium fuisse exiguum hic auctor gratis asserit; et cleri omnis defectum non aliunde deducit quam quod nemo S. Rogatianum baptizaverit: quod argumentum iis quæ supra indicavimus, eliditur. Atque ex hactenus dictis lectores nostri satis intelligent nos non ita facile in eorum concedere sententiam, qui, ut Ecclesiæ Nannetensis, sic aliarum quoque per Gallias Ecclesiarum traditionem de missis ad se per duo prima sæcula episcopis tamquam fabulosum commentum explodunt: quamquam plures eorum regionarios potius episcopos, quam certis civitatibus cathedrisque addictos fuisse arbitramur. Id tamen in hac annotatione latius non evolvemus, alibi forsitan in Opere nostro, ubi res feret, hoc præstituri. Ad extremum addemus assequi nos non potuisse unde R. D. De Garaby acceperit, quod absque vade affirmat,* S. Clarum *obdormisse in Domino anno* 309. *Circa locum vero ubi Sanctus obiit, hæc describit verba Josephi Mahé canonici Venetensis:* Videtur ante principatum Conani Meriadeci Veneticus
C ager pertinuisse ad diœcesim Nannetensem: unde explicatur quomodo S. Clarus mortuus sit Raguiniaci. *Sumpta hæc esse putamus ex Tentamine de antiquitatibus Morbihanensibus* (4), *quod dictus Mahé Veniti anno* 1825 *in lucem emisit, sed a nobis visum non fuit.*

NOTA 16 ad pag. 64, littera B.

De Festis S. Clari.

Q*uod ad diem festum* S. Clari *apud Nannetenses attinet, is quidem in Proprio Sanctorum diœcesis Nannetensis anno* 1782 *edito non amplius fixe est dies* x *Octobris, sed Dominica huic proximior,* juxta Mandatum Illustrissimi ac Reverendissimi Archiepiscopi et Episcoporum Provinciæ Ecclesiæ Turonensis circa festa, 8 Maii 1780, *ut in Calendario hujus Proprii dicitur. Ritus vero inibi assi-* D *gnatur duplex secundæ classis, idque sine octava; dum festum SS. Donatiani et Rogatiani, utpote primariorum civitatis ac diœceseos Patronorum, fixe diei* XXIV *Maii sub ritu duplici primæ classis cum octava addicitur. Cujusmodi distinctio pariter in Proprio Briocensi anni* 1783, *cernitur inter festos dies S. Brioci* I *Maii et S. Guillelmi Dominica proximiore diei* XXIX *Julii; quorum ille primus, hic secundus est Patronus. Hodie vero, suppressis per Concordatum anni* 1801 *plerisque festivitatibus extra Dominicas occurrentibus, alium morem circa Patronos colendos in Gallia obtinere, notius est quam ut a nobis explicetur. De Andegavensi autem cultu recte contra Lobineau observat Byeus ex veteri Calendario (quod adhuc præ manibus habemus)* S. Clari *depositionem a monachis S. Albini celebratam fuisse* x *Octobris, quod quidem fiebat ritu annuali cum octava; item translationem SS. Albini et* Clari XXV *Octobris; sed addere potuisset die* I *Martii, ubi in eodem Calendario signatur* Depositio Beatissimi Albini Ep. And. ac Patroni nostri atque translatio corporis ejusdem *sub ritu annuali* E *celebranda, etiam adjungi commemorationem* translationis S. Clari Ep. Nan.; *nec non in Litaniis abbatiæ S. Albini statim post sanctos Martyres primum S. Albinum, secundum* S. Clarum *fuisse nominatos. Porro circa translationem modo memoratam, de qua nihil Byeus retulit, juvat hic latina facere, quæ ad vitam* S. Clari *ab Alberto Legrand conscriptam adjecit Cl. Miorcec de Kerdanet* (5): Alia, *inquit*, SS. Albini et Clari translatio facta fuit Calendis Martii 1128 a Gerardo episcopo Engolismensi et S. Sedis in Gallia legato. Locata fuere ambo Sanctorum antistitum corpora ad latera majoris altaris ecclesiæ abbatialis, pari utrimque alitudine. Utrumque suam seorsum habebat capsam, quatuor circiter pedes longam, ex argento inaurato, eodem plane artificio eodemque ab artifice confectam. Magnis innitebantur columnis cupreis. Reædificato altari majori circa annum 1750, sese ex adverso respiciebant duo hæc reliquiaria, ex quibus illud S. Albini a latere epistolæ consistebat. Erat eadem in ecclesia sacellum sancto Britonum Apostolo sacrum. F *Translationi anni* 1128, *quam ad eumdem annum, sed nominato solo S. Albino, annotavit auctor Chronici S. Albini Andegavensis* (6), *una cum Legato Apostolico interfuisse Hildebertum Turonensem, Guidonem Cenomanensem, Ulgerium Andegavensem, Hamelinum Redonensem et Briccium Nannetensem episcopos, præsente quoque Fulcone comite cum filio suo Gaufrido, scribit Mabillonius in Annalibus Benedictinis* (7).

NOTA 17 ad pag. 65, littera B.

S. Clarus noster non est confundendus cum S. Claro presbytero ac martyre.

A*nimadvertit R. D. Tresvaux* (8): Non attendens Lobineau vetus Breviarium Leonense

(1) Cfr Nardi, dei Parrochi vol. I, cap. VI, p. 419 et seqq.
(2) Acta SS. Maji, tom. V, pag. 284.
(3) Loc. cit. pag. 15.
(4) Essai sur les Antiquités du Morbihan.

(5) Op. cit., pag. 622, not. 1.
(6) Apud Labbe, Nov. Biblioth. Tom. 1, pag. 277.
(7) Lib. XXXV, num. 18, pag. 156, et 157.
(8) Op. cit., tom. I. p. 18, not. 1.

non

A non esse aliud quam Parisiense usibus illius ecclesiæ accommodatum, ibique inveniens officium alicujus S. Clari ad diem IV Novembris, de sancto Nannetensi episcopo agi arbitratus est; huncque adeo confudit cum S. Claro presbytero ac Martyre in pago Vilcassino. In eumdem errorem labitur, quum allegat Litanias Sanctorum veteri Breviario Briocensi adjectas; ubi pariter pro primo Nannetensium antistite sumit Sanctum Martyrem homonymum. Titulus Martyris quoque datur S. Claro in Statutis ecclesiæ Tutelensis anni 1320, et simul dicitur corpus hujus sancti Martyris ibi quiescere. In charta donationis quæ anno 900 eidem ecclesiæ, tunc monasticæ, facta fuit, asseritur in ea sepultos esse sanctos Confessores Laudum et Clarum; anno vero 1486, die XIII Novembris, instituta ibi fuit confraternitas sub S. Clari honore ac nomine. At nusquam in hisce documentis dicitur Sanctum illum Clarum fuisse Nannetensem episcopum; dumque festum S. Clari apud Armoricanos agitur X Octobris et B Andegavi I Octobris, antiqui libri ecclesiæ Tutelensis natali S. Clari assignant I Junii et translationi ejus XXVIII Maii. Attamen Baluzius in Tutelensi Historia eum qui ibi colitur Clarum primum Nannetensium episcopum esse contendit, cujus corpus Andegavo Tutelam fuerit translatum. Bollandiani, qui hanc quæstionem ad examen revocarunt tomo quinto Octobris, opinionem Baluzii habent ut parum admodum probabilem. *Imo vero omni eam probabilitate carere existimamus, spectatis præsertim iis quæ in Nota superiore de conservato apud Andegavos* S. Clari *corpore in medium attulimus. Advertimus tamen Baluzium* caput S. Clari cum aliquot ossibus *patriæ suæ vindicare, non vero* corpus, *ut minus accurate scribit eruditus cononicus Parisiensis.*

NOTA 18 ad pag. 66, littera A.

De capite S. Clari; contra oculorum morbos invocatur.

C Caput S. Clari *in cathedrali basilica servari asserebat vetustius Proprium Nannetense, uti et Briocense anni* 1783 ; *sed in Nannetensi Proprio* D *anni* 1782 sola fere calvaria *ibi esse dicitur. Atque id jam dixerat Albertus Legrand* (1) : In ecclesia cathedrali Nannetensi, *inquiens*, habetur calvaria S. Clari, capiti argenteo inclusa. *Mirum vero est nihil meminisse Albertum Legrand, ut notat Cl. Miorcec de Kerdanet* (2), *de Sancti annulo in eadem ecclesia servato, de quo antiqua lectio ait :* Ad cujus annuli contactum multis sanitates conferuntur ægrotis ; *additque lectio Proprii Leonensis :* Eo enim dono perpeti a Deo clarificatus promicat, ut qui divinæ veritatis lucerna, dum inter mortales ageret, a tenebris infidelitatis ereptas humanas mentes lumine divinæ agnitionis et gratiæ irradiavit, corporeos oculos caligine offusos gratæ lucis restauret aspectu. *Quod autem scribit Saussayus in Appendice Martyrologii Gallicani* (3) : S. Clarus, cujus caput adservatur condigno cultu in sacello juxta parœcialem ecclesiam de Reguiny Venetensis diœcesis, ubi creditur Clarus esse Nannetensis, *haud putamus veritati consonum : quandoquidem nullus alius nobis occurrit scriptor qui caput* S. Clari *Raguiniaci esse* E *dicat ; sed* quædam, *inquit Albertus Legrand* (4), in ecclesia parochiali Raguiniacensi habentur ejus reliquiæ, quarum attactu, uti et aquæ qua eæ lotæ fuerint, solamen quotidie accipiunt ægroti, speciatim ii qui male affectos habent oculos. *Ex hisce et iis quæ paulo ante ex lectione Leonensi de annulo Sancti descripsimus, concludere licet* S. Clarum *ut specialem patronum contra oculorum morbos invocari ; quod satis probabiliter ex ipso ejus nomine derivandum est : quemadmodum ad suum S. Clarum pluvioso tempore recurrere consueverunt Tutelenses, quia per eum, ut loquitur Bernardus Guidonis* (5), clara et serena tempora dantur (6) ; *ac S. Mommolenus, præpeditis linguis medebatur, ut apud nos in Commentario prævio ad Vitam ejus notatur* (7), *orta hac in eum pietate ex analogia nominis ejus cum verbo theotisco* mommelen (*non* mommolen, *ut typotheta perperam posuit*). *Plura, si vacaret, ejusmodi rei specimina afferre possemus ; quorum unum sit, quod socius hanc meam notam relegens mihi modo suggerit, fere simile* F *praxi jam laudatæ Tutelensium, esse scilicet in Belgio nostro, ubi cereus in honorem S. Claræ virginis accendi soleat pro aeris serenitate lotricibus impetranda.*

(1) Op cit., pag 622.
(2) Ibid. not. 2.
(3) Pag. 1221.
(4) Loc. cit.

(5) Apud Labbe, opere jam citato, Nov Biblioth Mss. tom I, pag. 632.
(6) Cfr Baluzii Dissertatio pag. 8, 22 et 23
(7) Tom. VII Octobris. p. 979

DE

A

NOTA 19 ad pag. 86, littera B.

DE S. CERBONIO EPISCOPO CONF.

VERONIÆ IN ITALIA.

De ætate Sancti Cerbonii.

Joannes Baptista Biancolini in suis Notitiis ecclesiarum Veronensium statuit (1) S. Cerbonium *medium fere inter Syagrium, ad quem S. Ambrosius epistolas binas, nempe* 5 *et* 6, *alias* 46 *et* 47, *direxit circa annum* 380 (2), *et Servum*
B *Dei, qui anno* 504 *Concilio Romano sub Symmacho Papa subscripsit* (3). *Etenim Syagrius ibidem notatur inter Veronenses antistites tamquam nonus*, Cerbonius *tertius decimus, Servus Dei vigesimus : proindeque Sanctus noster medio fere sæculo quinto Veronensem cathedram occupaverit. Verum postea laudatus Biancolini recedere visus est a sua chronotaxi, quando septennio post editum supra laudatum volumen, eamdem duplici dissertatione retractavit. In eo scilicet opusculo ad trutinam revocat dissertationem Mauri Sartii, e congregatione Camaldulensi* (4), *qui in monasterio suo Classensi prope Ravennam proprius examinaverat casulam sive altaris pallam historiatam, quam in Indice Historiæ Ravennatensis verbo* Diptycha *jam indicaverat Joannes Baptista de Rubeis* (5). *In ea autem palla ex serico argenteo, verbis utor Joannis de Rubeis, contexta præter Angelos Michaelem et Gabrielem, binosque Martyres Veronenses Firmum et Rusticum, quorum Acta dedere Majores nostri ad diem* IX *Augusti* (6), *visuntur imagines et nomina triginta quinque episcoporum Veronensium, qui ante Caroli Magni tempora floruerunt : eorum enim recentissimus Sigibertus, ut constat ex charta ecclesiæ S. Mariæ in Solario* (7), *data* die XV mensis Magii anno E
regni Ratchis primo, indictione duodecima, *seu anno Christi* 744, *cathedram Veronensem tenebat. Inter hos porro* 35 *antistites nullus occurrit Cerbonius, atque istiusmodi silentium, si de integritate pallæ constaret, validissimum præberet argumentum contra existentiam* S. Cerbonii *Veronensis : quocirca sunt nonnulli critici, qui putant unum Cerbonium Populoniensem in duos divisum, erroremque derivant ex eo, quod pars Reliquiarum Populoniensis episcopi Veronam olim fuerit translata, sed utrimque conjecturæ conjecturis eliduntur. Id tamen fecit, ut Biancolini in supra laudata dissertatione, quum nesciret definire tempora tredecim episcoporum Veronensium, inter quos* S. Cerbonius *noster, eosdem ordine Alphabeti seriatim posuerit* (8). *Hæc dicta sunto, ne nimium Ughello fidamus.*

(1) Notizie stor. delle chiese di Verona, pag. 167
(2) Ambros. Opp. t. V, col. 479. edit. Venet. 1781.
(3) Labbe, t. IV Conc., col 1377.
(4) Cfr Ziegelbauer. Centifol. Camald. p. 39.
(5) Grævii Antiq. Ital. Tom. VII, vol. I.
(6) Act. SS. t. II Aug. pag. 414.
(7) Biancol. Notiz. p. 100.
(8) Biancol. Vescovi di Verona. p. 22.

C F

DE S. CERBONIO EPISCOPO CONF.

IN ILVA HETRURIÆ INSULA.

NOTA 20 ad pag. 89, littera F.

De Reliquiis S. Cerbonii apud Parisienses asservatis.

Theca reliquiaria, olim in Parisiensi ecclesia principe asservata, erat pyramis ex argento deaurato, ad cujus basim stabant duo Apostoli, fastigium vero imaginibus Christi e cruce pendentis, B. Mariæ Virginis et S. Joannis Apostoli ornabatur. Istæ Reliquiæ in altari maximo exponebantur sub Sacro conventuali in hac festivitate, seu XVII *Octobris. Quo die Parisienses canonici, depositis indumentis æstivis, habitum hyemalem induebant* (1).

(1) Descript. de l'Egl. de Paris, p. 276 et 431.

NOTA 21 ad pag. 101, litteris A B.

Indicatur situs quorumdam locorum C. Byeo ignotorum.

In agro Populoniensi est rivulus nomine Cornia, *qui in mare Tyrrhenum e regione Ilvæ insulæ influit, ad cujus ostium est locus hodie* Torre di

Sale

A Sale *Turris Salis appellatus, qui apte Salinolas exprimit, ut videre est in Atlante Europæo, mappa 77, quam edidit Cl. Philippus Vander Maelen, de re geographica optime meritus. Pari ratione quod infra scribitur annotatione* e, *ignota esse* Montis Gaudii *et* Prati Neronis *nomina, accuratum non est. Nam quoad Montem Gaudii attinet, ille etiam Mons Malus vocatus fuit, ut probat Vita Paschalis II a Cardinale de Aragonia conscripta* (1), *in qua legitur Papa imperatori Henrico V obviam misisse in* Montem Gaudii, qui et Mons Malus dicitur, D *viros primarios : hodie* Mons Marii, *vel lingua vernacula* Monte Mario *appellatur* (2) ; *et in conspectu Urbis* haud procul a monte Vaticano *extenditur, quod apprime narrationi nostræ convenit. Similiter* Prati Neronis *exstat memoria in pratis jacentibus, ut ait Alexander Donatus in Roma Veteri et Nova* (3), *inter molem Adriani et Pontem Milvium, adeoque non longe a monte Vaticano, ubi Vigilius Papa degebat.*

(1) Muratori, Script. rer. Ital. t. III, col. 361.
(2) Severano, Mem. delle VII chiese, pag. 182.
(3) Græv. Thes. Antiq. Rom. t. III, p. 721.

DE S. PAULINO ARCHIEPISCOPO

EBORACI IN ANGLIA.

B

NOTA 22 ad pag. 104, littera B.

Ecclesia S. Paulini nomine insignita.

Ad *antiquum* S. Paulini *cultum illud etiam spectare videtur quod ecclesia Lincolniensis, quam ipse ædificaverat, nomine ipsius, adjuncto* Sancti *titulo, insignata fuit usque ad tempus quo Normanniæ duces regium Angliæ solium occuparunt ; ut testatur Radulphus de Diceto, de S. Honorio Cantuariensi archiepiscopo in hunc modum loqui ordiens* (1) : Honorius consecratus est a Paulino Eboracensi archiepiscopo in urbe Lincolniæ in ecclesia, quæ modo dicitur S. Pauli, sed temporibus Anglorum dicebatur S. Paulini. *In Roffensi vero ecclesia, postquam sub Gundulpho episcopo sæculo* XI *a monachis teneri cœperat, splendidum evasisse Sancti antistis cultum, vel inde patet quod, ut antiquæ chartæ in novo Monastico Anglicano adductæ perhibent* (2), rex Henricus *hujus nominis primus* concessit monachis unam feriam omni anno celebrandam duobus diebus integris in civi-
C tate Rovecestra, id est, ipsa die festivitatis sancti Paulini et priori die ante festivitatem, et totum theloneum quod inde eveniet quietum cum omnibus consuetudinibus feriæ tam extra civitatem quam infra ; *quam concessionem Henricus II in charta confirmatoria donationum ejusdem ecclesiæ his verbis commemorat* (3) : Totum thelonium duorum dierum planarie nundinarum festivitatis S. Paulini, cujus corpus in eadem ecclesia S. Andreæ quiescit ; quæ eis dedit et confirmavit Henricus rex avus meus. *Circa recentiorem vero S. Paulini cultum, de quo nihil dixit Fonsonus, notari potest ad calcem Breviarii monastici quod Campidoni sæpius prodiit, et cujus editiones duas annorum* 1685 *et* 1707 *præ manibus habemus, Officium Sancti hujus ritu semiduplici reperiri inter Officia propria Ordinis S. Benedicti recitanda ab aliquibus Benedictinorum Congregationibus. Hodie vero in toto Angliæ regno Officium cum Missa de* S. Paulino *ritu duplici recitatur ad diem* x *Octobris ab* E *utroque clero sæculari et regulari.*

NOTA 23 ad pag. 104, littera D.

Inter *recentiores scriptores, qui in Actis* S. Paulini *elucidandis cum laude versati sunt, nominandus etiam est Albanus Butler, orbi catholico notissimus ; neque prætereunda Vita* S. Paulini *quæ edita fuit anno* 1844 *inter Vitas Sanctorum Angliæ* (4) *concinnatas a viris doctis illius nationis in sanctam Ecclesiam catholicam propensis, cujus in gremium non pauci ex iis se postmodum præclaro exemplo receperunt. Ad rem nostram præterea faciunt annotationes quas ad versionem anglicam Historiæ ecclesiasticæ Venerabilis Bedæ, factam anno* 1723 *a Joanne Stevens, sed a se emendatam et iteratis curis editam, adjecit J. A. Giles, collegii Corporis Christi Oxonii olim socius* (5), *qui non ita pridem novam quoque omnium Bedæ Operum latinam editionem in lucem emiserat.*

F

NOTA 24 ad pag. 106, littera B.

Aliquæ partes hujus fabricæ, *inquit laudatus Giles* (6), repertæ fuere sub choro hodiernæ cathedralis ecclesiæ Eboracensis, quando hanc instaurari necesse fuit propter incendium stolida mente inibi excitatum a Jonathane Martin. In primo fasciculo Historiæ ædificii metropolitanæ ecclesiæ Eboracensis, auctore Brown (7), videre est ichnographiam templi a S. Paulino exstructi ; ubi indicatur et locus quem probabiliter occupavit baptisterium ligneum, quo loco etiamnum superest aquæ fons.

NOTA 25 ad pag. 106, littera D.

Duisburgi *quoque, vulgo* Dewsborough, *ad Calderum fluvium in occidentali parte comitatus* Ebor-

(1) Hist. de archiep. Cantuar. apud Warthon, Angliæ Sacræ part. II, p. 679.
(2) Monast. Anglic. tom. I, p. 169. London, 1817.
(3) Ibid. p. 177.
(4) Lives of the English Saints nº VI. London, 1844.
(5) The ven. Bedes ecclesiastical history of England, etc. London, 1849.
(6) Op. cit. p. 97.
(7) Brown's History of the edifice of the metropolitan church of S. Peter, York.

A *Eboracensis testatur Camdenus* (1) *olim crucem extitisse cum hac inscriptione :* Paulinus hic baptizavit et celebravit.

NOTA 26 ad pag. 107, littera E.

Quædam a S. Paulino in episcopatu gesta supplentur.

Addi potest, quod Fonsonum fugit, S. Paulinum, *posteaquam Roffensem ecclesiam administrandam suscepisset, Glastoniam aliquando venisse et ædem sacram illic reparasse, ut tradunt citatæ ab Alfordo* (2) *Antiquitates illius loci, dum ita ferunt* (3) : Anno gratiæ 625 S. Paulinus Roffensis præsul, ante archiepiscopus Eboracensis, tertius a Justo, quem consecravit S. Augustinus, venit Glastoniam ; ubi non modicæ tempus perendinans, muros vetustæ ecclesiæ ligneo tabulatu construi fecit, et extra a summo usque B deorsum in terram plumbo cooperiri. Et sic illud sanctum oratorium in eadem factura usque ad combustionem ejusdem ecclesiæ perduravit. Egit nimirum prædicabilis viri solertia ut nihil decederet sanctitati et plurimum accederet ornatui. *Ad quæ animadvertit Alfordus :* Non placent omnia quæ hic dicuntur : in anno sine dubio peccatum est ; nam sexcentesimo vigesimo quinto consecratus fuit Paulinus Eboracensis, non Roffensis episcopus. Et eo anno e Cantio Eboracum cum Ethilburga discessit, nec potuit Glastoniam divertere aut moras ibi nectere, qui reginam comitabatur, magnis votis ab Edwino expetitam. Sed bene potuit ex Eboracensi provincia redux et Roffensis antistes vel hoc vel sequenti anno Glastoniam invisere, omni ævo sanctitatis sanctuarium. Quare legerem potius in illius loci Antiquitatibus : « Anno gratiæ 635 Paulinus Roffensis » etc. Tunc enim potuit, « non modicum tempus ibi perendinans, » muros vetustæ ecclesiæ ligneo tabulatu construere. Nam prius muros e virgis fuisse contextos « asserit majorum tradi- C tio, » inquit Malmesberiensis (4). Et revera lignei muri manserunt usque ad celeberrimæ ecclesiæ combustionem, hoc est, usque ad Henrici regis tempora eo nomine primi. Nam Inas rex anno 704 ecclesiam illam intellexit, quum privilegio subscribens dixit : « Actum publice et con- » firmatum in lignea basilica, anno Domini 704. » Et iterum Canuti regis tempore simile privilegium scribitur, atque ita subscribitur : « Scripta » est ejus privilegii donatio et promulgata in li- » gnea basilica, sub præsentia regis Cnutonis, » anno ab Incarnatione Dominica millesimo tri- » gesimo secundo. » Quæ omnia in Glastoniensi ecclesia scripta esse, quam Paulinus construxit, dicam infra suis locis. *Duo hæc privilegia legere est apud eumdem Alfordum ad citatos annos* (5), *et in novo Monastico Anglicano* (6), *in quo insuper* D *refertur diploma* (7) *quod anno* 745 *Cudredus rex* propriæ manus munificentia altario sacro commendavit in lignea basilica, qua fratres abbatis Hengisili sarcofagum osrtiuntur. *Quod autem novum Monasticum Anglicanum* (8) *ex Collinsono* (9) *perhibet* S. Paulinum *Glastoniæ demoratum fuisse circa annum* 630, *eoque adeo tempore quo Eboracensem adhuc occupabat sedem, minus equidem probabile existimo propter satis magnam distantiam quæ est Eboracum inter et Glastoniam ; dum e contrario celebre hoc monasterium a Roffensi civitate non ita procul abest : quo accedit quod in adductis ab Alfordo verbis* S. Paulinus *dicitur* Roffensis præsul, ante archiepiscopus Eboracensis. *Quare Alfordi conjecturam, annum nempe* 635 *ibi esse legendum, admittere malim ; quam approbasse etiam videtur recens Vitæ* S. Paulini *scriptor Anglus, dum ait* (10) : Non videtur Roffæ semper constitisse ; sed forsitan aliis quoque in partibus, tanquam spiritualis aliquis vicarius, curam episcopalem exercuerit. Apparet quippe eum non exiguum tempus Glastoniæ transegisse ; ubi cra- E titios veteris ecclesiæ parietes dejiciendos, novosque ex solidis tabulatis plumbo contectis exstruendos curavit. *Scriptoribus hactenus allegatis circa commorationem* S. Paulini *Glastoniæ consentit Richardus Gough* (11), *citans Malmesburiensem et Historiam Glastoniensem, sed tempus hujus commorationis indeterminata tantum locutione designans.*

NOTA 27 ad pag. 107, littera F.

De epitaphio et lipsanotheca S. Paulini.

Sequens epitaphium, priori S. Paulini *sepulcro inscriptum, ex Joanne Weever* (12) *exhibet novum Monasticum Anglicanum* (13) :

Siste gradum, clama, qui perlegis hoc epigramma,
Paulinum plora, quem subtraxit brevis hora
Nobis per funus : de præsulibus fuit unus, F
Prudens, veridicus, constans, et firmus amicus ;
Anni sunt rati Domini super astra regentis
Quadraginta dati quatuor cum sex quoque centis.

De scrinio autem cui reliquiæ ejusdem Sancti intra novam ecclesiam Roffensem, curantibus B. Lanfranco Cantuariensi et Gundulpho Roffensi antistitibus, sæculo undecimo fuerunt honorifice inclusæ, en quid referat Edmundus de Hadenham, enarrans lites inter Gilbertum de Glanvilla episcopum et monachos Roffenses ineunte sæculo decimo tertio exortas (14) : Hoc tempore magna fuit perturbatio in Ecclesia Roffensi ; cujus occasione prior et conventus multa bona, una cum argento quo Lanfrancus feretrum S. Paulini decoraverat, in placito inter eos et episcopum vendiderunt. *Quæ*

(1) Britanniæ, tom. III, pag. 5 versionis Richardi Gough.
(2) Annal. Eccles. Anglo-Saxon. ad an. 634, tom. II, pag. 232.
(3) Antiq. Glast. fol. 44.
(4) Malmesb, apud Usser., fol. 1055.
(5) Tom. II, pag 445 et 446 ; tom. III, pag. 503.
(6) Tom. I, p. 25 et 44.
(7) Ibid. pag. 42.
(8) Ibid. pag. 2.
(9) Collinson's Somerset, vol. II, p. 241.
(10) Lives of the English Saints, n° VI, p. 17.
(11) Ad Camdeni Britanniam, tom. I, pag. 58, not. *x*.
(12) Ancient funerall monum., etc. London, 1631, p. 310.
(13) Tom. I, pag. 154.
(14) Annal. Eccl. Roff. ad an. 1214, apud Whartonum, Angl. Sacr. part. 1, pag. 346.

jactura

A *jactura num subsecutis temporibus fuerit aliquando reparata, certo assequi non potuimus. Sæculo vero decimo sexto inter luctuosas Ecclesiæ Anglicanæ perturbationes lipsana* S. Paulini *aut destructa aut saltem ex æde Roffensi sublata fuisse, ex eo conjicimus quod Richardus Gough* (1), *dum funebria septem catholicorum episcoporum monumenta inibi etiamnum extantia enumerat, de illo* S. Paulini *omnino silet.*

NOTA 28 ad pag. 110, littera B et pag. 112, littera C.

De quorumdum locorum situ.

Lmingense *cœnobium (de quo in annotato* d) *ab Ethelburga S. Edwini vidua anno* 633 *conditum in honorem Beatæ Virginis Mariæ et S. Mildredæ, initio a monialibus, postmodum vero a monachis habitatum, demum circa sæculum undecimum*
B *a Danis subversum fuit; ex quo tempore possessiones ejusdem ad Cantuariensem ecclesiam Christi pertinere cœperunt* (2).

Villa regalis, *quam juxta Doroventionem (de quo hic annotatione* k) *sitam fuisse docet Beda,* videtur, *inquit Giles* (3), non procul a Romano oppido Derventione abfuisse, prope Stanford-Bridge, septem octove ab Eboraco milliaribus. Nunc vicus est Alby dictus, id est, vetus habitaculum, juxta quem rudera antiqui castelli etiamnum conspiciuntur. *Eumdem vicum* Auldby *appellari ait Camdenus* (4), *qua scriptione clarius patet nominis etymon.*

Amnis Idle, *quem reperiri a se non potuisse Fonsonus (annotatione* o) *profitetur, nomen suum tribuit vico* Idleton, *alluensque East-Redfort aliaque loca comitatus Nottinghamensis, se tandem in Trent fluvium projicit* (5).

Scribendum non erat Godmundin Gahan, *sed* Godmundingaham *sive* Godmundingham, *quod nomen ex compositione sua* locum protectionis divinæ *significat, hodie vero* Godmanham *vel* Good-
C manham *dicitur, in orientali parte agri Eboracensis (anglice* Harthil Wapentake, East Riding of York); *uti videre est apud Alfordum* (6). *Camdenum* (7) *ac Giles* (8), *qui refert etiam illa verba Stukeley* : Paulinus Apostolus ædificavit templum parochiale Godmundham, ubi extat fons in quo is sacerdotem idolorum Coifi baptizavit.

De castro quod lingua Anglorum Tiovulfingacestir *vocatum fuisse Beda (num.* 22) *testatur, nihil annotavit Fonsonus. Camdenus eodem loco situm fuisse conjicit* (9) *ubi nunc est oppidum Southwell; quum vetus traditio sit, uti refert etiam Tannerus* (10), *ecclesiam collegiatam hujus oppidi in honorem B. Mariæ Virginis a* S. Paulino *extructam esse;*
D *atque exinde patrocinium ejusdem ecclesiæ fuisse penes archiepiscopos Eboracenses, qui insigne ibidem palatium habuere. Porro, ut animadvertit Alfordus* (11), male conjectavit Joannes Spedus structam ibi a Paulino ecclesiam circa annum Domini 635. Ille enim tunc in Cantio profugus, non in Northumbria aut Coritanis erat.

NOTA 20 ad pag. 112, littera F.

Aliqua J. B. Fonsoni Annotationibus adjuncta.

R*estat ut ad ipsas quoque Fonsoni Annotationes aliqua adjungamus. Ac primum quidem circa* Caturactonium *sive* Catarractonem *advertit Gough* (12) *Anglo-Saxonicum hujus loci nomen esse* Getriht *vel* Getereht tune, *quasi latine dixeris* Cataractam vicum *aut* oppidum : *quippe vetus* tune
E *idem erat quod Anglis hodie est* town. *Unde perperam, transpositis vocibus, Camdenus legit* vicum juxta Cataractam, *ubi Beda scripsit* juxta vicum Cataractam; *quod confirmatur ex alio Historiæ ecclesiasticæ loco, ubi de* vico Cataractone *Beda iterum loquitur* (13). *Viculi nunc superstitis, quem Giles* Catterick *hodie nominari ac versus septemtrionem agri Eboracensis (in* Gilling-East Wapentake, North Riding of York) *jacere docet* (14), *descriptionem dat Camdenus* (15), *illud præ cæteris notans, militarem Romanorum viam, transmisso fluvio Swala, illic in duas abire.*

De Campo-Dono *varii varia opinantur, neque hoc nomen uno modo omnes apud Bedam legunt. Camdenus* (16) Cambodunum *intelligit, quod in Antonini Itinere Britanniarum memoratur; atque hoc nomen apud Ptolemæum perperam vocari* Camulodunum, *a Beda vero scribi* Campo-dunum *(quod latine* Collem campi *aut* Collem castrorum *vertere possis, Anglis hodiernis* Castle-Hill) : *hunc autem locum esse haud procul a Caldero amne, juxta viculum nunc* Almondbury *vel* Almonbury *dictum,*
F *corrupto nomine pro* Albanbury, *eo quod* S. Paulinus *illic basilicam Deo in S. Albani honorem dedicaverit. Cui Camdeni sententiæ subscribit recens* S. Paulini *biographus Anglus* (17), *eamque communiter recipi Butlerus affirmat* (18). *Verum Watsonus* (19), *observans loci a Beda designati nomen ab Alfredo rege in Historiæ ecclesiasticæ paraphrasi anglo-saxonica reddi per* Donafelda (feld *autem, hodie* field, *significat* campum), *ac si reipsa Beda scripserit disjunctis vocibus* campo Dono, *ut in nonnullis editionibus legitur, contendit eum fuisse locum ubi nunc est oppidum* Doncaster, *tum propter nominum analogiam, tum etiam quod non longe inde distat Heathfeld sive Hatfield, ubi S. Edwi-*

(1) Ad Camdeni Britanniam, tom. I, p. 232.
(2) Cfr Gough, ad Camdem Britanniam, tom. I, p 218; et nov. Monast Anglic., tom. I, pag. 452.
(3) Op. cit. p. 84.
(4) Op. cit. tom III p. 13.
(5) Cfr Camden et Gough, tom. II p. 284 et 292.
(6) Ad an. 626, num 16, tom II, p. 220.
(7) Op. cit. tom. III, p. 14 et 70
(8) Op. cit p 96.
(9) Op. cit. tom II, p. 284.
(10) Notit. Monast., pag 399 apud Gough tom cit., p 289, et nov. Monast. Anglic. tom VI. pag. 1312.
(11) Ad an. 628 num. 3, tom. II, p. 222
(12) Ad Camdeni Britanniam, tom. III, pag. 24, not i et k
(13) Lib. III, cap. XIV, tom II Operum, pag 310, ed Giles.
(14) Op. cit p 98.
(15) Op cit tom III, p. 24 et 25.
(16) Ibid p. 4 et 5
(17) Lives of the English Saints, n° VI. p. 11
(18) Lives of the Fathers, etc., tom X, pag 217, editionis Lond., 1844
(19) Apud Gough, op. cit., tom. III, p. 36 et 38.

A *nus rex anno* 633 *mortem in prælio oppetiit : quare a campo* Dono *prorsus distinguit* Cambodunum, *quod Horsleyus inter Greetland et Stainland collocat, Watsonus vero ipse in Slack prope Stainland. Videtur tamen opinioni Watsoni objici posse nomen saxonicum oppidi* Doncaster *fuisse, ut Camdenus perhibet* (1), Donacester, *deductum ab amne* Don *seu* Dane, *addita voce* cester *ex latina* castrum. *Demum a Camdeno ac Watsono dissentiens Gale, ut Butler* (2) *et Giles* (3) *annotant, autumat* Donafelda *esse* Tanfield *prope Ripon in comitatu item Eboracensi situm.*

Præterea observat Giles monasterium in silva Elmete *probabiliter extitisse ubi nunc est* Berwick-in-Elmett (in Skyrack Wapentake, West Riding of York), *locus olim castro regum Nordhumbrorum insignitus* (4); *item civitatem Dunwich agri Suffolciensis, vix non totam aquis marinis absumptam, jam dudum sede episcopali caruisse* (5), *at superesse tamen memoriam S. Felicis episcopi in nomine* Felixtow, *quo gaudet vicus in ora maritima*
B *Suffolciæ situs : addere potuisset* Flixton *sive* Felixton *aliaque loca a S. Felice, ut adstruit Camdenus* (6), *denominata.* D

NOTA 30 ad pag. 113, littera B.

De insigni regali vocato Tufa.

Q*uæ de voce* Tufa *a scriptoribus variis disputata fuere* (7), *superfluum putamus ea in medium hoc loco adducere : quum res confici satis videatur illo Joannis Lydi, quod et in correcto nuper et aucto Facciolati Lexico allegatur* (8), *testimonio, cujus en latinam interpretationem* (9) : Thuscis vero et Sabinis a Prisco Tarquinio rege postea bello devictis, additæ sunt regiæ potestatis insignibus lanciæ longiores, numero pariter duodecim, spiculis carentes et promissis jubis (ἠωρημένας λοφιάς *vocat Lydus)* ornatæ, quas Romani jubas, Barbari autem nonnihil corrupta voce tufas vocant. E

(1) Tom. cit., pag. 3.
(2) Loc. cit.
(3) Loc. cit.
(4) Cfr Camden, tom. cit., pag. 6; Gough, ibid. p. 45; Nov. Monast. Anglic. tom. VI, p. 1626.
(5) Cfr Camden et Gough, op. cit., tom. II, p. 76, 87 et 88 ; Nov. Monast. Anglic., tom. III, p. 404.
(6) Tom. cit. pag. 77.
(7) Cfr Alferdus, ad an. 629, num. 4 et 5, tom. II, p. 224, citatus in Act. SS. Octobris, tom. VI, pag. 118 ; Du Cange, Glossar. Græc. voce τοῦφα, et Glossar. Lat. voce *Tufa*.
(8) Lex. Facciolati, edit. Schneeberg. 1831, voce *Tufa*.
(9) J. Lydus, de Magistrat. P. R., lib. I, cap. VIII, p. 127, in Corp. Script. Hist. Byzant., Bonnæ, 1837.

NOTA 31 ad pag. 114, littera C.

DE S. TECLECHILDE VIRGINE

PRIMA ABBATISSA JOTRENSI

IN GALLIA

C

Status hodiernus monasterii Jotrensis et S. Teclechildis reliquiarum.

J*otrense monasterium, sicut reliqua corpora ecclesiastica et laica, decreto comitiorum nationalium Galliæ, dato* V *aprilis* 1792, *suppressum, posthodum subhastationi objectum fuit. Hodie ecclesia abbatialis et major ædificiorum pars destructa fuerunt, solum remanente domo abbatissæ in privatas ædes conversa* (1). *Non videtur tamen impiorum furor attigisse Reliquias* S. Theodechildis, *in crypta, sita in cœmeterio ecclesiæ parochialis hodiernæ, ab antiquo tumulatas. Nam in Lexico topographico, anno* 1821 *edito, hæc leguntur latine reddita* (2) : *In antiquo cœmeterio parochiæ* F *Jotrensis est sacellum, in quo plura sunt sepulchra antiquarum abbatissarum, præcipue* S. Theodechildis *et S. Ozannæ, reginæ Scotiæ. Quotannis feria* III *Pentecostes fit solemnis supplicatio cum Reliquiis Sanctorum, per incolas servatis : qua occasione celebrantur nundinæ frequentissimæ, quum numerus præsentium ad decem millia capitum ascendat : ab immemoriali tempore semper eadem est populi frequentia. Hactenus lexicum, a nobis citatum. Cryptæ ichnographiam exhibet Castellanus in suo Martyrologio universali* (3). *Ex Kalendario cleri gallicani anni* 1851 *discimus virgines sacras Ordinis S. Benedicti jure postliminii Jotrum rediisse* (4) : *utinam vestigiis Sanctarum indigetum ita insistant, ut bonum Christi odorem ubique spargant !*

(1) Pascal. Hist. topogr. et polit. du départ. de Seine-et-Marne, t. I, p. 521.
(2) Oudiette. Dict. topogr. du départ. de Seine-et-Marne. V° *Jouarre*.
(3) Martyl. univ. pag. 761.
(4) Almanach du Clergé de France, pour l'année 1851 p. 370.

NOTA

A D

NOTA 32 ad pag. 123, littera F.

DE S. TANCHA VIRGINE MARTYRE

IN CAMPANIA GALLIÆ.

Docte et compendiose agit de cephalophororum familia collega noster, Victor De Buck, ad diem XVI Octobris in Commentario prævio Vitæ S. Bononiæ num. 9 (Acta Sanctorum T. VII Octobris, pars posterior, pag. 819.) Atque licet animadvertere S. Tanchæ palæstram ad eum Galliæ tractum pertinere, ubi frequentiora de cephalophoris narrantur prodigia.

NOTA 33 ad pag. 125, littera C.

DE S. NUNCIO CONFESSORE

B E

IN COMITATU NAMURCENSI.

Status hodiernus reliquiarum S. Nuncii.

Interrogati parochi hodierni Gemblacensis et Walciodorensis de statu Reliquiarum S. Nuncii, responderunt nihil hodiedum superesse authenticum. Et quidem R. D. Lebrun, Decanus parochus Gemblacensis, litteris datis XII aprilis 1851 rescribit in Gemblacensi ecclesia non alias Reliquias authenticas superesse, præter sacra lipsana S. Cæciliæ : porro asservari quidem istic Reliquias, sed non satis legitimas; quapropter in collecta festiva sanctorum Patronorum additur, quorum corpora et reliquiæ in hoc loco continentur. Cæterum Reliquiarum S. Nuncii nemo umquam mentionem facit. Quoad vero ecclesiam Walciodorensem attinet, respondit R. D. Dufour, parochus in Flavion, die XXI Maii 1851, se adivisse Walciodorum, illicque in tabulato ecclesiæ reperisse cistam veterem, ossibus plenam, quibus tamen qualiscumque sinceritatis nota deerat; unum superesse dentem S. Forannani, cujus Acta a Majoribus data sunt sub die XXX Aprilis (Acta Sanctorum, T. III Aprilis pag. 814.); adeoque et istic perdita esse ossa S. Nuncii ; nam presbyter quidam, istius olim monasterii religiosus, testatur Sanctorum Reliquias, regnante impia turba circa finem sæculi proxime elapsi, dispersa et conculcata fuisse in pavimento ecclesiæ, et postea ab incolis collecta. Tandem S. Nuncius nullo amplius cultu gaudet in Namurcensi diœcesi, ut patet ex Proprio, edito juxta decretum hodierni antistitis, datum die XX Februarii anni 1841.

F

C

NOTA 34 ad pag. 133, littera F.

DE S. VENANTIO EREMITA

IN ARTESIA BELGII PROVINCIA.

Status hodiernus reliquiarum S. Venantii.

Quod præsentem statum Corporis et Reliquiarum S. Venantii attinet, interrogatus a nobis R. D. Fenet, hodiernus oppidi parochus, rescripsit litteris XVI decembris 1851, nihil detrimenti aut mutationis accepisse corpus Sancti ex impietate, circa finem sæculi XVIII dominante. Verum si hactenus res salvæ sunt, major habetur difficultas, ex eo quod omnino incertam habeant Venantiopolitani possessionem Sancti sui patroni. Nempe, ut refert laudatus D. Fenet, et habetur in Breviario Audomaripolitano anni 1785, ad diem XI Octobris: Anno millesimo septingentesimo quinquagesimo sexto, diruta capella, quæ in medio fori a longo jam tempore exstructa erat, corpus illius (S. Venantii) sub altare repertum fuisse creditur, capite ad meridiem, pedibus ad septemtrionem versis ; indeque ad ecclesiam parochialem, suo insignitam patrocinio et nomine, translatum, ubi cum honore debito asservatur. Ast, ut scribit laudatus parochus, istiusmodi translationis

A *lationis aut factæ dein visitationis nullum exsistit instrumentum qualecumque ; quin et prædecessor hodierni parochi, nonagenario major vita functus, numquam aliquid de corpore* S. Venantii *rescivit. Quocirca : aut corpus, anno* 1756 *inventum, episcopo Audomaropolitano, tamquam verum corpus* S. Venantii, *probatum non fuit, et tunc ejusdem auctoritate decenter quidem, sed non splendide in parochiali compositum fuit ; aut si fuerit probatum, tunc obrutum fuit ruina ecclesiæ, anno* 1808 *collapsæ, et sub ruderibus adhuc delitescit. Priori sententiæ favent verba citati Breviarii, scilicet corpus sub altari repertum,* credi *esse* S. Venantii ; *posteriori vero alia verba, nempe* cum debito honore asservari, *quod de falsis aut dubiis Reliquiis non facile dicetur. Cæterum sæpedictus parochus epistolam suam concludit fatendo et incertum esse utrum Venantiopolitani corpus patroni sui adhucdum possideant, et hodie nullatenus sciri, si quidem in oppido requiescat, ubi ad hunc usque diem delitescat.* D

DE S. JOANNE CONFESSORE

IN DIŒCESI EBORACENSI IN ANGLIA.

NOTA 35 ad pag. 135, littera C.

B *Novum Monasticon Anglicanum* (1) *tabulam exhibet qua pars hodie superstes ecclesiæ prioratus Bridlingtoniensis repræsentatur, chartasque novemdecim ad eumdem prioratum spectantes producit. De eodem aliqua notavit, qui Camdeni Britanniam anglice vertit et auxit, Richardus Gough* (2) ; *quum Camdenus nil nisi nomen oppidi Bridlingtoniæ protulisset, adjecto indecoro in S.* Joannem *scommate* (3).

NOTA 36 ad pag. 136, littera A.

Annus emortualis S. Joannis ejusque memoria in Martyrologio Canonicorum Regularium.

Annus 1366, *quo S.* Joannem *obiisse scribit auctor Florarii a Fonsono allegati, is ipse annus*
C *est quo Sanctus, die* XIII *Julii, Præpositum cœnobii Bridlingtoniensis agere cœpit, uti videre est in catalogo Præpositorum, qui exstat in novo Monastico Anglicano* (4). *Nomini autem successoris ejus Guilielmi de Newbold, adscribitur* XX *Novembris* 1379.

Porro inter Fastos sacros quibus S. Joannis *annua memoria inserta legitur, mirum est omissum fuisse a Fonsono Martyrologium Sanctorum pro Canonicis Regularibus, quod cum pluribus aliis religiosorum Ordinum Martyrologiis exstat ad calcem editionis Martyrologii Romani a Benedicto* XIV *summo Pontifice auctæ et castigatæ. In eo quippe sequens Sancto texitur elogium :* In monasterio Bridlingtoniensi Sancti Joannis, confessoris, inter clericos regulares admirandæ virtutis viri, atque in ejusdem monasterii præfectura vigilantia ac mansuetudine celebris.

NOTA 37 ad pag. 137, littera C. E

Commentario prævio Fonsoni hæc ex Tannero (5) *de S.* Joannis *scriptis adjicere visum est, notatu non indigna :* Scripsit *Carmina vaticinalia,* lib. III. Lib. I continet 7 capita, II 10, III 12 « Febribus infectus requies. » Ms. bibl. Bodl. Digby 89 cum comment. Johannis Erghom. Et Ms. Digby 186 cum glossa. Erghom ita de his carminibus inquit : « Prima distinctio continet accidentia Angliæ a principio hujus Prophetiæ pro tempore regis Edwardi de Carnarvon usque ad præparationem belli de Crecy commissi A. C. MCCCXLVI. Secunda distinctio continet accidentia Angliæ ab A. C. MCCCXLVI per XVI annos usque ad secundam mortalitatem factam A. C. MCCCLXI. Tertia distinctio continet accidentia Angliæ usque ad finem prophetiæ » (sc. circa A. MCCCCV.)... *Alios versus vaticinales,* lib. I. « Taurus cornutus ex primo. » Ms. bibl. Bodl. NE. E II 17 f. 21. Meminit quorumdam Carminum vaticin. Br. Twyn. Pr. « Beware of the flesh ; flee. » *Homelias,* lib. I. *Super Psalterium, cum Canticis, Symbolo Athanasii et Oratione Dominica.* Ms. olim in bibl. monast. Sion. An autem nostri Johannis fuerit, an alius, non constat. F

NOTA 38 ad pag. 142, littera B.

Hertylpole *est oppidum maritimum, hodie* Hartlepool *dictum ; videturque esse locus ubi olim fuit* monasterium quod, *teste Beda* (6), nuncupatur Heruteu, id est, insula cervi : quod videlicet monasterium factum erat, *ut idem Sanctus historiographus refert* (7), a religiosa Christi famula Heru, quæ prima feminarum fertur in provincia Northamhumbrorum propositum vestemque sanctimonialis habitus, consecrante Aidano episcopo, suscepisse (8).

(1) Tom. VI, p. 284 et seqq.
(2) Tom. III, p. 77.
(3) Ibid. pag. 15.
(4) Loc. cit.
(5) Biblioth. Britannico-Hibernica, p. 425
(6) Hist. eccl. lib. III, cap. XXIV, tom. II Operum, p. 356, ed. Giles.
(7) Ibid. lib. IV, cap. XXIII, tom. III Op. pag. 102.
(8) Cfr. Camden, Britannia, t. III, p. 104, Giles, Bede's ecclesiastical history, in not. ad pag. 151 et 212.

A

DE S. FRANCISCO BORGIA

SOCIETATIS JESU CONFESSORE

ROMÆ.

NOTA 39 ad pag. 152, littera A.

Diffitendum sane haud fuerit multa esse quæ in Vita Roderici Borgiæ, qui ab anno 1492 *ad annum usque* 1503 *sub Alexandri VI nomine Cathedram Petri obtinuit merito reprehendantur. Animadverti tamen debet hæc nimis fuisse a malevolis scriptoribus exaggera-*
B *ta, quos mira facilitate ac nescio qua credulitate secuti fuere auctores posteriorum temporum, non dico hæretici solum, quod nemo mirabitur, sed catholici etiam, vel inter ipsos qui de historia ecclesiastica scripserunt. Huic rei occurrendum ratus presbyter aliquis Societatis Jesu egregie eruditus, ante aliquot annos nonnulla congessit quæ ad calumnias plurimas ab Alexandri VI memoria abstergendas spectarent; sed nuper scripsit nobis, quod dolendum est, chartas quibus sua de his inventa et excogitata consignaverat, inter itinera, ad quæ adactus fuit per nuperas Societatis in Italia calamitates, a se fuisse amissas : quæ utinam aliquando reperiantur ac luce etiam publica donentur ! Interim lectores nostros remittimus ad Historiam Leonis X conscriptam gallice a nuper defuncto Audin, cui jam laudatus nostræ Societatis sacerdos præcipua ad Alexandri VI famam vindicandam argumenta anno* 1842 *suggessit* (1). *Consuli quoque potest: Dissertatio de charactere Lucretiæ Borgiæ, quam Vitæ item Leonis X a se conscriptæ adjunxit Roscoe Anglus, et*
C *cujus summam suæ Historiæ ecclesiasticæ inseruit D. Rohrbacher* (2) ; *historiaque ejusdem papæ Alexandri VI a Chantrel nuperrime conscripta.*

NOTA 40 ad pag. 155, littera D.

Originem tumultuationis et calamitatis Valentinæ refert Joseph Emmanuel Minana in continuatione Historiæ Hispanicæ Joannis Marianæ lib. I. *cap.* V. *Nempe Valentini nobiles, nisi rex Carolus adesset coram, conventumque gentis haberet, in ejus verba se juraturos negabant. Nec Adrianus Belga, postea summus Pontifex sub nomine Adriani VI, ast qui tunc summa cum potestate universis Hispaniis præerat, quum ut procerum flecteret animos, Valentiam profectus fuisset, quidquam profecit. Nobilibus itaque infensus, plebi data a rege gestandi arma impunitatem confirmavit, seque centuriandi adversus Mauros, quotidianos hostes :* quod, *ait historicus*, magnæ cladis initium fuit. *Pergit deinde*
D *historicus narrare rebellionem Valentinam* : Jacta, *inquit*, superiore anno (1520) nefariæ seditionis semina pullulabant in magnum malorum proventum. Eruperat in nobiles vetus plebis odium, potius quam in principem contumacia, atque eo processerat, ut non iniretur ratio discordiæ mitigandæ..... Urbanorum artificum octo millia sub signis erant, facta a principe potestate se, ut diximus, centuriandi. præpostero sane consilio et reipublicæ noxio. Creaverant sui corporis XIII E viros..... Institutam hæteriam, quam Germaniam appellabant, germanitatem scilicet, jurejurando sanxerunt plebiscitis circumscriptam. Permissa omnia temeritati erant. *Ex hactenus dictis satis liquet, quam acerbum, infensum et crudele fuerit istud bellandi genus, cui Borgiana gens implicita erat.*

NOTA 41 ad pag. 179, littera C.

Recte quidem oppidum Horrio idem esse ac Orio locum, juxta fluviolum homonymum, suspicatus est Jacobus Bueus. Orius rivus per Durangum fluvium sub Flaviobriga (Bilbao) in mare influit. Hæc civitas media jacet inter Elguetam villam ad Orientem et Durangum ad Occidentem, ut in mappis videre est, distantque ab invicem sex circiter kilometris, seu sesqui leuca gallica.

F

NOTA 42 ad pag. 180, littera B.

Casa-Reginæ (Casa de la Reyna) *oppidum est, ubi nunc sunt sacræ Virgines Ordinis S. Dominici, quæ Clarissis, alio, ut infra num.* 129 *dicitur, migrantibus, successere. Rioja nomen derivatur a fluvio Oja, cujus dextero margini Casa-Reginæ insidet : habetur hæc provincia, teste Minano in Lexico topographico Hispaniæ verbo* Rioja, *tamquam totius Hispaniæ negotiosissima. Porro fundationis Casæ-Reginæ, paucis post annis exstinctæ, tenuis remansit memoria, siquidem Waddingus, accuratus rerum Ordinis Minorum scriptor, ne verbo quidem hoc monasterium tangit, ipse qui per annos singulos singulas cœnobiorum utriusque sexus fundationes describit; et quum sub anno* 1541 § XI *celebrat gentis Borgianæ, ac imprimis S.* Francisci *in Ordinem Minorum merita refert Sancti nostri opera et consilio a Joanna Austriaca, Caroli V filia conditum*

(1) Hist. de Léon X, t. I, cap. VI, p. 109 et seqq., cap. XI, p. 203 et seqq. edit. Lovan. 1846.

(2) Hist. univ. de l'Eglise cathol., tom. XXII, liv. LXXXIII, § 1, p. 291-293, edit. Leod. 1847.

A *conditum fuisse Matriti parthenonem excalceatorum, eique præfectam* Borgiæ *amitam ; ast nullam Casæ-Reginæ, quod ad rem maxime faciebat, mentionem facit. Porro Casa-Reginæ hodie vi art.* 6 *Concordati, die* XVI *Martii* 1851 *initi, ad diœcesim Lucroniensem* (*Logrono*) *seu Juliobrigensem pertinet : translata nempe episcopali sede Calagurri Lucronium.*

NOTA 43 ad pag. 199, littera F.

Non pauci scriptores cespitaverunt in nomine monasterii, quod Carolus V supremum incoluit, edicendo. Famianus Strada, istorum temporum subæqualis, in suis libris de Bello Belgico, decade prima lib. I *dicit Carolum* ad divi Justi Hieronymianum cœnobium, delectam jam diu sedem se contulisse ; *atque hæc appellatio monasterii ad omnes, si Hispanos excipias, translata est. Perperam tamen : etenim nomen loci Hispanis est* Yuste, *a fluvio* B *cognomine derivatum. Sic Prudentius Sandoval, episcopus Pampelunensis, in Historia Caroli V lib.* XXXII *sub anno* 1555, *dicit imperatorem voluisse finire vitam in monasterio Iustensi,* en el monasterio de Iuste (1). *Eodem modo loquitur Sebastianus Minano in Lexico geographico Hispaniæ verbo* Yuste. *Perperam igitur auctores Cis-pyrenæi nomen monasterii a S. Justo, quasi patrono, detorquent* (2). *Tandem Scottus, biographus supra a Jacobo Bueo editus, num* 101 *recte scribit* Sodalium Hieronymianorum cœnobium, Iusti cognomento.

NOTA 44 ad pag. 224, littera F.

Joannes de Ribera, qui verbis suis Franciscum nostrum salutare jussit, ex Pacensi episcopo (Badajoz) *anno* 1569 *factus erat Valentinus archiepiscopus, quam sedem usque ad diem* VI *Januarii* 1611, *quo obiit, tenuit cum maxima doctrinæ et sanctitatis fama. Pius VI brevi suo, dato* XXX *Augusti* 1796, *beato antistiti cœlestes honores decrevit,* C *festumque ejus in Dominicam tertiam post Epiphaniam assignavit ; quem diem postmodum Pius VII ad Dominicam ultimam Augusti transtulit, ritumque ejus ad duplicem* II *classis elevavit pro clero sæculari et regulari diœcesis Valentinæ, utentibus Kalendario diœcesano. B. Joannis Riberæ Vitam compendiosam exhibent pleræque editiones Butlerianæ recentiores sub die* VI *Januarii ; ampliorem edidit Vincentius Castrillo, Generalis Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula et postulator causæ canonizationis B. Joannis de Ribera.*

NOTA 45 ad pag. 230, littera A.

Status recentior corporis S. Francisci Borgiæ.

Quænam fuerint recentiora corporis S. Francisci Borgiæ fata, et quo hodie sit statu, docebit sequens authenticum documentum, quod ex hispanico latinum fecimus : D

In oppido heroico regiaque residentia Matritensi, die V Novembris MDCCCXXXVI, D. Petrus Sarriz de Baranda, presbyter, bibliothecæ Academiæ regiæ historicæ præfectus, etc., nomine et competenti ad ea quæ memoranda sunt auctoritate Excellentissimi et Illustrissimi Domini archiepiscopi Toletani electi atque archidiœceseos, sede vacante, gubernatoris, etc., et D. Anicetus Gazapo, nomine Excellentissimi Domini Ludovici Joachim Fernandez de Cordoba, etc., Ducis de Medinaceli et de Santisteban, Hispaniæ Magnatis primæ classis, etc., etc., dixerunt : Quum hodie ex mandato gubernii clausa sit regia domus et ecclesia S. Philippi Nerii (quæ antea vocabatur Professa Regularium expulsorum Societatis Nominis Jesu, in qua per gratiam Domini Regis Caroli III, cujus animæ sit requies æterna, morabatur regia Congregatio presbyterorum sæcularium S. Philippi Nerii, et cujus patronatus competit dicto Excellentissimo Domino Duci de E Medinaceli), idcirco idem Excellentissimus Dux inter alias res reclamavit, tamquam ad domum suam hujusque majoratum pertinens, corpus S. Francisci Borgiæ, venerationi fidelium in majori sacello dictæ ecclesiæ S. Philippi Nerii intra duplicem arcam expositum; quam reclamationem fecit idem Exc. Dux apud memoratum Exc. D. Archiepiscopum Toletanum electum die XXV Octobris proxime elapsi, postulans ut juberet tradi vel ipsi Exc. D. Duci vel personæ ab eodem ad id destinatæ jam dictum corpus S. Francisci Borgiæ, ad eum finem ut modo formaque ab ipso Exc. et Ill. D. Archiepiscopo probanda transferretur in ecclesiam S. Antonii a Prato intra hoc oppidum (cujus pariter ecclesiæ idem Exc. D. Dux de Medinaceli patronus existit), ut ibi collocatum dictum corpus publica veneratione potiatur. Secundum hanc igitur reclamationem dignatus est memoratus Exc. et Ill. D. Archiepiscopus, mandato die IV mensis currentis edito, auctoritatem facere jam dicto D. Petro Sarriz de Baranda, ut, collato consilio cum dicto Exc. D. F Duce de Medinaceli, eam quæ petebatur translationem ad ecclesiam jam indicatam concederet : unde, habito de relatis consilio, initaque conventione ut dicta translatio hac ipsa die hora sexta serotina fieret et executioni mandaretur secreto et absque apparatu ullo, quum dicta hora insonuisset, præsentibus memoratis D. Petro Sarriz de Baranda et D. Aniceto Gazapo in dicta ecclesia S. Philippi Nerii, una cum D. Josepho Salvatore de Puigdewall, presbytero, curam ejusdem ecclesiæ sibi demandatam habente, demissum fuit memoratum corpus S. Francisci Borgiæ, magnæ arcæ æreo colore tinctæ inclusum, quæ ad hoc tempus collocata erat in sacello majori dictæ ecclesiæ : qua magna arca aperta, extracta inde est arca minor eidem inserta, unam fere ulnam longa, dimidiam larga ac paulo minus alta, figuram referens thecæ testudinatæ, in inferiori parte quam in superiori arctior, raso serico lævi

(1) Prudent. Sandoval, Vida de Carlos V, tomo II, pagina 810.

(2) Cfr Bull. de la comm. d'hist. de Belg., IIe série, t. I, p. 75.

rubei

A rubei coloris cum fasciolis pallidis cooperta, instructaque pessulis duobus, bracteis, clavis, commissuris ac quatuor annulis seu manubriis, quæ omnia auro obducta sunt; et eadem arca, portantibus quatuor sacerdotibus, imposita coram spectatoribus fuit mensæ altaris ejusdem majoris sacelli. Deinde, omnibus circa eam stantibus, memoratus presbyter D. Joseph Salvator Puigdewall tradidit D. Petro Sarriz de Baranda duas claves quas penes se conservabat tamquam curam dictæ ecclesiæ habens, et quæ pertinent ad duas memoratas arcas in quibus corpus Sancti jacet; sicut et authenticum de eo instrumentum, scriptum in charta pergamena, inclusæ capsæ rotundæ ex bractea tenui mediam fere ulnam longæ, quod ei pariter tradidit. Alias vero duas claves dicto Domino Baranda in manus dedit D. Anicetus Gazapo nomine et credita sibi potestate Exc. D. Ducis de Medinaceli et de Santisteban, qui eas conservat ex jure quod ad hoc habet tamquam patronus memoratæ ecclesiæ ac domus. B Deinde a memorato D. Baranda iis clavibus aperta fuit dicta arca, visumque et agnitum ab omnibus eam interius eadem tela vestitam esse qua exterius, et sacra ossa obtecta esse pulvinis sive culcitis plus quam tertiam ulnæ partem longitudinis habentibus, sartis raso serico lævi albo et uno rubeo. Quibus elatis, inventum fuit super alio pulvino, longitudine ipsam arcam æquante, caput seu calvaria Sancti: aderant item tria ossa coxarum, duo armi et alia duo ossa sat magna filis subtilibus colligata; et levato ex uno latere pulvino in quo anteriora ossa quiescunt, compertum fuit sub eo et super altero jacere pariter plura ossa variæ magnitudinis: ex quo a circumstantibus qui aderant, judicatum et creditum fuit memorata arca contineri majorem partem ossium jam designati S. Francisci Borgiæ. Ergo continenter, nec perturbato ullatenus ordine quo disposita erant, reverentia iis exhibita fuit ab omnibus qui eo convenerant. Hisce actis, ac loco suo restitutis pulvinis, quibus dicta ossa teguntur, clausa fuit arca a dicto D. Petro Sarriz de C Baranda; et postquam ego infrascriptus scriba publicus hujus oppidi comperissem, opportuna ad id adhibita recognitione, eam reapse occlusam esse, sumpsit dictus D. Baranda duas claves sibi traditas a Patre Puigdewall uti curam ecclesiæ S. Philippi Nerii gerente, easque penes se servavit, ut traderet eas Exc. et Ill. D. Archiepiscopo Toletano electo, prouti is illi injunxerat: alias autem duas claves, quæ initio datæ illi fuerant ad aperiendam dictam arcam, in hoc actu D. Aniceto Gazapo, Exc. D. Ducem de Medinaceli et de Santisteban repræsentanti, tradidit, ab eo redhibendas dicto Exc. Domino, ut hic eas conservaret, sicuti hactenus conservaverat, et prout ei competebat jure patronatus antea relati. Hinc quum deveniretur ad gestationem memoratæ arcæ dictas sacras reliquias continentis, per quatuor annulos seu manubria accepta fuit a quatuor sacerdotibus ad id deputatis ab Exc. D. Duce de Medinaceli, et portata ex mensa cui imposita fuerat pro recognitione, de qua modo relatio facta est, usque extra portam nominatæ ecclesiæ, in currum Exc. Ducis, ad hoc præparatum, in quo posita et collocata fuit dicta arca eique assedit citatus D. Baranda, alium currum occupantibus quatuor sacerdotibus et eo qui Exc. Ducis vices gerebat: quibus curribus vecti fuere per plateam majorem hujus oppidi ad ferendam arcam ad jam citatam ecclesiam S. Antonii a Prato; ubi collocata fuit, et dictum corpus S. Francisci Borgiæ a dictis Dominis rite traditum D. Faustino Frayle, secretario primo Congregationis cui a SS. Sacramento et Divina Pastora nomen est, existentis in jam citata ecclesia cœnobii quod fuit Capuccinorum, S. Antonii a Prato nuncupati, in hoc oppido; cui Congregationi Augusta Regina Gubernatrix dignata est eam ecclesiam concedere, ut, ea aperta, quotidie Deo Domino nostro cultus præstetur, ac fidelibus administretur pastus spiritualis: item eidem D. Faustino Frayle a memorato D. Baranda facta fuit similis traditio scripturæ authenticæ de qua supra dictum est, capsæ ex bractea tenui inclusæ, ut ea conservetur cum memorato corpore, sicuti hactenus factum fuit. Qua re absolutus fuit E hic actus, cui interfuerunt D. Raphael de Arrospide, D. Polycarpus Sigler, D. Emmanuel Maria Villar, hujus viciniæ, atque aliæ multæ personæ; de quo hanc redigo relationem et instrumentum, cui subscripsere memorati Domini: Baranda, Gazapo, Puigdewall et Frayle, et ego scriba publicus hujus ipsius oppidi regiæque residentiæ Matritensis, qui omnibus modo relatis præsens adfui ac de iis fidem facio. — Petrus Sarriz de Baranda. — Joseph Salvator Puigdewall. — Anicetus Gazapo. — Faustinus Frayle, secretarius primus. — Coram me Justo de Sancha.

Concordat ad litteram cum instrumento originali in registros meos relato cum cæteris documentis publicis anni currentis, de quo fidem facio et ad quod me remitto. Atque ut constet ubi conveniet, ad instantiam D. Aniceti Gazapo, factam nomine Exc. D. Ducis de Medinaceli et de Santisteban, etc.., ego infrascriptus scriba publicus hujus heroici oppidi regiæque residentiæ Matritensis hoc edo testimonium, quod signo et sub- F scribo ibidem die XII Novembris MDCCCXXXVI. — Justus de Sancha.

Concordat cum suo originali, quod existens in archivo Exc. Ludovici Thomæ Fernandez de Cordoba, Ponce de Leon, Benavides et Lacerda, Ducis de Medinaceli et de Santisteban, Marchionis de Priego et Denia, exhibuit coram me D. Joannes Emmanuel Gazapo, advocatus tribunalium regni, ex illustri collegio hujus oppidi regii, revisor et lector scripturæ antiquæ pro regia Majestate, et archivarius domorum ac statuum dicti Exc. Domini; qui illud iterum recepit receptionemque subscriptione sua testatur, atque ad ejus instantiam ego Marianus Garcia Sancha, Doctor et regens primæ classis in facultate Jurisprudentiæ, advocatus ex memorato illustri collegio, ac scriba publicus pro regia Majestate et ex numero hujus valde heroici oppidi regiæque residentiæ Matritensis, hoc edo testimonium, quod signo et subscribo ibidem die XV Octobris MDCCCLI.

Doctor Marianus Garcia Sancha.

DE

A D

DE S. LUDOVICO BERTRANDO

CONFESSORE

VALENTIÆ IN HISPANIA.

NOTA 46 ad pag. 292, littera B.

Animadvertendum est hujus de S. Ludovico Bertrando *Commentarii prævii auctorem fuisse Constantinum Suyskenum, qui eumdem una cum Annotatis ad duplicem Vitam paraverat in diem* IX *Octobris, ad quam diem*
B *Sanctus in Martyrologio Romano annuntiatur, quum sit obitus ejus anniversaria. At, ne tomus* IV *Octobris insertione eorum quæ ad* S. Ludovicum *spectant, in nimiam excresceret molem, hagiographis eum tomum, defuncto jam Suyskeno, edentibus, visum est hæc transferre in diem sequentem, quo et Fastis sacris nonnullis inscribitur et cultum obtinet idem Sanctus; prout tum in Elogio Constantini Suyskeni* (1), *tum inter Prætermissos ad* IX *Octobris* (2) *rite monuerunt.*

Desiderandum autem erat ut hispanicas potius quam italicas de S. Ludovico *scriptiones adhibere Suyskeno licuisset, quo nativam nominum locorum ac familiarum orthographiam accuratius haberemus hic repræsentatam, quæ nunc sæpius in italicam detorta est. Abstinendum tamen judicavimus a mutationibus in hac re faciendis, ne Indicem historicum ad calcem voluminis recudendum nimium perturbaremus. Cæterum qui linguam Hispanorum callent, ex italica scriptione* Bagliester, Ordognez, Spina, Benedetti, *etc. facile colligent nativas formas* Ballester, Ordoñez, Espina, Beneito, *etc.*

C

NOTA 47 ad pag. 304, littera F.

Quædam adduntur ad cultum et reliquias S. Ludovici Bertrandi.

Sacellum S. Ludovico Bertrando sacrum.

Quædam addenda habemus ad ea quæ de cultu ac reliquiis S. Ludovici Bertrandi *Suyskenus retulit. Ac primum quidem quod ad sacellum huic Sancto in templo Fratrum Prædicatorum Valentiæ extructum attinet, id ita describit in Itinerario suo Antonius Ponz* (3) : Sacellum S. Ludovici Bertrandi jaspide aliisque gemmis dives est; neque ad decorem ejus quidquam desideraretur, si ea quæ habet ornamenta eamdem omnia præ se ferrent elegantiam ac tabulæ pictæ ab Hieronymo Espinosa, quæ ad parietes conspiciuntur, gestaque nonnulla S. Ludovici repræsentant. Cujus etiam pictori fœtus est Sancti defuncti effigies, quæ altari impendet, obtensa loculamento ubi corpus ejus in argentea urna prædivite quiescit. Sunt quoque piæ aliquot picturæ in ejusdem sacelli concameratione, quæ arcubus in conchas curvatis terminatur, picturatis ab Hippolyto Rovira, non ita pridem Roma in patriam reverso... Ad hæc intra sacellum extant duo sepulcra satis magnifica venerabilium Patrum Dominici Anadonis et Joannis Miconis. *Hæc ille scribebat ante tempestatem, qua res civiles et ecclesiasticæ in Hispania, uti in aliis Europæ partibus, fuere perturbatæ.* E

Recognitio ejusdem Sancti reliquiarum.

Exinde vero, quod alterum notæ hujus caput est, quæ fuerint lipsanorum S. Ludovici Bertrandi *ad nostram usque ætatem fata, discimus ex authentico documento, exarato die* III *Septembris* 1851 *a D. Raymundo Diaz y Salazar, scriba publico regio ac notario majori curiæ archiepiscopalis Valentinæ; quod ex hispanico idiomate in latinum translatum oculis lectorum hic subjicimus :*

Raymundus Diaz y Salazar, scriba publicus per regiam Majestatem (quam Deus custodiat), perque auctoritatem diœcesanam notarius major Reverendæ Curiæ ecclesiasticæ archiepiscopalis Valentinæ, civis ejusdem civitatis, etc. Fidem testimoniumque perhibeo extare in hoc tribunali et muneris mei officio instrumentum die XXIX Januarii anni MDCCCXII confectum de actis pro recognitione corporis S. Ludovici Bertrandi ejusque translatione ad sanctam ecclesiam metropolitanam hujus civitatis ; ex quo constat ad dictam diem ab hoc tribunali ecclesiastico opportunas adhibitas fuisse rationes quibus probaretur identitas corporis jam dicti Sancti, quod asservabatur in domo D. Vincentii Marques, sita intra hanc civitatem, ad quam translatum fuerat, postquam, invadente hanc civitatem exercitu Gallicano, ex urna crystallis inclusa, quo custodiebatur in templo cœnobii Patrum Dominicanorum, hac dirupta, extractum fuisset : adhibita igitur accuratissima diligentia in illa domo atque oratorio privato laudati D. Vincentii Marques, illustrissimus D. Provisor et Vicarius generalis hujus diœceseos die XXIX Januarii anni supra relati scripturam edidit, qua idem esse Sancti corpus declaravit, atque adeo exhibendum ei esse cultum publicum, quem eo usque receperat, mandavitque ut quam primum ad sanctam ecclesiam metropolitanam custodiendum et conservandum transferretur, dummodo annueret illustrissimum capitulum ecclesiasticum : qua translatione iis F

(1) Ante t. IV Octobris, cap. III, num. 30.
(2) T. IV Octobris, p. 570

(3) Viage de España, t. IV, cart. 5, num. 6 et 7, p. 93 et 94, edit. Madrit. 1789.

quibus

A quibus potuit curis, clanculo tamen, rite effecta, sacrum pignus intra armarium reliquiarum, quod est in ejusdem sanctæ ecclesiæ sacrario, debitis cum cautelis depositum fuit; atque exinde instituto examine de ossibus aliquot quæ a corpore Sancti abesse deprehendebantur, horum etiam identitas comprobata fuit, ipsaque corpori suis locis fuere inserta; quod tum rursus armario reliquiarum insertum ibidem permansit ad diem usque XVIII Octobris anni MDCCCXIV, qua die idem tribunal ecclesiasticum de eo inde extrahendo agere cœpit, ut ad cœnobium S. Dominici jure postliminii referretur. Inter acta autem de eo negotio rite confecta legere est id quod sequitur :

« Item testatum facio corpus de quo agitur, nempe S. Ludovici Bertrandi, prout aspectui subjacet, naturalis structuræ unitatem præ se ferre a pedibus ad caput usque inclusive, ita tamen ut ei desit digitus minimus pedis dexteri, et vacua detectaque sit tota regio ventris et quæ
B sub ipso sunt; ac scapulis quidem adhærere duo prima brachiorum ossa quæ a physicis humeri dicuntur, verum abrupta esse altera duo brachii sinistri ossa quæ cubitus et radius appellantur, nec non radium brachii dexteri; item sejunctos cerni nec facile suis locis reponi posse quinque manus digitos. Quibus omnibus perspectis, R. D. Provisor jussit ut corpori assuerentur, prout reipsa filo argenteo assuta sunt, tria illa magna brachiorum ossa, digiti vero sejuncti relinquerentur cum cæteris quæ colligenda essent fragmentis ad Dominationis suæ dispositionem; denique ut corpori vestis ab illustrissimo capitulo præparata indueretur, quo sine mora destinatum ad locum deferri posset. De quibus ut constet, hæc scripto consigno et Dominatio sua subscribit dictis die, mense et anno (XX Octobris MDCCCXIV). — Roca. — Paulus Alguer. »

Folio vigesimo nono reperitur provisoria sententia, audito promotore fiscali, in hunc modum lata : « In palatio archiepiscopali Valentiæ, die XXII mensis Octobris anni MDCCCXIV, R. D. An-
C tonius Roca y Pertusa, canonicus præbendatus hujus sanctæ ecclesiæ metropolitanæ, Gubernator, Provisor et Vicarius generalis hujus diœceseos, sede vacante, visis rei hujus actis et iis quæ pro jure suo exposuit promotor fiscalis, edixit approbasse se et approbare, quantum de jure locum habet, institutas in hoc negotio inquisitiones, seque in iis interposuisse et interponere auctoritatem suam et judiciale decretum ad majorem earum validitatem et firmitatem, atque ad perpetuam rei memoriam declarare se debere ac reipsa declarare corpus coram se recognitum, ut in his actis asseritur, esse ipsum et identicum corpus S. Ludovici Bertrandi, quod publicæ venerationi anno MDCCCXI expositum in altari majori ecclesiæ cœnobii S. Dominici hujus civitatis, violentiam passi in ingressu hostium hanc metropolim invadentium, translatum fuit ad oratorium privatum domus D. Vincentii Marques intra hanc civitatem, et ex ordinatione Rev. Gubernatoris, Provisoris et Vicarii generalis hujus archiepiscopatus inde extractum XXIX Januarii MDCCCXII, ac collatum inter sanctas reliquias hujus ecclesiæ metropolitanæ, ubi ad hodiernum D
usque diem custoditum fuit et custoditur. Quæ quum ita sint, quumque probata inveniatur identitas corporis nec non quinque digitorum ac trium ossium ab eodem disjunctorum, ac proin eo plane in statu sit ut proponi possit publicæ venerationi fidelium, idemque ei exhiberi cultus qui olim exhibebatur, quando in altari et sacello suo titulari atque in altari majori ecclesiæ dicti cœnobii existebat; consequenter præcepit et præcipit, ut, secundum consensum ab illustrissimo capitulo hujus sanctæ ecclesiæ metropolitanæ præstitum, die crastina sacrum corpus includendum curetur urnæ pro tempore ei destinatæ, ut solemnia proprii cultus obsequia eidem præstentur. Postquam vero communitas religiosorum supradicti cœnobii S. Dominici a tribunali nostro ea qua opus est authenticitate in possessionem ejusdem corporis missa fuerit, opportunæ conficiantur scripturæ cum exacta rerum antea gestarum relatione, earumque apographa, si qua postulabuntur, edantur a præsente notario ordinario. E
Atque hæc actu hoc suo tamquam definitivo ita declaravit, providit et chirographo signavit Dominatio sua. — Doctor D. Antonius Roca y Pertusa. — Coram me Paulo Alguer. »

Folio trigesimo tertio occurrit documentum translationis et depositionis corporis Sancti, quod ita ad litteram transcribo : « In ecclesia cœnobii regii Prædicatorum a S. Dominico nuncupati hujus civitatis, die XXIII mensis Octobris anni MDCCCXIV, celebrata solemnissima processione, cui interfuerunt illustrissimum capitulum ecclesiasticum et clerus uterque sæcularis ac regularis, præeuntibus iis qui sunt de gremio, et præsidente illustri magistratu nobilissimæ hujus fidelissimæque civitatis, humeris octo sacerdotum elatum fuit sacrum corpus S. Ludovici Bertrandi ex sancta ecclesia metropolitana per ostium quod Apostolorum dicitur ; indeque instituto itinere per plateam Equitum, forum Calatravæ, plateam de la Corregeria, plateam Cæsaraugustæ, forum S. Catharinæ, frontem cœnobii S. Theclæ, pla- F
team Maris et forum S. Dominici, et ingressu facto per portam cœnobii, introductum fuit in ecclesiam ejusdem S. Dominici nomine insignitam; factaque statione ad altare majus, mox delatum fuit ad sacellum cui a S. Ludovico Bertrando nomen est, ubi paratæ mensæ, coopertæ panno damasceno coloris chermesini telaque byssina denticulato opere distincta, imposita fuit urna temporaria, qua Sanctum corpus vehebatur, et facta fuit statio. Qua absoluta, quum per me infrascriptum publica auctoritas indita fuisset congruenti scripturæ ab illustrissimo capitulo prolatæ de remissione corporis S. Ludovici Bertrandi nec non calicis seu poculi ejus, qui angulo interiori dictæ urnæ verticique ejus appensus continebat quinque separatos Sancti digitos, purificatorio obtectos, ad R. P. Priorem et communitatem hujus cœnobii, quæ præsens aderat; quumque dicti P. Prior et communitas eam remissionem acceptassent, et legitimam acceptationis formulam vicissim illustrissimo capitulo tradidissent, permissis ejusdem arbitrio memoratis quinque Sancti digitis, quos ei in grati ani-

m

A mi testimonium pro conservato sacro corpore aliisque acceptis beneficiis dicta communitas impertiebat : statim R. D. Antonius Roca y Pertusa, canonicus præbendatus, Gubernator, Provisor et Vicarius generalis hujus archiepiscopatus, sede vacante, instituto tribunali, assidentibus D. Ignatio Bellido presbytero promotore fiscali, meque notario ordinario infrascripto, et nuntiis Raymundo Lopez atque Emmanuele Serrano, jussit sacrum corpus in proprio altari collocari; et mox per manus quatuor presbyterorum regularium hujus cœnobii eadem in mensa et culcitra in qua quiescebat, delatum fuit ad sedem suam, comitante tribunali cum memorata communitate atque equitibus cellæ S. Ludovici, fuitque impositum urnæ ligneæ sitæ intra loculamentum altaris sui tituli, exterius decoratæ toris ectypisque argento obductis, interius vero serico villoso chermesini coloris obductæ, cujus interna amplitudo novem in longum palmis, in latum quinque et sex in altum constat, cuique B hinc et inde adhærere conspiciuntur crystalla perpetua duo, crassis firmata trabibus ligneis argento obductis, et ex parte interiori clavis cochleatis fixa; ad caput vero et pedem urnæ extant duæ tabulæ quadratæ, quarum utrique binæ adsunt cuspides ferreæ, insertæ oræ seu limbo urnæ ad partem superiorem, dum ad inferiorem partem utraque tabula adstringitur binis seris, ea dispositione ut duabus tantummodo clavibus ad utramque obserandam opus sit. Perfecta igitur collocatione Sancti corporis in dicta urna, firmatisque ex interiori ejus parte duobus crystallis trabibusque eas ambientibus, firmatis item duabus tabulis ad caput et pedem sibi respondentibus, ego infrascriptus urnam quatuor suis seris clausi, adhibendo duas parvas claves inauratas, ex tæniis roseis pendulas; atque hunc in modum obsignata urna qua sacrum S. Ludovici Bertrandi corpus continetur, deventum est ad dictarum duarum clavium traditionem: quarum altera tradita fuit in potestatem nobilis ac magnifici Domini Vincentii Joachim Noguera, auditoris regiæ C audientiæ hujatis ejusdemque viceregentis propter invaletudinem Domini Vincentii Cano Manuel, regentis; et dictus Dominus auditor declaravit se pro dictæ repræsentationis jure ac nomine Regis Domini nostri (quem Deus custodiat) eam admisisse et admittere, spondens eam conservandam esse, prout sibi a Majestate regia injunctum fuit, in archivio secreto audientiæ regiæ hujus civitatis et regni : altera autem clavis commissa fuit Patri Præsentato Fr. Salvatori Galve, Priori regii hujus cœnobii Prædicatorum. Atque in hoc statu, quum ego infrascriptus claustra dictæ urnæ munire pararem sigillo sanctæ ecclesiæ metropolitanæ ceræ coloratæ imprimendo, expositum fuit R. D. Gubernatori, Provisori et Vicario generali a memorato P. Priore aliisque religiosis, urnam S. Ludovici Bertrandi numquam fuisse a tribunali ecclesiastico sigillo munitam; id quod confirmavit jam nominatus Dominus viceregens cum suo regii consilii secretario D. Salvatore Alagon, exemplum referendo ex iis quæ in negotio hujusmodi locum habuerunt inde ab anno MDCXLIV, quum vi regii mandati in sua secretaria agebantur : servandæ D porro authenticitati satis prospectum iri retentione alterius duarum clavium in archivio secreto audientiæ regiæ nomine regiæ Majestatis (quam Deus custodiat). Itaque, in eamdem sententiam concedente R. D. Gubernatore et Vicario generali, a sigillo urnæ apponendo abstentum est propter reverentiam supremæ auctoritatis. Quibus omnibus præsentes atque in testes exceptionis advocati interfuerunt illustres Domini : Salvator Roca y Pertusa marchio de Malfesit, Antonius Salavert marchio de Benemegis, Gaspar Ferrer et Vincentius Leon cives Valentini, et alii multi. Ut autem hujus rei in futurum extet memoria, R. D. Gubernator et Vicarius generalis hujus diœceseos jussit hoc adjunctum recenseri, ut comprehendatur in scriptura testimoniali hujus instrumenti, quod a me infrascripto publica auctoritate editur, quodque cum Dominatione sua subsigno, præsentibus pariter : DD. Ignatio Bellido promotore fiscali, Raymundo Lopez et Emmanuele Serrano nuntiis. Ita testor. — Doctor D. Antonius Roca y Pertusa. — Coram me Paulo Alguer. » E

Anno MDCCCXXXV Rev. Parochus et clerus una cum æditius et electis ecclesiæ parochialis S. Stephani protomartyris per libellum supplicem illustrissimo Domino Gubernatori ecclesiastico hujus archiepiscopatus exposuerunt, ecclesiam Patrum Dominicanorum, religiosis extra claustra degere coactis, obseratam esse, atque hinc publica fidelium veneratione carere corpus S. Ludovici-Bertrandi, patroni hujus civitatis, in ea ecclesia asservatum : quam ob rem, tum quod memoratorum Patrum cœnobium intra suæ parochiæ limites extaret, tum etiam quod Sanctus in eadem fuisset baptizatus, atque ut porro debitus ei cultus a fidelibus exhiberi posset, facultatem sibi fieri petierunt, quin tamen ullum cuiquam jus inde accresceret aut decresceret, conservandi in sua ecclesia memoratum corpus S. Ludovici Bertrandi. Quæ quidem gratia concessa iis fuit decreto die XIII Octobris MDCCCXXXV edito, ea lege ut pro recipiendo sacro corpore ea F omnia agenda curarent quæ de jure ad probandam ejus identitatem requirerentur. His itaque actis et legitima habita probatione, translatio ritu modoque ad juris formulam exacto facta fuit die XIV memorati mensis et anni, et collocata urna, qua corpus Sancti continetur, in loculamento altaris sacelli Communionis prædictæ ecclesiæ S. Stephani, sub custodia et fide memorati Parochi, cleri, æditiuorum et electorum ecclesiæ ejusdem; ibidemque etiamnum permanet recipitque eum qui illi congruit cultum. Interim tamen, die prima Martii MDCCCL, obtenta venia ac licentia Excellentissimi et Illustrissimi D. Archiepiscopi hujus diœceseos, loco suo mota fuit urna cum sacro deposito, quod in ea continetur, ut gestaretur in publica et solemni supplicatione, quam ea parochia instituit ad beneficium pluviæ a Deo Domino nostro per Sancti intercessionem efflagitandum. Deinde eidem altari, in quo adhuc existit, illatum fuit, præmissa tamen, secundum prædicti parochi petitionem, et servatis omnibus jure præscriptis, remotione pulveris in urnam et

sacrum

A sacrum corpus delapsi; quem pulverem die VIII Martii anni proxime elapsi MDCCCL excusserunt duo sacerdotes sacro linteo et stola amicti, adstantibus judicibus ecclesiasticis, Excellentissimo et Illustrissimo Domino Archiepiscopo, Illustri Domino Regente audientiæ territorialis hujus civitatis et regni, Reverendo Parocho et clero aliisque diversorum ordinum hominibus; et occlusa fuit urna modo proprio eodemque, quo antea fuerat, altera clavium penes memoratum Dominum Regentem, altera penes Reverendum Parochum remanente.

Hæc uti relata et recensita sunt, ita conficiuntur, concordant, apparent et patent ex memorato instrumento, quod in præsentia præsto est in mea potestate et muneris mei officio; ad quod adeo me remitto. Atque ut de his constet, ad exequendum quæ ab Illustrissimo Domino Provisore et Vicario generali hujus diœceseos decreto ad petitionem D. Raymundi Mas presbyteri die VII Augusti hujus anni edito mandata sunt, præsens B scriptum edo, cui signum et chirographum meum oppono in palatio archiepiscopali Valentiæ die III Septembris MDCCCLI.

RAYMUNDUS DIAZ.

(1) Acta Sanctorum, t. II Aprilis, p. 389 et seqq.

D

NOTA 48 ad pag. 338, littera D.

M*irum est quod anceps hæserit Suyskenus circa B. Petrum Gonzalez. Est hic satis celeber ex Ordine Prædicatorum, patronus navigantium, nauticoque apud Hispanos nomine* Sant-Elmo *vel* San-Telmo *dictus : unde etiam igni in summitate malorum et antennarum quandoque apparenti, cui Castoris ac Pollucis numen inesse veteres arbitrabantur, ab Hispanis* Santelmo, *indeque a Gallis* feu Saint-Elme *atque ab Italis* fuoco Sant' Elmo *indita appellatio fuit. De Beato vel Sancto Petro Gonzalez Telmo egit Papebrochius ad diem* XV *Aprilis* (1), *consulique etiam potest Benedictus XIV in Opere de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione* (2).

NOTA 49 ad pag. 478, littera C.

P*er* Coronam Aragoniæ *non intelligitur tota generatim Hispania; sed ipsum Aragoniæ regnum cum regno Valentino, regno Majoricensi ac Catalaunia.* E

(2) Lib. II, cap. XXIV, num. 206 et seqq., t. II, p. 109 et 110, edit. Venet. 1788.

ADDENDA AD DIEM XI OCTOBRIS

NOTA 50 ad pag. 490, littera A.

C

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

F

S. Eugendo *abbati primus ad diem* XI *Octobris inter Prætermissos locus competit, utpote qui hoc die, anniversario translationis suæ, in diœcesi Bellicensi colitur officio ritus simplicis, ut notat R. D. Depery in Historia hagiologica Bellicensi* (1). *De eo egit Bollandus ad diem* I Januarii.

S. Eustasium *abbatem Luxoviensem ad diem* XI *Octobris iterum signat, qui jam* XXIX *Martii signaverat, utrobique eum* Eustachium *nominans, auctor Kalendarii Sanctorum Ordinis S. Benedicti, quod ex Ms. monasterii S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis desumptum habebant Decessores nostri et nos adhuc præ manibus habemus. Auctor ille secutus fuit Petrum de Natalibus, qui* Eustachium, *ut vocat, abbatem Luxoviensem* V *Idus Octobris in Christo quievisse scripsit* (2), *ratus alium esse ab* Eustasio IV *Kalendas Aprilis defuncto, quem abbatem* monasterii Limatiensis *perperam dixerat* (3). *Ejusdem Sancti ad proxime sequentem diem* XII *Octobris, ut inter Prætermissos notarunt Decessores nostri* (4), *item meminere Wionus et Maurolycus, qui eum* Eustathium *appellat. De* S. Eustasio *actum est in Opere nostro ad diem* XXIX Martii.

S. Genardum, *cujus nomine et patrocinio gaudet vicus prope Metulum seu Mellam in diœcesi Pictaviensi* (5), *dubito an collocare hic etiam oporteat, an vero eumdem illum habere ac* S. Vinardum *seu* Winardum, *de quo in hoc tomo agitur* (6). *Ut quis eumdem esse existimet, facit unus idemque dies* Genardo *apud Pictones et* Vinardo *apud Lingonas*

(1) Hist. hagiolog. du diocèse de Belley, par M. Depery, vic. gén. t. I, p. 42.
(2) Lib. IX, cap. LII.
(3) Lib. IV, cap. XI. Cfr. t. III Martii, p. 785.
(4) T. VI Octobris, p. 2.
(5) Diction. univers. de la France, t. IV, p. 516, voce *St-Genard.*
(6) Pag. 606 et seqq.

A *deputatus, tum quoque Castellani ita sentientis auctoritas, cujus verba a Byeo nostro allegantur. Attamen auctor Martyrologii Parisiensis, qui post Castellanum scripsit, solummodo de* memoria S. Vinardi prope Lingonas extante *verba facit, omissis quæ de veneratione ejusdem in Pictaviensi diœcesi apud Castellanum legerat. Qua in re Martyrologium Parisiense sequitur D. de Saint-Allais ad* XI *Octobris* (1), *et in Indice universali Sanctorum quem ad calcem Martyrologii sui posuit, tamquam a* Vinardo *seu* Guenardo *distinctum perhibet, non indicato cultus die,* Genardum patronum vici sui nominis in agro Pictaviensi (2). *Eadem annuntiatio ac distinctio est in Martyrologio Gallicano adjecto quartæ editioni Historiæ Ecclesiæ Gallicanæ* (3). *Observandum insuper est ex* Vinardo *seu* Winardo *facile effici pro gallicæ linguæ pronuntiatione* Guinard *vel* Guénard, *at non ita facile (nam rara saltem sunt exempla)* Génard ; *prout vel ex ipso Indice universali Sanctorum Martyrologii Castellani deprehenditur, ubi plura nomina gallice a* Gue *vel*
B Gui *incipientia respondent nominibus incipientibus a* Ve, Vi, We, Wi, *sed non obtinet idem de syllabis initialibus* Ge *et* Gi. *Jam vero Sanctus, qui prope Nobiliacum in pago Pictaviensi* XI *Octobris colitur, non appellatur ibi* Guénard, *ut Castellanus habet, sed* Génard, *ut ex nomine vici jam dicti patet, latine autem* Genardus, *uti docemur a Saussayo et Castanæo. Ille enim e sacris Pictaviensis ecclesiæ monumentis, ex episcopi munere anno* 1636 *acceptis, ita ait* (4) : S. Genardus, cujus festum agitur XI Octobris ; patrocinio autem dicata est ecclesia parœcialis in archiprioratu de Mella ab abbatia de Nobiliaco dependenti, in sacra terminatione præsulis Pictaviensis. *Castanæus autem Pictavorum episcopus ad Litanias suas Pictonicas, postquam dixit S. Fazeolum jacere in S. Saviniani æde apud Metulum, illa de* S. Genardo *annotat, præfixo die* XI *Octobris* (5) : Genardus in eadem S. Saviniani ecclesia quiescit, ejusque Nobiliacenses Litaniæ nomen habent. Prioratus cum parochiali ecclesia in diœcesi Pictaviensi ipsius præfert titulum. *Quæ duæ annuntiationes fugerunt Byeum, diligentissime licet, uti ipse de se profitetur, indagantem unde Castellanus suam de Sancto hoc prope Nobiliacum culto notitiam accepisset ; nos vero serius in eas incidimus, quam ut, antequam*

D *voluminis hujus editio absolveretur, aliquid de hac re ex Gallia sciscitari possemus. Interim quærentibus nobis sese* S. Genardus *seu* Gennardus *obtulit,* Génard *aut* Gennard, *non autem* Guénard, *gallice dictus* (6), *qui, ut in Gestis abbatum Fontanellensium legitur* (7), vicedominus ecclesiæ Rothomagensis et abbas cœnobii Flaviacensis extitit, *et apud Fontanellam, ubi monachus fuerat, prope S. Ansbertum tumulari voluit* (8) ; *atque ipsum esse opinamur de quo additamentum codicis Blumiani apud Florentinium* (9) : In Fontanella monasterio depositio Gennardi presbyteri et confessoris : *ut proin mirari subeat quod de eo notatum nihil fuerit a nostris Decessoribus hoc additamentum Fontanellense inter Prætermissos ad diem* XXIX *Julii allegantibus* (10), *ubi alium* Gennardum *se haud reperisse aiunt præter illum quem aemeris Castellanus inseruit cum titulo* abbatis S. Ægidii in Septimania ; *quamquam nec apud Mabillonium, nec in Gallia Christiana, nec in Historia generali Septimaniæ ullum S. Ægidii abbatem invenimus* E
qui Gennardus *dictus fuisse referatur. Ut porro de* S. Genardo *Fontanellensi aliquid addamus, interfuit hic tamquam vicedominus synodo Rotomagensi* (11) *et translationi S. Audoeni sub S. Ansberto episcopo, ut in nostro Opere* (12) *et apud Mabillonium* (13) *legere est. Brevem de eodem notitiam, decerptam ex documentis Fontanella acceptis, tradit Godescard ad diem* XXII *Julii post Vitam S. Wandregisili* (14), *perperam tamen gallico nomine* Gennade *eum designans. In ea notitia, præter illa quæ jam diximus, sequentia habentur :* Gennardum *in aula Clotarii regis educatum, arctam jam tunc amicitiam cum S. Ansberto cancellario contraxisse ; dein monasticam vitam Fontanellæ sub S. Wandregisilo fuisse amplexum, postmodum exulasse cum S. Ansberto archiepiscopo, et electum fuisse abbatem monasterii S. Geremari Flaviacensis; sed, deposito pedo abbatiali, rediisse tandem Fontanellam, ibique obiisse. Subjungit Godescard eum coli die* VI *Aprilis, et reliquias ejus servari Fontanellæ, indeque partem earum anno* 1681 *transmissam fuisse ad abbatiam Flaviacensem. Quod si ita est, consequitur huic* Genardo *locum inter Sanctos in* F
Opere nostro competere ; quem quum Decessores nostri hactenus ei non dederint, isthanc omissionem aliquo saltem modo hac Nota suppleverimus.

(1) Martyrologe univers., p. 384.
(2) Dictionn. univers., p. 60.
(3) Hist. de l'Eglise gallicane, t. XXVI : Martyrologe gallican, vocibus *Genard, Guenard* et *Vinard.*
(4) Martyrol. gallic., p. 1251.
(5) Apud Labbe, Nov. Biblioth. Mss., t. II, p. 731.
(6) Hist. des archevêques de Rouen, p. 154, 156 et 165; Abrégé de l'hist. de l'Ordre de S. Benoit, t. II, p. 165 et 168.
(7) Apud Dachéry, Spicil., t. II, p. 268, edit. in-fol., et Pertz, Script. t. II, p. 277.
(8) Gall. Christ. vet., t. IV, p. 379 ; Gall. Christ. nov., t. IX, col. 788, et t. XI, col. 163.
(9) Vet. Martyrol., p. 1066.
(10) T. VII Julii, p. 2.
(11) Bessin, Concil. Rotomag., part. I, p. 13.
(12) Acta Sanctorum. T. II Febr., p. 353, et t. IV Aug., p. 802.
(13) Act. SS. Ord. Ben. t. II, p. 1057.
(14) Vies des Peres, etc., t. VI, p. 392. edit. Lugd. 1818, t. X, p. 399, edit. Lovan. 1830.

NOTA

A D

NOTA 51 ad pag. 490, littera F.

DE S. MELANIO EPISCOPO

APUD RHEDONES.

Male cum S. Æmiliano confunditur.

S. Melanii memoria in Breviario abbatiæ ejusdem nominis,

S Melanium *episcopum Redonensem, non vero* Æmilianum *(ut Belinus, ac post eum Molanus, Martyrologium Romanum, Castellanus, etc. scripserunt, quibus et Sollerius noster* B *assentitur), hoc die in multis Usuardi auctariis annotari, argumento est quod in Kalendario veteris Breviarii abbatiæ ejusdem* S. Melanii, *quæ, testibus Claudio Roberto* (1) *et Sammarthanis* (2), *proprio Breviario utebatur, ad* v *idus Octobris assignatur* Commemoratio S. Melanii, in cappis, *ut videre est in nova editione Vitarum Sanctorum Britanniæ minoris, quæ Parisiis prodiit cura R. D. Tresvaux, canonici Parisiensis* (3) : *quo in Kalendario præterea occurrit* VIII *idus Januarii* Nativitas S. Melanii in duplo, VIII *idus Novembris* Transitus S. Melanii, annualis, *et idibus Novembris* Octava S. Melanii, in cappis. *Nec solum in prædicta sui nominis abbatiæ Sanctus præsul die* XI *Octobris colebatur, sed eodem die Officium ejus ritu simplici inscriptum reperimus Breviario Andegavensi anni* 1624, *ac commemoratio de eo facienda assignatur in Lexoviensi Kalendario, quod inter manuscriptos codices a Decessoribus nostris olim adhibitos exstat. Qua vero occasione hic dies* S. Melanio *sacer esse cœperit, assequi non potuimus : fortassis* C *in eum incidit, ut Majores nostri autumarunt* (4), *aliqua reliquiarum ejus translatio sive ad propriam ecclesiam relatio.*

ejus corpus Bituricas vel Pruliacum deportatur,

2 *Tradit Paschalis Robinus, ut Bollandus notavit* (5), *anno* 853, *quum Namnetas populati essent Normanni,* S. Melanii *corpus Bituricas fuisse deportatum ; quod etiam referunt Albertus Legrand* (6) *ex Roberto Cœnali* (7), *et Petrus Lebaud ex veteribus monumentis* (8). *Hanc tamen sacri pignoris ad Bituricas delationem silentio prætereunt Mabillon* (9), *Lobineau* (10) *et Tresvaux* (11) : *quin imo hic cum Mabillonio asserit monachos Redonenses ea tempestate, quia cœnobium eorum a Normannis eversum fuit, cum* S. Melanii *corpore ad castrum Turonensis agri Prulliacum confugisse. Sane Prulliaci, ubi circa annum* 1001 *ab Effredo domino Prulliaci et Rupepozeæ monasterium Benedictinum fundatum fuit* (12), *servabantur ineunte sæculo* XIII S. Melanii *exuviæ, ut perspicuum est ex Chronico Turonensi, a coævo canonico conscripto, ubi ad annum* 1224 *legitur* (13) : Dominica ante Ascensionem Domini apud Prulliacum castrum Turonensis E diœcesis levatum est corpus Sancti Melanii episcopi Redonensis a Joanne (*de Faya*) Turonensi archiepiscopo et ab aliis vicinis episcopis, capsaque in argentea cum summa reverentia collocatum. *Ejusmodi celebritatem anno* 1231, *adeoque ab alio Turonensi antistite Juhello de Matefelone, peractam fuisse tradunt Albertus Legrand* (14) *ac Bertrandus Argentræus* (15) : *quam etiam ex archivo Prulliacensi refert Joannes Maan, de eodem Juhello agens, sequentibus verbis* (16) : S. Melanii corpus Redonensis episcopi e Britannia olim evectum erexit Pruliaci ingenti cleri populique frequentia et miraculorum celebritate ; et in præcipuam aram S. Petri (abbatia est Pruliacensis) sublime extulit anno 1231. *Discernere plane non ausim utrum hic una eademque sacra actio indigitetur, quam historiographi chronologica aliqua confusione diversis annis diversisque archiepiscopis attribuerint ; an vero, quod a locutionibus utrobique adhibitis non omnino videtur esse absonum, quos Joannes a Faya* S. Melanio *tribuerat honores, eosdem successor ejus Juhelles novis honoribus auxerit.* F *Porro veritatem haud assecutus videtur Mabillonius, quando scripsit* (17) : Hic (*nempe Prulliaci*) servatum sancti viri corpus usque ad Pontificatum Julii de Matefelone, qui popularibus suis (quippe Britto Armoricanus erat) sacrum illud depositum restitui curavit. *Nam præterquam quod hoc assertum cum iis quæ modo de Juhello sive Julio citavimus, non bene componitur, aliunde discimus Hervæum II, qui Redonensi monasterio* S. Melanii *anno* 1258 *abbas præerat, reliquias aliquas Sancti tutelaris sui a monachis Prulliacensibus tunc petiisse et impterasse* (18). *Alias tamen reliquias* S. Me-

(1) Gall. Christ. p. 456.
(2) Gall. Christ. vet. t. III, p. 924.
(3) Vies des Saints de Bretagne, p. D. Lobineau, nouvelle édition par l'abbé Tresvaux, Paris, 1836, t. I, p. xxxvi.
(4) Supra, p. 490.
(5) T. I Januarii, p. 327.
(6) Vies des Saints de la Bretagne-Armorique, Brest. 1837, p. 690.
(7) De re Gallica, lib. II, perioche 6.
(8) Hist. de Bretagne, c. xvII, p. 124.
(9) Annal. Bened., t. V, lib. LXIII, num. 63, p. 24, edit. Luc.
(10) Vies des Saints de Bretagne, t. I, p. 129, edit. Paris, 1836
(11) L'église de Bretagne, Paris, 1839, p. 409 et 416.
(12) Mabillon, op. cit. t. IV, lib. LII, num. 14, p. 141.
(13) Apud continuat. Bouquet, Rerum Gallic. Script. t. XVIII, p. 305. Cfr Lebaud, op. cit., chap. xxx, p. 224 ; Gallia Christiana antiqua, t. I, p. 774 ; Morice, Mémoires pour servir de preuves à l'histoire de Bretagne, t. I, col. 108.
(14) Loc. cit.
(15) Apud Bolland. loc. cit.
(16) Sancta et metropol. Ecclesia Turon., part. 1, p. 136.
(17) Loc. cit.
(18) Lobineau, loc cit. et l'abbé Tresvaux, l'église de Bretagne, p. 410.

lanii

A lanii *jam pridem, nempe duobus ante sæculis, a Gervasio Remensi archiepiscopo Evenus abbas cœnobio suo, per id tempus feliciter restituto, obtinuerat, de quibus exstat ipsius Gervasii ad Evenum epistola apud Bollandum* (1). *Jam vero alteruter sacrorum pignorum ad pristinas sedes reditus occasio monachis Redonensibus esse potuit instituendæ ad diem* XI *Octobris festivitatis; quam exinde Martyrologiis insertam aliæ quædam ecclesiæ adoptarint.*

male cum S. Æmiliano confunditur

3 *Quidquid sit, ex hactenus allatis satis patet perperam* Æmiliani *pro* Melanii *nomine aliquot Fastis Sanctorum fuisse insertum; nec proinde causam fuisse Castellano cur pro civitate* Redonis *monasterium* Rotonense (*gallice* Redon) *substitueret. Id* D *quod tamen Castellanus non fecit primus: siquidem ei, Martyrologium universale anno* 1709 *edenti, præiverant Cistercienses Galli; quorum in Kalendario seu Martyrologio, quod Parisiis anno* 1699 *ex mandato Joannis Petit abbatis generalis prodiit, ad* V *idus Octobris legitur:* Rotone in Armoricis Sancti Æmiliani Confessoris. *Cæterum, ut illud etiam hoc loco adjungamus, nihil uspiam reperimus unde argui queat fuisse aliquem* S. Æmilianum *Rotone specialiter cultum; sed ex documentis in Chartulario Rotonensis abbatiæ olim asservatis constat S. Convoionem, ejus fundatorem, ineunte sæculo nono, aliquas* sancti venerabilisque Melanii confessoris reliquias *in ea collocasse* (2).

(1) Acta Sanctorum T. I Januarii, p. 333: Miracula S Melanii, autore Gervasio, etc.

(2) Lobineau, op. cit., t. II, p. 265. Morice, op. cit., t. I, col. 268.

NOTA 52 ad pag. 492, littera F.

B E

DE S. GAUDENTIO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,

PRAGÆ IN BOHEMIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Rationes ob quas hic illustrantur S. Gaudentii acta.

Cultus ecclesiasticus Gaudentii C

Gaudentii, *veluti cultu ecclesiastico afficiendi, nomen nusquam in ecclesiæ Pragensis Officiis propriis Kalendariisque penes se extantibus occurrere, haud asseruissent Decessores nostri, si pervolvissent libellum, in eorum bibliotheca* (*ut nobis ex superstite catalogo liquet*) *exstantem, cui titulus:* Proprium Sanctorum per Bohemiam, Moraviam et Silesiam, adjunctis festis propriis domiciliorum Societatis Jesu. Vetero-Pragæ 1732. *Etenim in ea hujus libelli parte quæ* Proprium archidiœcesis Pragensis *inscribitur, ad diem* XXV *Augusti notatur officio ritus duplicis majoris celebranda* Translatio SS. Viti, Adalberti, GAUDENTII et quinque Fratrum Martyrum; *atque illi officio duplex assignatur oratio, at, ut rubrica monet,* utraque sub una conclusione *dicenda*: Deus, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem pro commemoratione Beatorum Viti et Adalberti Martyrum tuorum fecisti: concede, quæsumus, familiæ tuæ precibus, et da ut quorum hodie translationem celebramus, eorum meritis et intercessionibus adjuvemur. Deus, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum GAUDENTII, et Benedicti, Matthæi, Joannis, Isaac et Christini allationem colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum, *etc. In lectionibus autem secundi Nocturni, quæ translationis historiam continent,* Gaudentius *itidem bis* Sanctus *nuncupatur. Hæc sane sufficientia sunt indicia cultus ecclesiastici* Gaudentio, *quamquam illi cæteroqui specialis dies festus in eo libello non addicitur, a Pragensibus attributi; cui accedunt alii, iique vetusti, sacri honores, quos Balbinus in disputatione de relatione corporis S. Adalberti Pragam, ab Henschenio recusa, hisce verbis indigitat* (1): Pragensis ecclesia (ut in Rubricis, quæ multorum sæculorum sustinuerunt ætatem, annotatur), quoties commemorationes S. Adalberti et S. Gaudentii occurrunt, illum jubent in templi medio, hunc ad altare SS. Cosmæ et Damiani, ubi lampas ejus ardebat, honorari ac invocari. F

2 *Miramur etiam quod, quoniam anno* 1074 Gaudentius *nondum fuerat* per Apostolicum, *ut loquitur Cosmas Pragensis,* incanonizatus, *adeoque adhuc Missa ejus* ut pro defunctis *celebrabatur, ideo Decessores nostri fidem detrahunt Balbino, homini Bohemo et Pragæ scribenti, quum affirmat* (2) Gaudentium *decursu temporis* pluribus cœpisse miraculis inclarescere, sic ut POST ALIQUOT ANNOS Sancti titulum omnis retro Gaudentio tribuerit antiquitas; *et eo asseverante* (3) *anniversarium* Gaudentii *diem in altari SS. Cosmæ et Damiani ecclesiæ Pragensis* XI *Octobris celebrari, quod haud dubie de cultu ecclesiastico, nisi secum* *perperam a Decessoribus nostris negatus.*

(1) Epitom. rer. Bohem, lib. III, cap. IV, p. 176; et apud Henschen., t. III April., p. 201.

(2) Miscell. hist. dec. I. lib. IV, § 18, p. 30.

(3) Epitom. rer. Bohem. lib. III, cap. IV, p. 176.

ipso

A *ipso pugnet, intelligi vult Balbinus et qui idem ex eo asserit Magnoaldus Ziegelbauer* (1), *iidem tamen nostri pro ambiguo habent an fortasse adhucdum illud anniversarium tamquam pro defuncto esset. Imo vero non amplius tale fuisse, manifestum evadit ex obsoletorum ejusmodi anniversariorum catalogo a Pessina contexto, ubi iis inseritur* (2) x *Octobris* Memoria interfectorum fratrum S. Adalberti, *et* XII *Octobris (puto legendum* XI) Memoria Gaudentii Archiep. Gnezdn. fratris S. Adalb., *utraque autem quum hoc ipso* Memoriæ *nomine, tum etiam distincto charactere typographico a cæteris ibidem enumeratis anniversariis discriminatur, ut cuique dictum catalogum inspicienti in oculos statim incurrit. Quod sane discrimen non sine consilio statuerit Pessina : nempe, ut opinor, quia et* Gaudentium *et quinque interfectos ipsius et S. Adalberti germanos (qui plane diversi sunt a quinque fratribus spiritualibus seu monachis, de quibus in Officio supra citato) cultu Sanctis aut Beatis proprio dudum affectos esse sciret. Nam quod ad quinque fratres Sobieborum, Spitimirum, Bohuslaum, Boreum* B *et Czaslaum pertinet,* anno 1216, *ut memorat Balbinus* (3), B. Andreas episcopus Pragensis, vir sanctissimus, de summi Pontificis, cui carissimus erat, licentia, eorum sacra corpora, summa veneratione, totiusque cleri ac populi Pragensis supplicatione, Libicio Pragam transtulit, ac in ecclesia S. Georgii in arce Pragensi in ipsum altare velut sanctos Martyres inclusit, quæ erat eorum temporum canonizatio, ut ostendit Cardinalis Baronius ; *et ea corpora illic suo tempore etiam videri Henschenio nostro* (4) *idem Balbinus testatus est,* qui et ab uno horum Bohuslaum se vocari scripsit, et tam hujus quam aliorum ut Sanctorum nomina passim infantibus Bohemis imponi : festum quoque eorumdem notari in Bohemicis Kalendariis, et de ipsis officium recitandum præscribi in veteri Breviario monialium ad S. Georgium, quod tamen, inducto Romani Breviarii usu, cessaverit. *De* Gaudentii *autem sanctitate non obscura est Pessinæ ipsius sententia, quam eo magis hoc loco in medium adducere cogimur,* C *quod Decessores nostri illud quoque pronuntiare, non dubitaverunt :* Pessina, qui Sanctos omnes in Pragensi S. Viti ecclesia ob reliquias suas ibidem servatas cultu ecclesiastico affici quotannis solitos accuratissime in ecclesiæ Pragensis Phosphoro recenset, hisce ibidem Gaudentium nusquam annumerat. *Enimvero Pessina, postquam primum de reliquiis imperialibus Pragæ olim asservatis, sed postmodum Norimbergam avectis, disseruit, ac secundo Carlsteinenses, ut vocantur, reliquias diligenter recensuit, tandem tertio ad cathedrales seu metropolitanas describendas progressus, memoratis SS. Clementis et Viti lipsanis, mox infit* (5) : Sacro postmodum Divi Wenceslai M. corpore Vetero-Boleslavia Pragam translato, anno 942 templum Divi Viti multum inclaruit ; ac longe magis anno 1039 asportatis ex Polonia D per Brzetislaum ducem SS. Adalberti, GAUDENTII et quinque fratrum MM. Benedicti, Matthæi, Joannis, Isaac atque Christini corporibus ; *prout jam antea ducem eumdem Brzetislaum laudaverat* (6) *quod* cathedralem S. Viti ecclesiam novo et inæstimabili thesauro, nempe corporibus SS. Adalberti, GAUDENTII et quinque Fratrum, MM., quæ de templo Gnezdnensi prodigiose levaverat,.... decoravit.

Titulo Sancti apud Martyrologos

3 S. Gaudentius *jam bis in Opere nostro inter Prætermissos recensitus fuit, utrobique ex Kalendario Sanctorum Ordinis S. Benedicti, sumpto ex Ms. codice monasterii S. Salvatoris Ordinis Cisterciensis : nempe ad diem* v *Januarii, ubi Kalendarii illius hæc est annuntiatio :* Sancti Gaudentii archiepiscopi Pragensis (*imo* Gnesnensis), antea monachi monasterii S. Alexii Romæ, et discipuli S. Adalberti ; *et ad diem* XXIV *Augusti, ubi in eodem Kalendario memoratur* Translatio S. Gaudentii monachi monasterii S. Alexii Romæ ; *et :* item translatio SS. Matthæi, Benedicti, Joannis, E Isaac et Christini, monachorum S. Alexii Romæ, sociorum S. Adelberti archiepiscopi Pragensis, martyrium in Polonia passorum : *quemadmodum et in Martyrologio ecclesiæ Pragensis vetustissimo, quod a pluribus sæculis, ut ait Balbinus, publice inter sacra prælegebatur, his verbis habetur* (7) : IX Calend. Septembris... Eodem die allatum est ad ecclesiam Pragensem corpus S. Adalberti Pragensis episcopi, cum corporibus quinque Fratrum Martyrum et Venerabilis Gaudentii episcopi Gnesnensis, fratris germani S. Adalberti, per Brzetislaum ducem Bohemiæ et S. Severum episcopum Pragensem. *Similes annuntiationes* S. Gaudentii *occurrunt ad dictos duos dies in Kalendario Sanctorum Benedictinorum germanice exarato a monacho Donavertiensi* (8). *Bucelinus in Menologio, Cherle in Martyrologio Benedictino germanico, Henricus Braun in Encomiis, Heredia in Vitis hispanicis Sanctorum sui Ordinis, Basilius Camaldulensis in Diario item germanico eum laudant die* XXIX *Maii. A Castellano inter Aemeros ponitur* (9). *Hodie denique ejus anniversariam* F *memoriam signant, uti jam dixi, Balbinus et Ziegelbauer, sicut et Schœnleben a Decessoribus nostris allegatus.*

aliosque scriptores gaudet.

4 *Neque tantum hactenus adducti scriptores* Sanctum *vel* Beatum Gaudentium *dicunt, sed simili eum titulo decorant Bohemi, quoad comperire potui, passim omnes, uti Hagecius* (10) *et Dubravius* (11) *sæculo* XVI *ineunte, Pontanus in Bohemia pia anno* 1607 *conscripta* (12), *Albertus Chanowsky, mortuus ante seculi* XVII *medium, qui* Gaudentius *inter Patronos Bohemiæ domesticos collocat* (13), *Math. Ben. Boleluczky* (14), *Georgius Crugerius* (15), *etc. : quibus omnibus dudum præiverat Chronica episcoporum Pragensium* (16) *in anno* 1412 *desinens. Accedunt Joannes Dlugoss sive Longinus*

(1) Epitom. hist. mon. Brevnoviensis, cap. VII, p. 88, ubi tamen per sphalma typotheticum est 10 pro 11.
(2) Phosphor rad 7, p 702.
(3) Miscel hist., loc. cit. § 16, p 27.
(4) Henschen., t. cit., p. 178.
(5) Rad 4, p. 130.
(6) Rad 2, p 22
(7) Epitom rer. Bohem, lib III, cap V, p. 173 ; Vita Ven. Arnesti cap. XIII, p. 189.
(8) Kirchen Kalender, Donauwerd. 1786
(9) Martyrol. univers. p. 9[illegible].
(10) Apud Boleluczky, Ros. Bohem, cap XIV, p. 166.
(11) Hist. Bohem, lib. VII, p. 52, ed Hanov 1602.
(12) Lib I, p 3.
(13) Vestig Bohem. piæ, cap. III, p 35 et 44
(14) In Ros. Bohem, sive Vita S. Adalberti sæpius.
(15) Sacr. Pulv x Januar., p 43, et XIII August., p. 122.
(16) Script rer. Bohem. Pragæ, 1784, t. II, p 437.

A (1) *scriptor sæculi decimi quinti. Breviarium Warmiense anni* 1516 (2), *Christophorus Varsevicius in libello anno* 1601 *Romæ edito, aliique inter Polonos ; sicut et ab Hungaro nescio quo e Societate Jesu* Gaudentium *inter Sanctos patrios nominari video* (3). *Adde ex regionibus a Bohemia remotioribus Arnoldum Wion* (4), *Baronium et Pagium* (5), *Mabillonium* (6), *Felicem Nerinium* (7), *Mittarellium et Costadonium* (8), *ut hos tantum bonæ notæ scriptores, quos facile obvios habui, hic nuncupem, nec alios aliunde anquiram : quoniam id quod adversum Decessores nostros demonstrandum suscepi, ex iis quæ antea disputavi, satis liquere arbitror,* S. Gaudentio *locum in Opere nostro competere. Quum autem quæ is ad martyrium usque S. Adalberti gessit, cum Actis hujus Sancti ab Henschenio jam illustratis* (9) *intime connexa eisque inserta sint, ita ut hic prolixe repeti non debeant, optimum factu judicavi fore, si descripsero compendiosam de* S. Gaudentio *notitiam, quam alteri de S. Adalberto subjunxit Nerinius modo* B *laudatus, in suis de templo et cœnobio SS. Bonifacii et Alexii historicis Monumentis, Romæ editis anno* 1772 (10), *eique aliquas, ubi res feret, annotationes adjecero.*

VITA S. GAUDENTII

AUCTORE FELICE NERINIO.

Ex editis Romæ anno 1772.

Gaudentius S. Adalberti frater et comes,

Magnæ Gaudentii *a* laudi tribuendum Beatum Aldalbertum fratrem *b* habuisse ; at multo laudabilius fuisse illi non tam naturæ et sanguinis quam morum et vitæ similitudine conjunctissimum. Nam una cum ipso Romam veniens, monasticæ se disciplinæ tradidit, eamdem quam C Adalbertus vitæ rationem suscipiens *c* sub abbate Leone, de quo supra diximus *d*. Fratres alios Adalberto duos fuisse legimus, qui et ipsi Romam quum venissent, atque illum eo in consilio hærere intellexissent, ut monachus fieri vellet, sibi revertendum existimarunt. « Duo ex fratribus, » qui cum eo erant, jam dudum videntes quia » (Adalbertus) se monachum facere vellet, non » bene projecto clypeo, fugam dederunt. Solus » vero Gaudentius exemplo constantis viri rema- » nens cum Beato Viro, monachatum atque » probabilem conversationem consequutus est ; » qui etiam sibi carne et spiritu duplex germa- » nus, et ab infantia semper fidissimus comes » adhæsit *e*. » Monastico igitur habitu indutus Alexiano in cœnobio Gaudentius, a latere Adalberti, quem diligebat plurimum, avelli numquam D potuit ; et non modo laborum, sed itinerum perpetuus illi socius et comes fuit *f*, etiam quum postremo in Bohemiam redux, sacra lipsana S. Martini Turonensis et S. Dionysii Parisiensis in Galliis veneratus, inde Praga declinans, Gnesnam *g*, Gedanum et in Prussiæ provinciam descendit, ubi labores suos illustri martyrio complevit.

non tamen consors martyrii,

2 Quinimmo Gaudentium una cum fratre martyrem occubuisse Annales Warmienses tradunt : « Ferro in viscera adacto contrucidatur eadem » die, qua a sacrificulis furenti impetu caput » Adalberto amputatum est. » Sed multa nos inducunt ut nullam eis fidem adhibendam arbitremur. Primum inepta multa produnt, et anilium plenissima fabellarum *h*, inter quæ illud præcipuum, quod ad rem nostram pertinet, Adalbertum, postquam martyr jacuerat, abscissum caput suis ipsum manibus mirabiliter gestasse, et multa millia passuum confecisse, quoad in Poloniam pervenisset, ac in civitate quæ Gnesna dicitur, iterum commode placideque occubuisset. E Hunc de Adalberto errorem (qui error a pictorum licentia, qui martyres caput suum amputatum gestantes pingere solent, omnino manavit in vulgus) quum Annalium Warmensium scriptores enarrare non dubitaverint, neque digni sunt quibus de Gaudentii martyrio credatur, licet in Breviario Warmiensi edito anno Domini 1516 ex præconcepta opinione sic iterum narretur : « Sanctus quoque Gaudentius, prædi- » cationis ipsius socius, pariter eodem fato et » loco martyr Christi consecratur. » Accedit quod de Gaudentii martyrio nihil ab antiquis proditum est : legitur quidem in Actis ipsum fratris morti præsentem fuisse, et in vincula conjectum post celebrationem Missæ, qua sacra extrema Communione S. Adalbertus refectus est, antequam a satellibus teterrimis confoderetur ; sed de Gaudentii nece ne verbum quidem. Quare qui Adalberti fidissimus socius, qui ejus virtutis animique magnitudinis imitator egregius semper fuit, hunc et martyrium mortisque similitudinem optasse quidem, non obtinuisse existimare debe- F mus : quod aperte his verbis declarat Cosmas Pragensis : « Gaudentius non solum carnali, sed » etiam spirituali conjunctione frater S. Adal- » berti et comes individuus in omni labore et » ærumna fuit ; et si cum eo non corpore mar- » tyrium, mentis tamen compassione tulit ; nec » enim fieri potuit ut gladius animam ejus non » pertransiret, quum germanum suum romphæis » paganorum concidere videret, et ipse pariter » occidi optaret *i*. »

post ejus necem

3 Sed quod nullum dubitationi locum relinquit ; illud est, quod ante posuimus, Gaudentium electum fuisse episcopum ecclesiæ Gnesnensis *k*, quæ in honorem S. Adalberti ibidem tumulati in sedem archiepiscopalem ab Ottone III erecta fuit *l*, ut legitur in Chronico Magdeburgensi

(1) Hist. Polon., lib. II, col. 125, ed. Lips. 1711.
(2) Apud Henschen., p. 177.
(3) Act. SS. Ungariæ, semest. I, p. 185, et append. p. 33.
(4) Lign. Vit. part. 2, lib. III, p. 145.
(5) Ad an. 999 et 1036, t. XVI, p. 394 et 621, ed. Luc.
(6) Annal. Bened., t. IV, lib. LVIII, num. 4, p. 396, et Ind. gen. p. 719, edit. Luc.
(7) De templ. et cœnob. SS. Bonif. et Alex., c. IX, § 5, p. III et seqq.
(8) Annal. Camaldul., t. I, Index rerum et nominum, pag 509.
(9) Acta Sanctorum, T. III April., p. 174 et seqq.
(10) Loc. cit.

A gensi, cujus fragmenta edidit Mabillonius : ex quibus habemus quod « imperator Otto III, » auditis mirabilibus quæ per dilectum Sanctum » Martyrem Adalbertum Deus fecit, orationis » caussa eo pergere festinavit.... Videns autem » a longe civitatem Gnesnam desideratam, nudis » pedibus suppliciter advenit..... nec mora, fecit » sibi archiepiscopatum.... cujus diœcesi omnis » hæc regio subjecta est, committens eumdem » prædicti Martyris fratri, qui et Gaudentius, » etc. » vocabatur.

factus est archiepiscopus Gnesnensis.

4 Hac de caussa Gaudentius appellatus est Archiepiscopus S. Adalberti (scilicet archiepiscopus Gnesnensis ecclesiæ, ubi S. Adalbertus episcopus et martyr quiescebat) ; nam hoc titulo vocatum et subscriptum legimus mense Decembris die secunda A. D. 999 in placito Farfensi de cella Minionis, quod primus vulgavit Mabillonius Annalium Ord. S. Benedicti lib. LI, § 95, ubi inter alia hæc leguntur : « Quadam vero die » dum resideret Domnus Otto imperator in B » palatio... et residentibus ibi cum Domno » Leone archiepiscopo sanctæ Ravennatis ecclesiæ et Gaudentio archiepiscopo S. Adalberti, » etc. » In subscriptionibus vero præ aliis ita legitur : « Ego Gaudentius archiepiscopus S. » Adalberti martyris interfui et subscripsi. » Patet itaque post Adalberti martyrium Gaudentium constitutum esse episcopum Gnesnensis ecclesiæ *m*, in eaque mortuum et sepultum esse *n*, ut satis etiam comprobatur ex historia translationis sacrorum corporum Adalberti, Gaudentii et quinque Fratrum, quam late describit Cosmas Pragensis decanus initio libri 2 Chronici Bohemiæ *o*.

m n o

ANNOTATA.

a *Ut latino* Gaudentius, *ita patrio idiomate* Radim *Sanctus noster appellatur, et utriusque nominis una eademque significatio est. Est enim* Radim, C *seu pro dialectorum slavonicarum varietate* Radzim *aut* Radzin *(unde apud latine scribentes* Radimus, Radinus, Radzimus, Radzinus, Rasinus), *a radice* rad, *quæ gaudium vel lubitum significandi vim habet ; ut me docet Cl. Bartholomæus Kopitar* (1) *ad eamdem radicem reducendo nomen fere simile* Ratko, *grammatice* Radko, *ut sit quasi* Gaudentius *græce* Χαιρίας. *Erronea proinde est lectio* Kadimo *in prioribus Ditmari editionibus* (2), *etiam Leibnitiana* (3), *cui accuratam lectionem* Radimo *substitutam video in nova Pertziana editione* (4). *Item corrigendum est nomen* Stadin, *male pro* Radim *positum in Anonymi Chronico Bohemico apud Menckenium* (5).

b *Goldastus opinatus est* (6) Gaudentium *non* D *fuisse nisi spiritualem S. Adalberti fratrem ; sed bene circa hoc Schminckius monet* (7) : Carnalem, ut ita dicam, non spiritualem solum, Adalberti fratrem fuisse Gaudentium, et quidem uterinum, contra Goldastum defendit Balbinus (8) : quod mihi etiam verosimillimum videtur, siquidem in Vita S. Adalberti de hoc Gaudentio sæpius dicitur quod fuerit « carne et spiritu duplex germanus » Adalberti. *Imo auctor alterius Vitæ his omnino verbis eum designat* (9) : Gaudentius ex patre caro et frater suus.

c *Monachus una cum S. Adalberto factus est* Gaudentius *Romæ in cœnobio S. Bonifacii, Martyris scilicet Romani, qui* XIV *Maii colitur ; cui cœnobio accessit altera item appellatio a S. Alexio propter depositum ibi hujus Sancti Confessoris corpus* (10) *: unde factum ut monasterio Brevnoviensi, a S. Adalberto ac Boleslao duce fundato, præter S. Benedictum duo quoque jam laudati Sancti tutelares assignati fuerint* (11). *Hæc comperta haud habens Trithemius, sciens tamen SS. Adalbertum et* Gaudentium *fuisse cœnobii S. Bonifacii mona-* E *chos, existimavit* (12) *eos ad Fuldense monasterium pertinuisse, cujus auctor parensque fuit illustrissimus Germaniæ Apostolus ac Martyr Bonifacius. Lapsus est præterea in alterum errorem, nempe* S. Gaudentium *fuisse Pragensem episcopum. Trithemii auctoritatem, quantum ad S.* Gaudentium *attinet, misso scilicet S. Adalberto, Schannatus inconsideranter secutus fuit* (13).

d *De Leone abbate pluribus agit Nerinius cap.* IX, § 3, *pag.* 91 *et sequentibus.*

e *Sumpta sunt hæc ex Vita priore S. Adalberti apud Henschenium, cap.* III, *num* 16. *Hujus Vitæ, quam ab ipso* S. Gaudentio *compositam esse recentes aliqui scriptores perperam fuere arbitrati, censet Cl. Pertz auctorem fuisse Joannem Canaparium, de quo in eadem occurrit mentio cap.* VI, *num.* 29 ; *alteram vero Vitam, ab Henschenio item editam, S. Brunoni archiepiscopo, in Prussia anno* 1008 *martyrium passo (de quo Bollandus ad diem* XIV *Februarii), deberi pronuntiat. Videatur Præfatio ad utramque Vitam, inter Monumenta Germaniæ historica novis curis recusam* (14). F

f *Fuit* S. Gaudentius, *ut passim alibi, sic et in Hungaria socius apostolicorum laborum S. Adalberti germani sui, de quibus consule Stiltingum in Commentario prævio de S. Stephano rege* (15). *Item* condito *anno* 993 Brzevnovio, atque propriis manibus una cum sancto fratre *aliisque piis monachis* ædificato, *ut ait Ziegelbauer* (16) vitam in eo religiosam pie ac sancte cousque traduxit, quoad Divi germani hærendum lateri denuo fuit.

g *Poloni scriptores plures, quorum opinio etiam Officiis ecclesiasticis inserta fuit* (17), *asserunt Gnesnensi ecclesiæ præfuisse S. Adalbertum ; quod tamen admitti nequit, nisi tantummodo quatenus Sanctus Pragensis præsul, dum Gnesnæ aliquam-*

(1) Glagol. Cloz., p. XXIX
(2) Ut colligo ex citatione Baronii ad an. 999, num. 12, tom. XVI, p. 393, ed. Luc.
(3) Script. rer. Brunsvic., t. I, p. 357.
(4) Monum. Germ. hist., Script. t. III, p. 781.
(5) Script. rer. Germ., t. III, col. 1658.
(6) Comment de Regn Bohem., etc., lib. V, cap. IV, num. 5, p. 735, 736, ed. Schminckii,
(7) Ibid. in not.
(8) Epitom. rer. Bohem., lib. II, cap XIII, p. 139 ; Miscell. hist., dec. 1, lib. III, cap. XXII, § 1, p. 288.
(9) Cap. VI, num. 26 apud Henschen., p. 196.
(10) Cfr. Nerin. op. cit., cap. II et III, p. 8 et seqq.
(11) Ziegelbauer, op. cit., cap. I, p. 6.
(12) Annal. Hirsaug., t. I, ad an. 992 et 1002, p. 137 et 147.
(13) Hist. Fuld., part. 1, cap. I, p. 6.
(14) Script. rer. Germ., t. IV, p. 574 et seqq.
(15) T. 1 Sept., p. 181, 182, 185 et seqq.
(16) Op. cit. cap. VII, p. 88.
(17) Offic. propr. Patronorum prov. Polon. ad dies XXVIII et XXX Aprilis ; item Offic. propr. diœc. Olomuc., Vratislav., etc. ad XXIII Aprilis.

diu

diu substitit, munia episcopalia ibi exercuerit, ut dicit Henschenius in Commentario prævio (1). *Conferantur de hac re observationes Pagii in Critice Baronii* (2) *et annotatio Andreæ Schotti Dantiscensis in sua Prussia Christiana* (3). *Neque stare potest alia eorumdem Polonorum assertio* (4), *ac si S. Adalbertus, quando Gnesna in Prussiam abiit* Gaudentium *pro se archiepiscopum illic reliquisset. Quippe ex Vitis S. Adalberti clarissime constat* S. Gaudentium *cum eo Gedanum atque inde longius profectum, eique in prædicando infidelibus evangelio cooperatorem, et in extremo agone socium, ac vix non gloriosi martyrii consortem fuisse. Sed de Gnesnensi* S. Gaudentii *archiepiscopatu plura inferius.*

h *Vide has narratiunculas compendio relatas ab Henschenio, qui iis in hunc modum præfatur* (5) *:* Alia rursum Acta habemus, ex monumentis et annalibus Archivii Warmiensis in Prussia et ex majorum traditione collecta, et nobis a Mathia Sarbivio Vilna, atque aliunde ab alio submissa. In iis, quæ ad martyrium spectant, amplificantur mirabili figmento hic in pauciora verba contrahendo.

i *Vinculis constricti erant a barbaris* Gaudentius *noster et alter socius, quando vulneribus confossus S. Adalbertus occubuit. Eo autem occiso,* impii viri duos Fratres ejus immisericorditer ligatos secum portant, *inquit S. Bruno in altera S. Adalberti Vita apud Henschenium* (6). *Propter hanc ergo passionem fortiter pro Christi nomine toleratam, simul et propter mentis compassionem, ut ait Cosmas Pragensis a Nerinio hic allegatus.* Martyr *latiori quodam sensu* S. Gaudentius *dicit potest; nec alio procul dubio sensu hac eum appellatione decorat ecclesia Pragensis in oratione jam supra a me allegata, ubi ait :* Deus, qui nos concedis SS. Martyrum tuorum Gaudentii, et Benedicti, Matthæi, Joannis, Isaac atque Christini allationem colere, etc. *Imo vero congruit hic titulus* Gaudentio *datus cum veteri loquendi usu ecclesiastico, secundum quem* illi etiam martyres dicebantur, qui fidei causa post confessionem aliquid in corpore passi essent, etiamsi ex illatis pœnis minime contigisset spiritum exhalare, *ut observat Baronius* (7), *de S. Eusebio Vercellensi agens, quem pari de causa ut Martyrem veneramur* (8). *Porro, qui misere ligati fuerant S. Adalberti socii, vixque adeo mortem evaserant,* postea tamen a Prussis, cum ethnici deos suos jam placatos crederent, liberi dimittuntur, redeuntque in Poloniam, *ait Andreas Schottus* (9), *qui et sequentem huic assertioni annotationem adjicit :* Quamvis altum de hoc apud auctores silentium, facile tamen, cum Gaudentium archiepiscopum postea Gnesnensem fuisse sciamus, planissima id conclusione elicitur. Addimus etiam Boleslaum horum sociorum suasu corpus S. Adalberti a Prussis emisse, eosdemque tam charum pignus in Poloniam duxisse. Nam Glaber Radulphus inter Historicos Francorum Pithœanos in fol. editos scribit (10) *:* « Denique » discipuli ejus, accepto corpore Domini sui, il» lud secum ferentes in propriam sunt reversi » patriam. Cujus etiam meritis usque in præsens » largiuntur hominibus plura beneficia. » Fuit is scriptor sæculi XI.

k *Cosmas Pragensis ad annum* 999 *illa scribit* (11) : Eodem anno Gaudentius, qui et Radim, frater S. Adalberti, ordinatus est episcopus ad titulum Gnezdensis ecclesiæ. *Ad quæ annotat recens Cosmæ editor Rudolfus Kœpke* (12) : Jam in tabula anni 999 Gaudentii archiepiscopi mentio fit : Cfr. Wilmans Otto III, p. 113. *Ac re quidem vera placitum de cella Minionis, mox a Nerinio allegandum, quod ex archivo Farfensi protulit Mabillonius* (13), *haud dubie anno* 999 *Romæ habitum fuit, ita ut ambigi prorsus nequeat quin* S. Gaudentius *episcopali charactere jam tum fuerit insignitus. Hinc insuper haud levi conjectura deduci posse autumo hanc dignitatem ei in ipsa Urbe Roma fuisse collatam ; quo forsitan venerit missu Boleslai Polonorum ducis : tum ut hujus nomine cum Romano Pontifice et imperatore de episcopatibus in Polonia ordinandis ageret, de cujus rei cura laudatur Boleslaus in Chronica Polonorum* (14)*; tuum ut nuntium Romam afferret martyrii S. Adalberti, ejusque canonizationem Apostolicæ Sedis auctoritate faciendam postularet. Etenim, Ditmaro teste* (15), imperator Romæ certus hac de re effectus *est, ac tum quidem* condignas Deo supplex retulit odas, quod suis temporibus talem sibi per palmam martyrii assumpsit famulum, *postmodum vero, quum Gnesnam anno* 1000 *venit* (16), facto ibi altari sanctas in eo honorifice condidit reliquias *ejusdem martyris.* Concedere autem licentiam ex synodali decreto ut supra corpus defuncti erigeretur altare, hoc ipsum erat, *inquit Baronius* (17), inter Sanctos annumerare, ut anniversaria memoria de eis agi posset. *Itaque* Gaudentius, *jam episcopus ordinatus, destinatusque qui Polonicis ecclesiis metropolitico jure præforet, ac jam fratris sui canonizatione obtenta, sese aliquamdiu* archiepiscopum Sancti Adalberti martyris *dixerit* (*prout placito supra laudato subscripsit*), *antequam in ipsum ecclesiæ Gnesnensis thronum sublimaretur. Hunc autem adiit anno* 1000, *comitatus verosimiliter inde ab Italia imperatorem, qui, ut Ditmarus refert* (18), auditis mirabilibus quæ per dilectum sibi martyrem Deus fecit Æthelbertum, orationis gratia eo pergere festinavit, comitibus inter alios Ziazone tunc patritio et Robberto oblacionario cum Cardinalibus.

(1) Num. 3, p. 174.
(2) Ad an. 999, num. 16, t. XVI, p. 395.
(3) Pag. 54 et 55.
(4) Dlugoss, Hist. Polon., t. I, lib. II, col. 118, edit. Lips. 1711 ; Cromerus, de Orig. et reb. gest. Polon., lib. III, p. 52 edit. poster.; J. Herburtus de Fulstin, Hist. Polon., lib. II, cap. III, p. 20 ; Mirac. S. Adalberti apud Pertz, Script., t. IV, p. 614.
(5) Num. 13, p. 177.
(6) Cap. VI, num. 29, p. 198.
(7) Annal. eccl. ad an. 371, num. 117, t. V, p. 352. Cfr. id ad an. 253, num. 54, tom. II, p. 589 ; et ejusd. not. *h* ad Martyrol. Rom. II Januar.
(8) Cfr. Breviar. Rom. XVI Decembris.
(9) Op. cit. p. 69.
(10) Lib. I, hist., cap. IV, fol. 6 ; item apud Bouquet. Rer. Gall. Script., t. X, p. 7.
(11) Script. rer. Bohem., t. I, p. 66.
(12) Pertz, Script., t. IX, p. 56.
(13) Annal. Bened., t. IV, lib. LI, num. 95, p. 119-121, edit. Luc.
(14) Lib. I, num. 11, apud Pertz. tom. cit., p. 432.
(15) Lib. IV, num. 19, apud Pertz, Script., t. III, p. 776.
(16) Ibid. num. 28, p. 781.
(17) Annal. eccl. ad an. 1027, num. 13, t. XVI, p. 563.
(18) Loc. cit., p. 780.

l *Narrat*

A l *Narrat Chronographus Saxo* (1) : Hanc ergo urbem (*Gnesnam*) devotus imperator, occurrente sibi loci episcopo, nudis pedibus intravit, et post lacrymosam ad Sanctum Adalbertum orationem, nova illum institutione, id est archiepiscopatus in eodem loco fundatione, sed non legitima honoravit. Nam tota hæc provincia unius Poznaniensis episcopi erat parochia, et ipsa cum omnibus futuro tempore illic fundandis episcopatibus, auctoritate primi Ottonis et Pontificum Apostolicæ Sedis, metropolitano Magdeburgensis episcopii fuerat subjecta. Hanc ergo sine utrorumque episcoporum consensu iste imperator in quinque dividens episcopatus, in ipsa urbe Gnesi Gaudentium beati Adelberti germanum consecrari fecit archiepiscopum, eique tres alios episcopos in tribus locis, videlicet : Salz Colberch, Cracouwe, Wrotisla, ordinatos subjecit, Poznaniensem vero episcopum non assentientem priori juri et Magdeburgensis archiepiscopi subjectioni reliquit. *Ditmarus eadem hunc in modum exponit* (2) : B Videns a longe urbem desideratam, nudis pedibus suppliciter advenit, et ab episcopo ejusdem (*Posnaniensi*) Ungero venerabiliter susceptus, ecclesiam introducitur, et ad Christi gratiam sibi impetrandam martyris Christi intercessio profusis lacrymis invitatur. Nec mora, fecit ibi archiepiscopatum, ut spero legitime, sine consensu tamen præfati præsulis, cujus diœcesi omnis hæc regio subjecta est ; committens eumdem prædicti martyris fratri Radimo, eidemque subjiciens Reinbernum Salsæ Cholbergiensis ecclesiæ episcopum, Popponem Cracuaensem, Joannem Wrotislaensem, Ungero Posnaniensi excepto. *Quæ eadem Annalista Saxo* (3) *ex Ditmaro mutuatus fuit, præterquam quod post vocem* præsulis *addiderit :* et sui metropolitani, *et pro nomine* Radimo *substituerit :* qui et Gaudentius. *Vita autem S. Meinwerci* (4) *ita habet :* Ipso anno imperator tempore quadragesimali causa orationis ad S. Athelbertum Slaviam intravit, ibique, coadunata synodo, septem episcopia disposuit ; et Gaudentium monachum, fratrem B. C Athelberti archiepiscopi Pragæ, qui ante triennium a Prussis martyrizatus fuerat, in archiepiscopum ibidem constituit. *Hinc observat Bollandus, de* S. Gaudentio *loquens* (5) : Hic primus Gnesnensis archiepiscopus factus, uti scribit qui tum videbat Ditmarus lib. 4 Chronici, cum antea Gnesna sive (ut scribit) Gnesin, Ungero Posnaniensi episcopo subesset : quod Stephanus Damalevicius in Actis archiepiscoporum Gnesnensium, et Longinus ac Treterus in Posnaniensium episcoporum gestis vel non animadverterunt vel dissimularunt (6). *Quod vero ad legitimitatem erectionis novæ sedis Gnesnensis attinet, quam negat Chronographus Saxo, ac Ditmarus dubiam videtur habuisse, Baronius quidem his verbis suam sententiam aperit* (7) : D Cum audis tot sacra munia exhibita ab imperatore, scias male ipsi ut auctori esse tributa quæ legatus a latere cum eo missus archidiaconus Cardinalis S. R. E. sua auctoritate facienda curavit... Verum an ista a Romano Pontifice probata fuerint, vehementer dubito ; siquidem assertione Gregorii VII Romani Pontificis (8) apparet usque ad sua tempora nondum fuisse institutam sedem archiepiscopalem in Polonia. *Sed præter ea quæ ad dubitationem cardinalis Baronii levandam ex Annotato nostro superiori erui possunt, en quid circa epistolam S. Gregorii VII, qua affirmatur episcopos Poloniæ non habere certum metropolitanæ sedis locum, et huc atque illuc pro sua ordinatione vagari, Baronio respondeat Pagius* (9) : Ex Gregorii VII verbis illud tantum sequitur, quo tempore ipse litteras illas dedit, sedem metropolitanam vacasse propter gravissima quæ præcesserant bella aut alias rationes nobis ignotas (10), non vero ante illum annum nullum in Poloniæ regno metropolitam institutum. Sedem E enim Gnesnensem in profectione Polonica Ottonis III metropolim effectam, et S. Gaudentium archipræsulem renuntiatum, non video cum fundamento negari posse. *Et idem Pagius auctoritate apostolica, licentia scilicet Silvestri Papæ II, hoc negotium omnino actum fuisse, palam fieri contendit Annalium Hildesheimensium diserto testimonio* (11) : Imperator Otto III causa orationis ad Sanctum Adalbertum episcopum et martyrem quadragesimæ tempore Sclaviam intravit. Ibique coadunata synodo, episcopia septem disposuit, et Gaudentium fratrem beati Adalberti in principali urbe Sclavorum Praga ordinari fecit archiepiscopum, LICENTIA ROMANI PONTIFICIS, causa petitionis Bolizlavonis Boëmiorum ducis, ob amorem potius et honorem sui venerandi fratris, digni pontificis et martyris. *Ubi pro* Boëmiorum *legendum esse* Polonorum *et pro* Praga *legendum* Gnesna, *et hoc item apud Lambertum Aschafnaburgensem* (12), *Pagius suggerit* (13) ; *eo quod nec Lambertus nec Chronographus Hildesheimensis tam enormiter circa ea nomina errare potuerint, quum certum sit Pragam diu post utriusque scriptoris* F *tempora, nimirum anno tantum* 1344, *archiepiscopali sede cohonestatam fuisse : ut proinde scioli transcriptores utrumque locum depravarint. Porro hæc nominum confusio ansam quoque præbuit hallucinandi Cl. Georgio Waitz, Indicem rerum tom. III Scriptorum rerum Germanicarum a Pertzio editorum conficienti : quippe* Gaudentium *nostrum eumdem sese existimavit ac Thiatdagum S. Adalberti in Pragensi episcopatu successorem.*

m *De gestis a* S. Gaudentio, *quo tempore Gnesnensem ecclesiam rexit, non admodum multa memorarunt historiographi. Quod tradunt plerique rerum Polonicarum scriptores et alii quidam, unctum ab eo et solemniter coronatum Boleslaum, præsente Ottone*

(1) Ad an. [illegible], apud Leibnitz Access. hist. t. I p. 205 et 206, Chron. Magdeburg. apud Meibom. Rer. Germ. t. II, p. 280.
(2) Loc. cit., num. 28 p. 781.
(3) Ad an. 1000, apud Eccard Corp. Hist. t. I, col. 372, et apud Pertz, Script. t. VI, p. 644.
(4) T. I. Junii, p. [illegible].
(5) T. II Februar. p. 134.
(6) Cfr. Ritter, Geschichte der Dioecese Breslau, th. I, kap. 1, § 3, p. 31 et seqq.
(7) Ad an. 999, num. 13, t. XVI, p. 393.
(8) Lib. III, epist. 73.
(9) In Critice ad an. 999, num. 8, p. 395.
(10) Cfr. Ritter, op. cit. kap. III, § 5, p. 58.
(11) Apud Leibnit. Script. rer. Brunsvic., t. I, p. 721; apud Pertz, Script., t. III, p. 92.
(12) Apud Pistor. Rer. Germ. Script. t. I, p. 316 ; apud Pertz, tom. cit., p. [illegible]
(13) Loc. cit., num. 5, p. 394.

A *imperatore, quem asserunt anno* 1000 *regium nomen ac diadema huic Polonorum principi concessisse, id quidem a veritate alienum pronuntiant Baronius* (1), *Pagius* (2), *Struvius* (3), *auctor operis Gallici de Chronologia recte stabilienda* (4), *aliique plures. Ad diem autem* XII *Novembris, quo sancti Fratres quinque coluntur, penitius examinandum remittimus quod de iis ad* S. Gaudentium *spectans narrat auctor anonymus Chronici Bohemici* (5) : Gaudentius frater germanus ex ordine (*an ex patre?*) S. Adalberti in archiepiscopum Gnesnensem eligitur. Cujus fama et amore ducti sex fratres, videlicet : Benedictus, Matthæus, Joannes, Isaac, Christianus et Barnabas, qui cum fratre ipsius S. Adalberto de Roma venerant, cum consensu et voluntate Anastasii abbatis monasterii Brewnoviensis Poloniam ipsam gratia visitandi adeunt, et ad petitionem ejus ne desererent ipsum, eremum quamdam intrant. *Cui narrationi consona scribit Dubravius* (6) : Occiso Adalberto, ad Gaudentium diverterunt cupidissimum illos penes B se retinendi, nisi quod cupidius illi secretum sibi dari ostendique petebant. Evictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum plane solum longeque ab hominibus semotum jubet. *Videri interim possunt quæ J. B. Mittarelli et A. Costadoni de hisce disputant in Annalibus Camaldulensibus* (7).

n *Ignoro quo indicio quave conjectura inductus fuerit Castellanus ut scriberet* S. Gaudentium *circa annum* 1709 *obiisse* (8). *Equidem unum tantummodo auctorem præ manibus habeo qui de morte ipsius aliquid referat, Longinum videlicet sive Dlugossium. En illius verba* (9) : Gaudentius, qui et alio nomine Radzin nominabatur, germanus Beati Adalberti archiepiscopi Gnesnensis, cum annos septem in vitæ sanctimonia et pontificatu Gnesnensi exegisset, apud Gnesnam moritur et in Gnesnensi ecclesia sepelitur. Fertur hic moribundus in Gnesnensem civitatem ob multitudinem immanium scelerum quibus se inquinaverat, nec eo manente, pœnitere voluerat, anathema protulisse. Nec in cassum transiit quod vir Dei prædixerat : a Bretislao enim C Bohemiæ duce et suo exercitu,... Casimiro Poloniæ rege in Almania exulante, invasa, cladem ingentem pertulit, et nobilissima sua clenodia opesque plurimas quibus ad invidiam usque abundaverat, amisit. Huic Hippolytus genere Italus successit. *Si huic testimonio fidere liceat, adeoque admittamus* Gaudentium *septennio Gnesnensi ecclesiæ præfuisse, obierit ergo circa annum* 1004 *secundum Longinum cæterosque qui jam inde ab anno* 997 *illam ei ecclesiam commissam fuisse volunt; sed pro aliorum scriptorum sententia mors ejus in annum* 1006 *vel* 1007 *protrahenda erit. Circa anathema autem ab eo pronuntiatum Longino consentit Chronica Polonorum sæculi duodecimi, in qua hæc de eo leguntur* (10) : Eo tempore (*anno* 1039) Bohemi Gneznen et Poznan destruxerunt, Sanctique corpus Adalberti abstulerunt. Illi vero D qui de manibus hostium evadebant, vel qui suorum seditionem devitabant, ultra fluvium Wysla in Mazoviam fugiebant, et tam diu civitates prædictæ in solitudine permanserunt quod in ecclesia Sancti Adalberti martyris Sanctique Petri apostoli sua feræ cubilia posuerunt. Quæ plaga creditur eo toti terræ communiter evenisse, quod Gaudentius, Sancti Adalberti frater et successor, occasione qua nescio, dicitur eam anathemate percussisse.

o *Aliqua subdit Nerinius de controversia Bohemos inter et Polonos acriter agitata circa possessionem corporis S. Adalberti, quod utrique penes se esse gloriantur. Verum ea omittenda censui, quoniam satis superque hæc controversia apud nos exponitur ad diem* XXIII *Aprilis, ubi extat longa Balbini pro Pragensi ecclesia disputatio. Monuisse hic sufficiat Balbini sententiam egregie fulciri iis verbis, quæ paulo ante e Chronica Polonorum, unius tantum a vastata per Bohemos Polonia sæculi intervallo scripta, jam recitavi* : Bohemi Gneznen et E Poznan destruxerunt, Sanctique corpus Adalberti abstulerunt. *Neque repetam historiam festivæ sacrarum exuviarum ad urbem Pragam translationis; sed illud tamen observari velim, ordinem processionis ab Hajecio* (11), *Balbino* (12) *et aliis recentioribus, adeoque et in Officio ecclesiastico jam citato, paulo aliter atque auctius describi quam a Cosma Pragensi descriptus fuerat. Hic habet* (13) : Dux ipse et episcopus humeris subnixi dulce pondus portant Martyris Christi Adalberti. Post simul abbates ferebant reliquias quinque Fratrum. Deinde archipresbyteri gaudent onere Gaudentii episcopi. *Hagecius vero ait* : Brzetislaus princeps, Severus episcopus, princeps abbatissa S. Georgii et Procopius Sazaviensis abbas, nunc regni Boemiæ patronus (14), tulerunt primo loco sanctum corpus Adalberti. Post eum metropolitani (*Pragenses*) et Vetero-Boleslavienses quatuor archipresbyteri Beatum Gaudentium. Tertio sequebantur Helinandus Ostroviensis (Insulanum *Balbinus vocat*), Miroslaus Brzevnoviensis, Clemens Rupensis (*Balbino* Skalensis) abbates, et F alii prælati, portantes corpora Sanctorum quinque Fratrum. *Crugerium, qui et a Cosma et ab Hagecio dissentit* (15), *haud moror, quum ipse fateatur se ex suo genio quædam admiscuisse*, non historiam, sed pompam attinentia, ac exaggerantia speciose. *Ad extremum lectores denuo remitto ad laudatam Balbini disputationem* (16), *ubi in medium adducitur narratio Cosmæ de* S. Radim *seu* Gaudentio *se albis vestibus ac splendido vultu anno* 1074 *Cracoviæ cuidam captivo videndum exhibente, eumque e carcere liberante; ac de visionibus sæpe conspectis a custodibus ecclesiæ S. Viti Pragensis, dum visitarent candelam in sacello sanctorum Cosmæ et Damiani, ubi corpus* S. Gaudentii *quiescebat*, *noctu accendi solitam*.

(1) Ad an. 1000, num. 14 et seqq., tom. cit, p. 105 et 106
(2) Ibid. num 5.
(3) Corp. Hist. Germ. period. 5, sect. 1, § 6, not 42, pag 267.
(4) Art de vérifier les dates, t. II, p 68, edit Paris, 1784.
(5) Apud Mencken Script. rer. Germ., t. III, col. 1619.
(6) Hist Bohem, lib VI, p 41.
(7) T. I, lib. VII, num 7 et seqq. p. 246. et seqq.
(8) Martyrol. univers. p. 915.
(9) Hist. Polon, lib. II, col. 149 et 150.
(10) Apud Pertz, Script, t. IX, p 437.
(11) Chron Bohem, fol. 115, apud Boleluzcky, Rosa Bohem, c XIV, num 11 p. 466
(12) Epitom rer. Bohem, lib. III, cap III, p. 168.
(13) Apud Henschen, p 202.
(14) Cfr Acta Sanctorum Julii, t. II. p. 136 et seqq.
(15) Sacr. Pulv ad XVIII August., p. 121 et seqq.
(16) Apud Henschen., p. 204, num. 7.

NOTA

D

A

NOTA 53 ad pag. 493, littera F.

DE S. MARIANO EREMITA.

Quis iste Sanctus eremita et de ipsius reliquiis.

Cultus S. Mariano exhibitus,

A *longiori quam de* S. Mariano *inter Prætermissos instituunt disquisitione* (1) *abstinere potuissent Decessores notri, atque adeo dubium, ut arbitror deposuissent, si conjecissent oculos in libellum ab Armando Gérard canonico Sarlatensi anno* 1664 *ad Bollandum ejusque socios dono missum, quo continentur Vitæ Sanctorum Alverniæ et Velauniæ, gallice descriptæ a Jacobo Branche priore majore cœnobii Beatæ Virginis Mariæ Piperacensis Ordinis Augustiniani* (2). *Nimirum in eo reperissent* (3) *quotannis Evahoni ad diem decimum Octobris celebrari a populo translationem* S. Mariani *illius cujus ibi servabantur sacræ exuviæ, quique in Lemovicensi diœcesi festum obtinuit diem* XIX *Augusti, ad quem Sollerius de eo egit* (4), *et in diœcesi Bituricensi (ut in Kalendario Breviarii anni* 1734 *hujus diœceseos ad* XIX *Augusti expressis notatur verbis)* ab antiquo *colitur die* XIX *Septembris, ad quem iterum de eo apud Majores nostros sermo est inter Prætermissos* (5). *Quod autem hic Sanctus a Ferrario signatur, non* X, *sed* XI *Octobris, id inde verosimiliter profluit, quod prior ex hisce diebus in diœcesi Lemovicensi occupatur festo Translationis S. Martialis, prout in Tomo V Octobris inter Prætermissos illius diei* (6) *necnon in Kalendariis ejusdem diœceseos videre est. Porro, ut hac occasione ad ea quæ a Decessoribus nostris olim de* S. Mariano *dicta fuere, aliqua addamus, laudatus Jacobus Branche ex Officio ab Evahonensibus recitari solito, sex transcripsit versus, qui ita sonant :*

B

Hic eremi cultor totus,
Melle pastus, aqua potus,
Ovis vestitus vellere,
Abjecto rerum pondere,
Per quater undenos annos,
Hic complevit dies suos.

statusque Reliquiarum

2 *Idem scriptor refert capsam reliquiariam Sancti retro majus altare stetisse, quatuor columnis lapideis innixam ; et quæ in ea erant, reliquias in quatuor fuisse distributas parvis thecis, telisque amyla aut cera illitis circumdatas ; caput vero reliquiario argenteo seorsim fuisse contentum, atque in sacrario collocatum, quo magna soleret populi multitudo precandi gratia confluere. Ex recentiori autem opere de Sanctis Lemovicensibus, quod adornavit R. D. Labiche de Reignefort, ecclesiæ illius canonicus theologalis* (7), *accipimus locum , ubi* S. Marianus *inventus fuit mortuus, credi silvam illam esse quæ hodie* d'Entraigues *appellatur, nomine derivato a vocibus latinis* Inter aquas, *sitam in territorio parochiæ S. Radegundis diœceseos Bituricensis, tribus ferme leucis ab Evahono oppido, quod hodiedum, ut olim, ad Lemovicensem diœcesim pertinet. Assignat Cl. Labiche* S. Mariano *diem* XIX *Septembris* (8), *sequens videlicet Kalendarium Breviarii recentioris Lemovicensis, in quo Sanctus eo die occurrit, ut nos docet Ordo divini Officii recitandi anno* 1832 *editus, quem præ manibus habemus ; dum antiquiori Breviario, annis* 1625 *et* 1626 *excuso, eum videmus inscriptum ad* XIX *Augusti : ita ut nunc Lemovicenses cum Bituricensibus circa diem cultus conveniant.*

E

F

C

(1) Acta SS. tom V, Octob., supra, p. 493, 494 et 495.
(2) La vie de Saincts et Sainctes d'Auvergne et de Velay, par M. Jacques Branche, etc. Au Puy, 1652.
(3) Pag. 476.
(4) T. III Augusti, p. 734.
(5) T. VI Septembris, p. 2.
(6) Supra, p. 3.
(7) Six mois des vies des Saints du diocèse de Limoges et de tout le Limousin, Limoges, 1828.
(8) T. II, p. 19 et seqq.

NOTA 54 ad pag. 535, littera C.

DE S. NIGAZIO ET SOCIIS EJUS

MARTYRIBUS

VADINIACI IN PAGO VILCASSINO.

Ecclesia S. Nigazio dedicata ; reliquiæ.

Ex chronico Normanniæ detegitur confusio

L*icet nec probare, nec improbare hanc congeriem conjecturarum de Sanctorum Nigazii, Quirini, etc., Martyrum reliquiis libeat, juverit tamen nonnulla annotare de his quæ hic a Cornelio Byeo attinguntur. Imprimis ignotum Byeo Normanniæ Chronicum, a Davanneo citatum absque controversia Chronicum Normanniæ est, quod D. Bouquet* (1) *primus edere instituit, quodque post annum* 1250 *absolutum fuisse ostendit* (2). *Eo enim loci* (3), *ubi prælium Varavillanum describitur et Guilielmi Nothi de rege Franciæ Henrico primo victoria, additur paucos ex novissimo agmine Francos* evasisse,

(1) D. Bouquet, Recueil des Hist. de France, t. II, p. 320 et seq.
(2) Ibid. præf. num 90, pag. LXXXIII.
(3) Pag. 313.

A *evasisse, quod cæderentur vel caperentur; dein inter captos recenset* le conte de Roussy, le conte de Soissons, LE VICONTE DE MELUN, le pallatin de Brie, etc.

vicecomitis Melodunensis cum comite Mellentino;

2 *Inter hæc nomina animadvertendus est* le viconte de Melun, *quem Davanneus confudit cum comite Mellentino, licet in isthoc Normanniæ Chronico probe distinguantur, prout videre licet apud D. Bouquet, ubi* (1) *aliquot paginis ante legitur* le conte Valleran de Meulant. *Similem, licet inversum, admisit errorem Sebastianus Rouillard, qui in Historia Melodunensi, quam anno* 1628 *excudi voluit, Vallerannum seu Gallerannum primum, Mellentinum comitem, vicecomitem Melodunensem* (de Melun) *fecit, licet tunc temporis Ursio ejus filius vicecomitatum Melodunensem teneret* (2).

templum S. Nigasii, anno 1120 consecratum

3 *Verum et alia castiganda in hac Commentarii parte supersunt. Imprimis omnia, quæ de Gaufrido Carnotensi disseruntur, falso laborant supposito. Ecclesia scilicet illa, sub annum* 1032 *a Galleranno I erecta, consecrata non fuit a Gaufrido I Carnotensi*
B *episcopo, sed anno* 1120 *a Gaufrido II, ut recte habet Mabillonius in Annalibus ad annum* 1101 (3), *Gallia Christiana* (4) *adeoque post ipsos, Auctor libri, cui gallice titulus est :* l'Art de vérifier les dates (5).

sub Galleranno II, cujus decessores accuratius indicantur,

4 *Juverit hic etiam attexere chronotaxim nonnullorum comitum Mellentinorum, secundum quam conjecturæ Byei exigantur. Gallerannus scilicet I mortuus et die* VIII *Octobris anni* 1069 *seu sequentis, ut ex ejus sepulcro anno* 1590 *detecto intellectum fuit. Successit ei filius natu maximus Hugo, qui comitatum tenuit usque ad annum saltem* 1076, *et qui, anno forte sequenti cuculla apud Beccenses suscepta, anno* 1079 *seu sequenti, die* XV *Octobris obiit. Successit ei soror sua Adelina, Rogerio de Bello-monte nupta ; cui anno* 1081 *seu sequenti defunctæ successit filius Robertus III, qui, ut loquitur Willelmus Gemeticensis, plusquam* 27 *seu potius* 37 *annis comes Mellentis viguit. Gallerannus II, anno* 1104 *ex Roberto III natus anno* 1118 *patri defuncto successit ; atque hic statim multa pietate* S. Nigasium *prosecutus est. Unde non tantum ecclesiam consecrandam anno* 1120 *curavit, verum etiam*
C *tot beneficiis prioratum istum auxit, ut a Beccensi Chronographo* S. Nigasii *Mellentensis ecclesiæ fundator appelletur. Quum vero hic anno* 1123 *in Angliæ regem, domus suæ benefactorem egregium, rebellasset, ab hoste interceptus est et decennium carcere detentus : quæ omnia perturbata et commixta occasionem dedisse videntur opinioni Davannei Byei, Victoris, Cotron*, S. Nigasii *prioratus*
D *Chronographi, necnon ex eo auctorum libri* Art de vérifier les dates *de captivitate Galleranni I, de ejus voto aliisque, quæ apud Byeum nostrum in dicto Commentario leguntur.*

videtur habuisse aliquot S. Nigasii reliquias ab anno 1032;

5 *Unde si standum esset conjecturæ Byei, quod scilicet* S. Nigasii *reliquiæ in hanc ecclesiam illatæ sint tempore illius consecrationis, annus* 1120 *assignandus foret. Verum valde imbecille videbitur hujus sententiæ fundamentum, si quis animadverterit eam ecclesiam a* S. Nigasio *fuisse dictam ex quo primum anno* 1032 *erecta fuit, eo ipso scilicet tempore, quo sanctorum Martyrum exuviæ in agrum Rotomagensem relatæ sunt; unde valde verisimilem habemus narrationem Davannei, quantum spectat ad susceptionem aliquot reliquiarum, quas dicto anno* S. Nigasii *Mellentina ecclesia accepisset.*

corpus vero accepit anno 1096;

6 *Cæterum arbitror futurum non fuisse ut ita Byeus conjecturis indulsisset, si legisset saltem Chronicum Beccense, quod ipse Ms. appellat, et quod tamen integro sæculo jam ediderat ad calcem Lanfranci Operum Dacherius, lectionibus vero varian-*
E *tibus in Collectione Monumentorum ornarat Martenеus, et quod jam iterum in priori Lanfranci Operum tomo edidit anno* 1844 *Oxoniæ J. A. Giles. In eo scilicet legitur ad annum* 1196 : Confirmatæ sunt libertates sancti Nigasii de Mellento, anno regni sui decimo septimo. Quo quidem anno translata sunt corpora sanctorum Nigasii, Quirini, atque Bientiæ et Beati Gratiani martyris in ecclesiam sancti Nigasii de Mellento, octavo Calendas Junii. *Ad quæ verba alludentes, scriptores libri* Art de vérifier les dates *referunt sub annum* 1195 *sanctorum Martyrum reliquias in nova capsa repositas fuisse; verum* corpora in ecclesiam transferre *et* in nova capsa reponere *non videntur locutiones synonymæ. Et ne quis Chronici Beccensis auctoritatem minoris faciat, placet annotare prioratum* S. *Nigasii tunc temporis a Beccensibus occupatum fuisse.*

habentur et alibi aliæ reliquiæ.

7 *Sed de his satis. Superest ut moneatur lector aliis etiam in locis præter indicatos a Byeo servari* S. Nigasii *reliquias. In Historia civitatis Rotomagi, anno* 1721 *tertium edita, mentio fit* (6) *Condati, Aureliani, Rotomagi, Fiscanni et Rodonii seu Roneti* (Rony, *olim in diœcesi Carnotensi, non longe*
F *a Mellento). Quomodo vero Davanneus, toties in Commentario laudatus, die* XIX *Augusti anni* 1632 *templo cathedrali Rotomagensi os, (quod brachiine esset an cruris an etiam forsan aliud non recte sciebat,) concesserit, fusius narrat Pomerayus in Historia ecclesiæ cathedralis Rotomagensis* (7). *Os istud tum inclusum fuit feretro S. Severi, donec alia conficeretur pyxis* (8).

(1) Recueil des Hist. de France, tom. II, p. 329.
(2) Cfr Anselme, Hist. Généalog., t. II, p. 221, Paris, 1730 et diploma Henrici I, pro Cœnobio Hasnoniensi ap. D. Bouquet, t. II, p. 599.
(3) Lib. LXX, num. 9, t. V, p. 407.
(4) T. VIII, col. 1135.
(5) T. II, p. 693.
(6) Hist. de la ville de Rouen, part. III, p. 131.
(7) Hist. de l'égl. cathédr. de Rouen, p. 85.
(8) Ibid. loc. cit.

DE

A D

DE S. TARACHO ET SOCIIS EJUS

MARTYRIBUS

ANAZARBI IN CILICIA.

NOTA 55 ad pag. 565, littera F.

De S. Tarachi reliquiis.

Mutinæ conservatur cranium S. Tarachi,

Conservatur *Mutinæ in Italia cranium* S. Tarachi, *inclusum pyxide ex argento inaurato, quæ hanc habet formam : basis scilicet hexagona, sex aquilis argenteis in campis cæruleis et sex dracunculis ex argento inaurato ad angulos instructa, fert lancem, cui imponitur pium pignus, quamque circulus in formam coronæ confectus et encausto cæruleo ornatus circumdat. Huic circulo litteris gothicis hæc divisim inscribuntur :* B

✠ HOC · OS · ‖ EST · CAPI ‖ TIS · SANTI · ‖ THARACHI · ‖ MILITIS · E ‖ T · MARTYRI · ‖

S HOC · OPUS · FEC ‖ VANDIN · ESTENSIS
IT · FERI · ALDRO ‖ EPISCOP' · MUTINEN

ex quibus ultimis verbis intelligimus Aldobrandinum Estensem, qui ab anno 1352 *ad annum* 1378 *Mutinensem tenuit cathedram curasse ut id opus fieret, et proin medio sæculo* XIV *sacras has exuvias Mutinæ exstitisse. Quo vero tempore istuc advenerint ignoratur omnino.*

et celebratur sanctorum Martyrum festum.

2 *Porro thecæ summitas aperta est, quo liceat fidelibus exuvias has venerari in ea ipsa parte qua sanctus Martyr carbonum tormentum passus est ; hinc etiam fit ut tamquam patronus adversum capitis dolores colatur. Solemne item est ex antiquissima consuetudine, de qua loquitur S. Augustinus in libro* XXII *de Civitate Dei, cap.* VIII, *num.* 10, *flores capiti* S. Tarachi *circumponere eosque distribuere inter pios. Usque ad annum* 1830 *celebrabatur* S. Tarachi *festum cum Officio et Missa de communi in solo cathedrali templo ; verum illo anno impetravit Illustrissimus Ludovicus Reggianini, Mutinensis præsul, a Gregorio Papa XVI licentiam celebrandi* SS. Tarachi *et sociorum festum cum Missa et Officio proprio per totam diœcesim.* C

Cavedonus vindicat integritatem Actorum sanctorum Martyrum ;

3 *Occasione hujus concessionis edidit sequenti anno doctissimus Cavedoni Acta* SS. Tarachi *et Sociorum, prout Italice in Historia Ecclesiastica Orsi leguntur ; verum addidit annotata quædam, quorum omnium longe præcellentissimum circa sinceritatem et puritatem horum Actorum versatur. Objecerat etenim Tillemontius, Bueus aliique hæc Acta male feriati cujusdam hominis injurias tulisse manus ; quod patere ex vocabulis* ἔνδοξος Μητρόπολις, *quoniam Theodosius II divisisset Ciliciam duas in partes et Anazarbum constituisset metropolim Ciliciæ secundæ. Verum hæc manebit laus Cavedonum, quod animadverterit jam ab Augusti temporibus Tarsum præcellenter dictam fuisse metropolim ; similiter vero Anazarbum a temporibus Caracallæ et deinceps appellatam fuisse* ἔνδοξον Μητρόπολιν. *Quod utrumque probat, remittendo lectorem ad opus numismaticum Eckel* (1).

et quidem demonstratur ex veteribus nummis non tantum Tarsum

4 *Ast quum Eckelii opus penes nos non sit, ejus defectum supplere cogor Frœlichii nostri* Quatuor tentaminibus in re nummaria, *atque ex his ostendere jam pridem ante Diocletiani imperatoris tempora Anazarbum æque ac Tarsum Ciliciæ dictam fuisse illustrem metropolim. Quod ad Tarsum attinet, producit imprimis Frælichius nummum Maximini, cui inscriptum est* (2) : ΑΥΤ. Κ. Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. Π. Π. *id est* Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαῖος Ιούλιος Οὐήρος Μαξιμεῖνος Πατήρ Πατρίδος, *latine :* Imperator Cæsar Caius Julius Verus Maximinus, Pater Patriæ. *In postica vero parte legitur :* ΤΑΡΣΟΥ, ΜΗΤΡΟΠΟΛ. Α Μ Κ Γ Β, Ταρσοῦ Μητροπόλεος, Tarsi Metropolis ; *litteras* Α Μ Κ Γ Β *adhucdum omittamus. Refert dein* (3) *alium ejusdem Maximini nummum, cujus posticæ partis inscriptio eadem omnino refert. Post refert* (4) *tertium Balbini cum eadem iterum inscriptione ; exhibet et tres Gordiani* (5), *solitam in postica parte habentes inscriptionem ; item septimum Valeriani senioris non disparem* (6), *et octavum demum Gallieni* (7), *denuo et Tarsum Metropolim cum litteris* Α Μ Κ Γ Γ *habentem ; adeoque ex his nummis patet Tarsum Metropolim Ciliciæ fuisse saltem ab anno* 235 *ad* 267. E F

verum etiam Anazarbum seculo III dictam fuisse Metropolim :

5 *Sed et suos habet nummos Anazarbus, quibus constat eam eodem tempore Ciliciæ item fuisse metropolim. Profert imprimis nummum imperatoris Gordiani, cui inscribitur* (8) : ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟϹ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ, *id est latine* Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus ; *et in postica parte :* ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΕΤ. ΞϹ. Anazarbi Metropolis anno 260, *quem annum cum quarto Gordiani convenire vult Frælich* (9). *Exhibetur et alter ad Decium pertinens, cui inscribitur :* ΑΥΤ... ΤΡΑΙΑΝ. ΔΕΚΙΟϹ ϹΕΒ. Αὐτοκρατωρ Τραιανὸς Δέκιος Σεβαστός, Imperator Trajanus Decius Augustus ; *et in postica parte :* ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΕΝΔΟΞΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟ. ΕΤ. ΙΕΡΟΥ. ΝΕΟΥ. ΠΡΩ. ΖΞϹ. ΓΓ. *id est* Ἀναζάρβου Ἐνδόξου Μητροπόλεως Ἔτους Ἱεροῦ νέου πρώτου ζξς. Γράμματι γερουσίας, Anazarbi Illustris Metropolis. Anno sacro novo primo

(1) T. III, p. 75 et 42.
(2) Pag. 318.
(3) Pag. 329
(4) Pag. 323.
(5) Pag. 336 et 337
(6) Pag. 352.
(7) Pag. 358.
(8) Frœlich, pag. 326
(9) Pag. 327 et 343.

A 267. Rescripto Senatus. *Porro hunc annum cum primi Decii imperatoris concurrere manifestum facere conatur idem Frœlich* (1). *Nummum ad Caracallæ tempus seu ad annum* 214 *nostræ Æræ pertinentem tangit etiam Mentelle in Dictionario Geographiæ antiquæ* (2); *quem illis similem fuisse colligitur ex Cavedono, testante* Μητρόπολιν ἔνδοξον *ibidem inscribi. Unde indubium fit Anazarbum hoc titulo condecoratum fuisse jam per priorem sæculi* III *mediam partem.*

licet difficultates nonnullæ supersint.

6 *Superest ut, quantum fieri potest, tollamus difficultatem hic latentem, scilicet duplicem metropolim uni fuisse provinciæ. Re quidem vera sunt et aliæ provinciæ, quibus multiplex erat metropolis, seu in quibus plures erant civitates, quæ sibi hunc adscribebant titulum propter præsidum sedem* (3). *Sed nolo primus esse qui adstruat eamdem fuisse conditionem Ciliciæ. Volunt porro nonnulli ab initio Romanos divisisse Ciliciam duas in partes, quarum altera prima, altera secunda diceretur; quam divisionem certis antiquisque constare documentis vellem;* B *quæ enim afferuntur, Theodosio juniore posteriores sunt. Idem dixerim de asserto quod prima administraretur a viro consulari, altera a præside. Ego vero nil sapientius reperio quam quod ait Mantelle titulum* Illustris Metropolis, *Anazarbo datum, mere fuisse honorificum, nulliusque potestatis originem, sed ad id tantum valuisse, ut reliquarum civitatum magistratibus præiret Anazarbenus, post Tarsensem tamen. Tarsum scilicet, S. Pauli patriam, re et titulo fuisse metropolim in dubium revocat nemo; cæterum complures antea exhibuimus nummos, quibus id aperte asseritur. Verum his ipsis in nummis intactas dimisimus litteras aliquot* A M K Γ B, *seu* A M K Γ Γ; *quarum duæ ultimæ* Γ B, Γράμματι βουλῆς, ΓΓ Γράμματι γερουσίας, rescripto senatus, *seu* curiæ *difficultatem facessunt nullam; ast idem non dixerim de litteris* A M K. *Frœlich* (4) *non damnat, omnino sententiam quorumdam, ponentium* Πρώτη Μόνη Κιλικίας, prima sola Ciliciæ *metropolis; ei tamen præplacet hæc alia:* Αμφοτέρας Κιλικίας, utriusque Ciliciæ *metropolis; per quam utrumque Ciliciam intelligit ipse* Montanam *et* Campestrem, C *ut liquet ex his quæ inferius de alio nummo Tarsensi disserit* (5). *Verum ne quis arbitretur his solvi posse difficultatem de duplici metropoli, monendum est Tarsum et Anazarbum in Cilicia Campestri fuisse sitas. Insuper recedendum mihi omnino videtur ab utraque sententia a Frœlichio commendata, quoniam non tantum in nummis Tarsensibus, verum etiam Anazarbenis leguntur litteræ* A M K, *ut testis est nummus Mediceus, Anazarbi cusus, in cujus superiori parte leguntur* (6) *litteræ* Γ Γ, γράμματι γερουσίας, *in media* BOC, 272, *in infirma* A M K, *seorsim* L *seu* Λ, λύκαβας annus; *unde dicendum foret Anazarbum quoque dictam fuisse* utriusque Ciliciæ *metropolim; quod omnino ferendum non est. Malim itaque has siglas inexplicatas relinquere.*

D

NOTA 56 ad pag. 569, littera F.

Quo Præsidente passus est S. Tarachus.

De nomine et dignitate præsidis, sub quo S. Tarachus et socii passi sunt.

Consule Diocletiano et Maximiano iterum, XII Kalend. Junii in Tarso metropoli Ciliciæ assidente Numeriano Maximo præside, Demetrius centurio dixit. *Præter ea quæ animadvertit Buëus de Diocletiani et Maximiani consulatus tempore, et de* XII *Kal. Junii, tria alia hic annotanda videntur. Imprimis quod attinet ad Tarsum,* metropolim Ciliciæ *dictam, remittimus ad notam præcedentem, ubi rectam hanc esse appellationem ostendimus. Secundo præsidem latine vocari* Numerianum Maximum, *græce vero* Φλαυίον, *seu* Φλαβίανον, Γαίον, Νουμερὸν *seu* Νουμεριανὸν Μάξιμον *non fugiet lectorem; sed hæc nomina græca scilicet* Φλαυίον Γαίον Νουμεριανόν Μάξιμον, *servanda esse vel ex eo manifestum est, quod initio trium interrogationum absque* E *notabili mutatione eadem semper scribuntur; deinde ut ex Marino monet C. Cavedoni, fuere antiquiori etiam tempore viri nonnulli, qui triginta nomina haberent. Quod autem Maximus græce* ἡγεμών *vocetur, latine* præses, *alibi vero a sanctis Martyribus eidem respondentibus et ab Athanasio corniculario* ὑπατικὸς *dicatur, quod idem sonat ac* consularis, *(licet in Actis latinis dictioni græcæ vox* præses *respondeat,) hinc nata est quæstio quodnam Maximi proprium esset munus. Scripsit comes Bartholomæus Burghesius ad Cavedonum a se repertum fuisse quod Ciliciæ præpositi olim dicerentur jam* legati, *jam* proconsules, *jam* consulares *et generice* ἡγεμόνες; *verum hinc nedum affundatur lumen, tenebræ adduntur tenebris. Attamen huc forsan faciunt quæ in Lexico Antiquitatum Romanarum ad vocabulum* Consularis *quarto loco disserit Samuel Petiscus,* Consularis provinciæ, *inquit,* dicebatur etiam provinciæ rector, sive qui provinciam jure *consulari* administrabat. Non intelligitur *consulari* dignitate functus, sed infulis *consularibus* ornatus..... Ego vero ab Augusto primum inventos fuisse puto. Cum enim provincias cum populo F divideret, ex iis, quæ populo assignatæ sunt, aliæ fuere prætoriæ, aliæ *proconsulares*: ac duæ quidem *proconsulares*, quibus qui præerant, *proconsules* dicti sunt, Africa nempe et Asia: decem prætoriæ. Reliquas omnes sibi Cæsar retinuit, ac regendos suscepit: et in eas quidem modo *consulares* viros mittebat, modo prætorios, modo equites: *consulares*, qui mittebantur ex parte Cæsaris, *legati consulares* dicti sunt; qui prætorii, legati pro prætore. Græci πρεσβευτὰς ὑπατικοὺς καὶ πρεσβευτὰς στρατηγικοὺς eos vocant. Quos ex equestri ordine ad regendas provincias mittebat, hi minutis provinciis præerant, præsidum nomine atque procuratorum... Cæsar etiam in suis provinciis prætorios plerumque jure *consulari* esse jubebat, et sic *consulares*

(1) Pag. 343 et seq. Cfr. Belley, Mém. de littér., t. XXX, p. 714, et Hier. a Bennettis Chronologia et Critica, t. VI, p. 221 et seqq. Non omnino convenit de initio æræ Anazarbenæ: de uno alterove anno lis est; item non convenit de significatu *anni sacri novi*. Cfr. Frœlich, p. 343 et Vermiglioli, t. II, p. 86.

(2) Verbo *Anazarbe*.

(3) Cfr Dictionn. de Trévoux, verbo *Métropolitain*.

(4) Quatuor tentamina in re nummaria, p. 316 et seqq.

(5) Pag. 451 et seqq.

(6) Hieronym. A. Bennettis, Chronologia et Critica, t. VI, p. 222 et seq.

dicebantur,

A dicebantur, qui numquam *consules* fuissent. Sic Plinius Cæcilius *legatus Augusti pro prætore in provincia Ponti consulari potestate* dicitur in veteri inscriptione. *Eamdem autem Numeriano Maximo in Cilicia utpote Augusto subdita conditionem fuisse, quæ in Ponto huic Plinio Cæcilio fuerit, quis porro ambigat ? Tertio demum quod Demetrius* centurio *hic ubique quæstioni præest, monet Cavedonus morem fuisse Romanum ut* centurio *suppliciis adesset quod ex Matthæi cap.* XXVIII, ℣. 54, *ex Actuum Apostolorum cap.* XXII, ℣. 25 ; *et ex Commentariis de Bello Africano, cap.* 28 *adstruere contendit. Gerit hic insuper officium apparitoris.*

NOTA 57 ad pag. 596, littera F.

O*stendit Eckel ex nummo M. Antonii, in quo legitur* CHORTIS SPECULATORUM *latine dicendum* speculatorem *æque ac græce ; præterea Sabatier aliique interpretes in Marci evangelium* B (*cap.* VI, ℣. 27) *notant in antiquioribus exemplaribus* (*sic dictæ*) *veteris Italæ legi* speculatore, *non autem* spiculatore. *Cæterum vox hæc verbalis a verbo* speculari *originem ducit, non ab substantivo* spiculis, *ut habet Bueus, quemadmodum et ex dictionibus græcis, eumdem sensum efferentibus, apud Petiscum in Lexico Antiquitatum verbo* speculator *videret licet.* Speculator *autem hic miles est ad decollandum ordinatus, seu carnifex : quod munus olim administratum fuisse a militibus satis superque innotescit.*

NOTA 58 ad pag. 570, littera A.

Motivum S. Tarachi missionis.

Ostenditur missionem S. Tarachi fuisse gratiosam, non honestam.

V*ix intelligitur quomodo elapsum sit Bueo* honestam *fuisse* S. Tarachi *missionem, vel ob senectutem, ut ait, vel quod præscriptum legibus militaribus tempus expleverat ; quum ipsa verba contra-* C *rium indicent :* Propterea, *inquit* S. Tarachus, quod Christianus sum renuntiavi militiæ. Maximus dixit : Non enim dignus eras, impie, militare. Tamen quomodo recessisti a militia ? Tarachus dixit : PRECATUS SUM Publionem principem et dimisit me. *Jam vero alia missio* justa *est, alia* injusta. *Justa autem duplex est : vel* honesta, *quæ emeritis stipendiis datur ; vel* causaria, *quæ ob vitium, defectum, morbum. Injusta item duplex est ; vel* gratiosa, *per gratiam aut per ambitum impetrata ; vel* ignominiosa, *qua ob delictum, aut crimen militia quis solutus. Dicit itaque* S. Tarachus *missione* gratiosa *se a militia liberum ; quod etiam magis manifestum est ex interrogatione tertia, in qua provocat ad decretum Diocletiani, vetantis milites tormentis subjici,* etiamsi non emeritis stipendiis suis videantur dimissi, exceptis iis scilicet, qui ignominiose sunt soluti. *Porro Maximus, qui ægerrime ferebat sævitiam suam* S. Tarachi *constantia superari, et qui præstitutum sibi habebat a tormentis non cessare donec devicisset sanctum Martyrem, respondet quidem ignominiosam fuisse ejus* D *missionem :* Σὺ δὲ ἀσεβέστατος ὢν, ἀφέσεως ἀτίμου τετύχηκας διὸ χειρόνως σε βασανισθῆναι κελεύω. *Non quod reapse ignominiosa esset, sed quod hoc prætextu eludere vellet imperatoris decretum ; adeoque disceptatio Maximum inter et sanctum Martyrem non de missione honesta erat et ignominiosa, sed de gratiosa et ignominiosa. Jam si quæritur quare missionem suam petiisset* S. Tarachus, *respondendum forte est, id ab eo factum propter difficultatem vivendi christiane medios inter socios gentiles ; de qua re legendus est Christianus Lupus* (1).

NOTA 59 ad pag. 570, littera A.

Q*uum Demetrius, utpote centurio,* minister *esset præsidis in torquendis Sanctis Martyribus, hinc fieri videtur ut vocetur* minister *Satanæ ; adeo ut allusio fiat ad sævum ejus ministerium, non vero ad consilium sacrificandi Diis, quod* S. Taracho *obtrudit ; prout intellexit historicus Orsi, in versione italica vertens* ὑπηρέτα τοῦ σατανᾶ, minister satanæ, *per hæc verba :* Consigliere di Satana. E

NOTA 60 ad pag. 570, littera A.

Ponitur S. Probus in nervo, non equuleo.

L*ocus hic, recte ait Cavedonus, difficilis est tum in textu græco, tum in versione latina veteri, in qua legitur :* Mittite illi ferrum, per quatuor loca nervorum hunc constringite ; *græce vero :* βαλόντες αὐτῷ σίδηρα εἰς τέσσαρα κεντήματα αὐτον διατείνατε. *Ruinartius explicans :* Id est, *inquit,* ambas manus et pedes in nervo constringite ; *aliter vero historicus Orsi, interpretans a Maximo jussum fuisse* ut pedes ad quartum usque foramen seu punctum (κεντήματα) nervi extenderentur. *Probat hanc interpretationem Cavedonus propter hæc quæ de supplicio isto disserit Mamachius in Originibus et Antiquitatibus Christianis ; verum pace eruditi viri dixerim, equuleum confundit cum nervo. Si enim ad litteram vertatur textus græcus, dabit fere sequentia :* Imponite éi *(ad manus et pedes)* ferrea vincula, et extendite eum ad quatuor foramina nervi. *Porro hæc omnia optime conveniunt nervo. Nervus enim modus erat custodiendi reos et constabat ex tabula lignea, quam græci dicebant* ξύλον *et in qua quatuor erant foramina. Porro reus tabulæ huic imponebatur ad manus habens et ad pedes vincula ferrea seu etiam lignea in modum compedum confecta. His vinculis adhærebant nervi, quæ per foramina tabulæ traducebantur, adeo ut, qui ita alligaretur, manibus et pedibus ad animantium normam niteretur, seu, si magis ab invicem distarent foramina, extensis brachiis et cruribus pronus in tabula jaceret. Erat interdum in tabula quintum foramen, quo et ipsa constringeretur cervix ; sed de hac hic sermo non est, sed inferius ad* F

(1) Dissert. de antiq. discipl. Christ. Militiæ, cap. III, t. XI opp. p. 100 et seqq.

finem

A *finem primi interrogatorii* S. Andronici, *ubi jubet Maximus :* Δήσαντες αὐτοῦ τὸν τράχηλον καὶ τοὺς πόδας, φυλάττετε εἰς τὸ δεσμωτήριον; *ubi versio latina adjicit* ferro *eum esse ligandum.*

NOTA 61 ad pag. 570, littera B.

Quis esset cornicularius.

S*i ad leges fingendarum latinarum vocum magis animadversum fuisset, sane non immediate a* cornu, *sed a* corniculis *deductum fuisset vocabulum* cornicularius, *adeoque intellectum fuisset* cornu scriptorium *seu* atramentarium *originem non esse hujus nominis.* Cornicula *porro insignia erant galearum, in similitudinem cornuum ære vel ferro expressa, quæ in antiqua militia Romana, militibus honestioribus dabantur, beneficiariis ut plurimum centurionum et tribunorum. Hinc dicti* cornicularii,
B *quod nomen etiam post intermissum istud signum adhæsit iis qui tribunorum plebis acta, plebiscita jussaque scribebant et servabant, tum etiam iis qui præfecti prætorio aut præsidis sententias et decreta scribebant et publicabant, quin etiam iis cancellariis, quos extra cohortes secum in provincias præsides scribendi causa ducebant. Secundi aut tertii hujus generis fuisse Athanasium manifestum est.*

NOTA 62 ad pag. 570, littera D.

Flagellandi ritus exponitur ex Actis sanctorum Martyrum.

Torquete tibiam ejus fortiter, χαράξατε αὐτοῦ τὰς κνήμας εὐτονώτατα. *Notat in hæc verba Bueus græce legi* κνήμας tibias, *non vero* tibiam. *Sed forsan non minoris fuerit momenti indicasse, quod demum tormenti genus* S. Andronicus *hic pa-*
C *tiatur. Prima specie videri posset sanctus Martyr in equuleo positus, et ungulas seu pectines ferreos pati ; verumtamen ex num.* 20 *manifestum est, eum in hac prima interrogatione non secus ac in secunda flagellis cædi ; quod supplicium patiuntur etiam socii. Non est quod hic omnia explicentur vocabula ; sed operæ pretium videtur animadvertere ex hac sanctorum Martyrum passione solvi posse versatissimam quæstionem de flagellandi veterum modo. Recolligamus verba : num.* 4 *jubet Maximus* ut Tarachus spolietur vestibus, et virgis (*quod militaris erat*) cædatur ; *num.* 5. *item jubet ut* pallio spolietur Probus, cingatur, extendatur (περιζώσαντες τείνατε) et nervis crudis cædatur ; *deinde num.* 6 ut gyretur et super ventrem cædatur, adeo ut sanguine impleta sit terra ; *item num.* 8 ut dispolietur Andronicus, cingatur et suspendatur (ἀναρτήσατε) ; *et num.* 9 ut scalpantur ejus suræ seu tibiæ (χαράξατε αὐτοῦ τὰς κνήμας εὐτονώτατα) ; *et num.* 10 ut vertatur, et pungantur ejus latera, *seu etiam ex num.* 20, ipse venter. *In secunda interrogatione non verberatur* Tarachus ; *sed num.* 17 *jubetur* Probus ligari, tendi nervis crudis cædi, ejusque dorsum scindi seu D
aperiri ; *et num.* 20 Andronicus tendi palis et nervis crudis cædi in dorso, ita ut totum corpus unum vulnus esset ; dein converti et cædi in ventrem, ut priores plagæ excitentur et μέχρι τῶν μελῶν descendant. *In tertia interrogatione num.* 20 *suspensus quidem fuit* Tarachus, *sed nequaquam verberatus, ut nec* Probus, *nec* Andronicus. *Porro attendenda sunt duo vocabula* περιζώννυμι *scilicet et* ἀναρτάω ; *atqui prius nil aliud hic significat quam subligaculo quodam honestatis causa cæterum nudos,* γυμνούς, *cingere, ut patet ex num* 31, *ubi hæc in* S. Probum *verba profert Maximus :* Δήσαντες αὐτὸν καὶ περιζώσαντες ἐξ ἄκρων ποδῶν αὐτοῦ λαβόντες ἀναρτήσατε ; *adeo ut ubi alibi recti suspenduntur, non intelligendum sit eos infra brachia seu ad axillas cinctos fuisse, sed subligaculo vestitos solis manibus fuisse ligatos, et fune suspensos. Quod ad vocabulum* ἀναρτάω *attinet, certe dum pedibus essent suspensi, vix videntur attigisse humum ; quocirca dum alibi manibus suspensi dicuntur et extensi, non magis attigisse humum censendi sunt et certe contendere nemo potest eos flagellatos fuisse* E
pronos. *Instrumenta etiam consideranda sunt ; scilicet* pali *quidem extendebantur seu suspendebantur immisso ex trochlea antario fune ;* virgæ (ῥάβδοι) *pro viro militari, et pro aliis adhibebantur* nervi crudi (νεῦροι ὠμοί), *quæ et* πλῆκτρα *dicuntur num.* 10. *Actio vero dicitur* τύπτειν, σχίζειν, χαράττειν, αἰκίζειν, κηντεῖν; *quæ pleraque verba supponere videntur nervos calcaribus aut alia re pungente instructos fuisse. Flagellantur vero* suræ, latera *seu* venter, *et* dorsus. *De effectu vero non est quod disseram ; dicuntur quippe corpora* unum *factum* vulnus.

NOTA 63 ad pag. 570, littera B.

D*e notissimo hoc cruciatu operæ pretium non est aliquid adnotare, sed juverit monuisse Cavedono videri* S. Andronicum *non secus de hoc supplicio jocari ac si alluderet ad usum medicum frictionum ; de quo Plinius XXVIII,* 14, *aliique tum græci, tum latini auctores.* F

NOTA 64 ad pag. 572, littera B.

F*elicius forte animadvertit Cavedonus hic* S. Probum *alludere ad usum Romanorum, qui servos suos litteris inustis distinguebant, ita ut Sanctus Martyr adusti sui corporis loca totidem* stigmata Domini *duceret.*

NOTA 65 ad pag. 574, littera B.

C*avedonus, remittens lectorem ad spicilegium suum numismaticum* (1), *in quo demonstrat Jovem Nicephorum Mopsuestiæ, ubi tum pro tribunali sedebat Maximus, cultum fuisse, arbitratur, propterea suaderi* S. Probo *ut Jovi Invicto sacrificet*

(1) Pag. 208.

A *ficet; fatetur tamen ex cultu speciali, quo Diocletianus Jovem prosequebatur, aliam peti posse rationem.*

NOTA 66 ad pag. 584, littera A.

In *Nota* 55 *pag.* 61 *et seq. fuse ostendimus ex nummis titulum* illustris metropolis *jam sæculo* III *Anazarbo adhæsisse.*

D

NOTA 67 ad pag. 585, littera A.

Ὑμνήσαντες τὸν ἁγιώτατον ὕμνον. *Quod hymnus iste tam accurate describitur, putat Cavedonus agi ibidem de cantu* Gloria in excelsis, *vel alio simili. Certe omnia verba antiquissimo illi hymno conveniunt.*

DE S. SANCTINO EPISCOPO CONF.

MELDIS IN GALLIA.

B

NOTA 68 ad pag. 594, littera C.

Duo sancti Sanctini, admittendi videntur.

Licet *Byeus sibi statuere videatur* S. Sanctinum *simul Meldensem fuisse episcopum ac Verodunensem, ex proposito tamen ab eo systemate sequeretur* S. Sanctinum *omnino non fuisse Meldensem episcopum, sed Meldas tantum fugisse propter barbarorum metum; quæ fuga insuper et metus a barbaris incussus meræ sunt conjecturæ. Videntur porro sequentia tenenda: primum,* S. Sanctinum *quemdam fuisse Verodunensem episcopum, quod pro fundamento habet traditionem hujus ecclesiæ; secundum, item* S. Sanctinum *quemdam Meldensem fuisse episcopum, quod simili innititur argumento; tertium, hic locum non fuisse translationi ab una cathedra ad aliam, quoniam similis res inaudita fere his temporibus in Occidente, supponi* C *non debet sed probari; quartum, eumdem* Sanctinum *non uno eodemque tempore tenuisse sedem Meldensem et Verodunensem, seu potius qui Verodunensem teneret cathedram, eidem non jurisdictionem fuisse in agrum Meldensem, quoniam Meldenses non adjacent Verodunensibus, adeoque non ad eamdem provinciam seu ecclesiasticam seu civilem pertinebant; quintum, firmam esse animadversionem Duplessii de loco sepulturæ* S. Sanctini *Meldensis, utpote disciplinæ horum temporum consonam, infirmam vero illam alteram de cultu* S. Sanctini *Verodunensis, quoniam valde multi sancti episcopi illorum temporum non majorem seu etiam æqualem habent cultum, siquidem cultus Confessorum initio valde parcus fuit; sextum, documenta, quæ afferuntur, recentiora esse quam ut his confici possit aliquid adversus argumenta ex disciplina adducta; septimum monumenta, quæ historica dici merentur et in quibus de Reliquiis sermo fit, favere duplici* Sanctino, *non vero uni, adeoque distinguendos esse* S. Sanctinum *Verodunensem et* S. Sanctinum *Meldensem.* E *Reliqua, quæ attinent ad chronologiam, gesta et similia, intacta relinquo, nolens tenebras addere tenebris.*

NOTA 69 ad pag. 596, littera E.

De Concilio Coloniensi anni CCCXLVI.

Novæ motæ quæstiones circa authenticitatem hujus concilii:

Cl. *Antonius Binterim, parochus in Bilk in suburbio Dusseldorpiensi, in sua Historia Conciliorum Germaniæ* (1), *novas movit quæstiones circa authenticitatem et sinceritatem Concilii Coloniensis anni* 346, *in quo refertur damnatus hæresis et depositus Coloniensis episcopus. Certe jam admirationem movere debet, quod duo episcopi Colonienses ejusdem aut fere ejusdem nominis exstiterint, quin ulla tabula ecclesiastica, aut traditio vulgaris duplicis episcopi mentionem faciat. Alterum etiam in diffindendo Euphrate Coloniensi incommodum occurrit: nempe Euphrasius seu Euphrates ille, qui post Concilium Sardicense Antiochiam missus fuit in* F *paschate anni* 348, *jam senex erat, ut liquet ex testimonio meretricis in cubiculum ejus fraudulenter intromissæ, ut narrat S. Athanasius in Epistola ad solitarios* (2); *sed verisimile non videtur, quod Colonienses Euphrasio hæretico subrogaverint hominem senem, illa præsertim ætate, qua, ut ait Ammianus Marcellinus Lib.* XXI, 16, catervæ antistitum jumentis publicis ultro citroque discurrerent per synodos: *ut adeo integrarum corporis virium deberet esse, qui tunc assumebatur episcopus.*

anni indicatio nimis vaga.

2 *Miratur porro Byeus noster num* 38 *accuratissime expressas notas chronologicas, indeque argumentum pro veritate Concilii Coloniensis deducit. Sed annus imprimis, per consules notatus, post* Consulatum Amantii et Albini (3), *id est post annum Christi* 345, *satis vagus, præsertim si* IV *Idus, seu die* XII *Maii cogniti jam Coloniæ essent consules anni* 346, *nempe Constantius* IV *et Constans* III *Augusti. Quamvis autem dicat Pagius in Dissertatione*

(1) Ant. Benterim, Pragmat. Gesch. der Deutschen Concilien, t. 1, p. 348.

(2) Athan. oper. p. 226, edit. Paris. 1603.

(3) Labbe, t. II Conc. p. 615.

A *hypatica parte* III cap. II (1) *liberum fuisse signare tabulas vel Consulibus ordinariis vel formula, post consulatum, id tamen, quoniam incertum vagatur, non valde commendat accurationem notarum chronologicarum. Neque sollicitioris diligentiæ specimen præbet notata dies* IV *Idus Maii, isto anno in Dominicam incidens, quia, ut animadvertunt Pagius in Critica Baronii ad annum* 553 *num.* IX *et Garnerius in Dissertatione de quinta Synodo generali cap.* v § 2 (2), *Concilia non die Dominica, sed feria secunda ordinarie inchoabantur, ut plurimis monstrant allatis exemplis.*

quædam spalmata in notas topographicas

3 *Ad hæc quædam sphalmata in notas topographicas irripsisse, suspicari licet. Dicitur enim in Actis:* Cum recitata fuisset epistola plebis Agrippinensium, sed et omnium castrorum Germaniæ Secundæ, de nomine Euphratæ, qui Christum Deum negavit. *Quasi tunc quidem, anno* 345, *jam in duas dispertita provincias Germania fuisset, quod serius accidisse videtur. Primus enim, qui duplicis Germaniæ et duplicis Belgicæ mentionem fecit, est* B *Rufus Festus in Breviario, quod Valenti imperatori post annum* 368 *obtulit* (3). *In cosmographia Æthico tributa, quæque Concilio Coloniensi recentior videtur* (4), *numeratur Germania et Belgica tamquam provinciæ simplices* (5) : *adeoque hæc, licet non undequaque certa, sufficiunt tamen ad præjudicium creandum scriptori Actorum.*

irrepserunt,

4 *Neque sæculum quartum magis sapit bis repetita vox* Castra, *pro oppidis inferioris ordinis, in quibus simplices presbyteri sacra curabant, usurpata. Isto quidem sensu Castrum loquendi modum medii ævi exhibet, ut ait Congius hoc verbo ; et licet infra opinio hæc refellatur, quatenus civitates episcopos, castra vero simplices presbyteros haberent, et fulciatur refutatio auctoritate Adriani Valesii in Notitia Galliarum, in eo tamen Valesius Cangio convenit, quod vox* Castrum *sæculo quarto non veniat nomine oppidi minoris, ut indicat Concilium Coloniense. Nam hæc habet Valesius* (6) : Castra vocaverunt Romani loca natura atque arte, vallo, fossa et aggere munita : qualia ferme militum in campis tendentium erant ; *subjungit porro Valesius hi-* C *storicos* Francos, *adeoque Concilio Coloniensi recentiores, consuevisse* sola capita Gentium urbes aut oppida, nec non civitates, interdum etiam municipia vocitari ; cæteras eis subjectas castrorum vel castellorum, nonnumquam et vicorum appellatione designaret. *Et observatu dignum est, quod quum veterum more S. Isidorus* Castra *dicat*, ubi milites steterunt, *Papias sæculi* XI *lexicographus addat*, castrum vero singulariter oppidum. *Quocirca verisimile non est vocem castrum pro oppido usurpatum sæculo* IV, *nec apud lexicographos hoc significatu reperitur.*

insuper in historicis cespitant

5 *Titubant igitur Concilii Acta in chronologicis et geographicis, sed omnino cespitant in historicis. Etenim variorum episcoporum istic occurrunt nomina, quæ in accuratioribus Ecclesiarum catalogis,* D *illa saltem tempestate non comparent. Sic Simplicius legitur* Augustodinensium *episcopus* (7) : *sed ea ipsa ætate sedem hanc occupabant Cassianus et dein Hegemonius* (8), *ita ut S. Simplicius prorogavit usque ad annum* 418 (9) *non potuerit interesse Concilio Coloniensi. Neque ad id vulnus sanandum dicere licet Augustodunensem episcopum huc venire pro Rauracensi in Helvetis, uti habet Vita sancti Galli* (10) : *nam et Justinianus Rauricorum præsens interfuisse legitur* (11). *Quoad porro spectat ad Lingonicæ episcopum, Desiderium, hic martyrium passus est Hunnis seu Alemannis Gallias, duce Croco, vastantibus ; triplex autem istiusmodi vastationi epocha assignatur : prima circa medium sæculum* III, *ut refert Gregorius Turonensis lib.* I *cap.* XXX ; *tertia Attila duce, medio sæculo quinto ; utraque sæculo fere integro ab epocha Concilii Coloniensis distat, adeoque Desiderio, qui Concilio absens consensit, aptari non potest.*

Acta Concilii.

6 *Restat secunda vastatio, quæ anno* 406 *incepit* (12) ; *adeoque, siquidem S. Desiderius Lingo-* E *nensis statim a vastatione passus est, tamen ab anno* 346 *ad* 406 *tribuendi essent sexaginta saltem anni episcopatui sancti Desiderii, quod quam difficillime persuadere quisque sibi potest* (13). *Occurrit etiam præsens Coloniæ Dyscolius, Remorum episcopus, plane ignotus Flodoardo, qui lib. Historiæ Remensis Ecclesiæ cap.* 5 (14) *texit catalogum episcoporum Remensium, et Dyscolium omittit ; quamvis autem id argumentum negativum videatur, in eo tamen positivum est, quod omnes episcopos, qui sedem Remensem occuparunt, referre voluerit. Argumentum etiam roboratur litteris Ebbonis, quas authenticas monstrat ad diem* XIV *Octobris Siardus Dyckius in Commentario prævio S. Donatiani* § II (15). *Etenim istis litteris dicitur S. Donatianus* septimus *Remorum episcopus, quod si Dyscolium interpolemus, octavo loco veniet. Atque hæc sunt, quæ prohibent fidem dare Actis Concilii Coloniensis, quæ primum nono sæculo innotuerunt.*

NOTA 69 ad pag. 603, littera A. F

De reliquiis SS. Sanctinorum Meldis et Veroduni.

Valeret sane hæc argumentatio, si Meldensis episcopus petiisset a Verodunensibus S. Sanctini *reliquias ante Calvinianorum turbas ; sed quum has petierit anno* 1622, *nescio quid inde consequatur. Etenim, si dicatur* S. Sanctini *reliquias in templo in cathedrali fuisse repositas, occurrit Duplessius narrans tantam anno* 1562 *in hac æde de rebus sacris stragem factam esse, ut, perfractis omnibus,* sacras reliquias pedibus conculcarint *hæretici ; sin autem dicatur eas in* S. Sanctini *ecclesia fuisse servatas,*

(1) Apparat. ad Annal. Baron p. 112, edit. Lac. 1740
(2) Theodoreti Oper. t. V, part. 1, p. 543, edit. Halleus. ann. 1774.
(3) Cfr Pagi Crit. ad ann. p. 374, § 9.
(4) Biogr. univers. Verbo *Ethicus*, et Vales. Not. Gall. præf. pag. IV.
(5) D. Bouquet Rec. des Histor. de Franc. t. I, p. 101.
(6) Notit. Gall. præf. p. XVIII.
(7) Labbe, t. II Conc. p. 615.
(8) Gall. Christ. t. IV, p. 331.
(9) Ibid. p. 335.
(10) Acta SS. t. VII Octob. p. 879, num. 114.
(11) Labbe, t. II Conc. p. 615.
(12) Cfr Chron. Prosp. Aquit. ap. D. Bouquet, t. I, p. 627; Prosp. Tyron. Ibid. p. 637.
(13) Cfr Gall. Christ., t. IV, p. 510
(14) Biblioth. max. Patr., t. XVII, p. 509.
(15) Act. SS. t. VI Octob. p. 491.

adest

A *adest idem historicus declarans in aliis ecclesiis etiam majorem fuisse stragem, adeo ut potiores tantum muri et columnæ starent, reliqua omnia sus deque versa. Quid ergo mirum, si sexaginta annis post Meldenses adierint Verodunenses, apud quos servari* S. Sanctini *reliquiæ dicebantur, quin etiam si crediderint historiunculam illam quæ apud Wasseburgium legitur? Plane fateor me valde parum moveri tum narratione illa Wasseburgii, tum etiam veteri illa, prout vocatur, inscriptione, in qua Wasseburgii narratio fundata est. Quis enim credat Richardum chartæ crediturum emptionem illam reliquiarum et reliqua quæ ibidem leguntur? Quid quod additur :* Ubi etiam fulget EX TUNC multis miraculorum signis? *Quam belle fulget ista locutio* D ex tunc *in inscriptione facta dum ossa primum in S. Vitoni reconduntur! Prophetico scilicet calamo hæc scripsisse Richardum oportet, siquidem dum scripta finguntur, adhuc futura erant! Et tamen nil in his suspectæ fidei occurrere asseritur! Et præfertur scriptio illa instrumento Meldensi anni* 1259, *quo constat* S. Sanctini *reliquias etiam tum Meldis servatas fuisse, nedum anno* 1044 *Verodunensibus venditæ fuerint! Ex his omnibus denuo esto conclusio Verodunensibus suum fuisse* S. Sanctinum, *alium suum fuisse Meldensibus, penes utrosque patroni sui fuisse corpus, reliqua autem omnia fabulam sapere.*

DE NECTARIO PATRIARCHA

B

CONSTANTINOPOLI.

E

NOTA 70 ad pag. 611, littera C.

An legitimo cultu honoretur S. Nectarius?

Auctoritas Menæorum, quæ pro Nectarii cultu allegat Byeus,

Qui post Byeum scripserunt hagiographi, omiserunt omnino de Nectario *mentionem instituere tamquam de Sancto, qui cultu legitimo honoretur. Neque id mirum; unicus enim fons, unde hausta sunt omnia, quæ hic allegat Byeus, sequentes versus sunt, quos ex Magnis Menæis ad diem* XI *Octobris describo :*

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, Μνήμη τῶν Ἁγίων Πατριαρχῶν Κωνσταντινοπόλεως, Νεκταρίου, Ἀρσακίου, καὶ Σισινίου.

C

Στιχ. Ὁ Νεκταρίος οὐ τὸ οὗ μύθου, λόγε,
Ἀληθινὸν δὲ, σῆς τρυφῆς νέκταρ πίνει.
Τὸν Χριστὸν ἐν γῇ Ἀρσάκιος δοξάσας,
Πρὸς αὐτὸν ἐλθὼν, ἀντεδοξάσθη πλέον.
Ἀσινὲς ἦρον πνεῦμα τὸ Σισινίου.
Οὐ σινιασθὲν μηχαναῖς τῶν δαιμόνων.
Ταῖς αὐτῶν ἁγίαις πρεσβείαις ὁ Θεος ἐλέησον ἡμᾶς.

Id est latine : Eadem die, memoria sanctorum patriarcharum Constantinopoleos, Nectarii, Arsacii et Sisinii.

Non fabulosum nectar hic Nectarius,
Sed gaudii verum tui, Verbum, bibit.
De te, Redemptor, gloriatus est Arsacius,
Jamque illum vicissim gloria mactat Deus.
Innoxium tulere spiritum Sisinii
Haud ventilati dæmonum fallaciis.
Per ipsorum sanctam intercessionem miserere nostri, Deus.

Jam vero Synaxarium Sirmondianum et Chiffletianum, quod laudat Byeus, nil aliud est quam collectio similium versuum, quæ in Menæis occurrunt; adeoque quum etiam plures capiat, ut testatur in præfatione Siberus, qui seorsim hos versus sub nomine Ecclesiæ Græcæ Martyrologio Metrico *anno* 1727 *Lipsiæ edidit, videtur ipsis Menæis recentius. Quocirca, nisi apographa, extractus aliaque id genus totidem velimus vocare monumenta, omnia quæ hic profert Byeus ut* Nectarii *cultum adstruat, redeunt ad sola Menæa, ab erudito nullo, ut fatetur Morcelli, sine contemptu commemorata.*

nec Calendariorum, quæ producit Morcelli, hunc legitimum ostendit.

2 *Verum tamen ipse Morcelli applaudit Byeo, quod* Nectarium *primus ex Occidentalibus inter Sanctos retulerit, et Byeo suppetias fert ope non tantum codicis cujusdam Barberini et Slavici, qui est apud Assemannum, sed maxime Calendarii sui Constantinopolitani, in quo ad* XI *Octobris pro prima memoria legitur eadem, quam supra edidimus, cum adjecto Attici nomine, et dein pro more indicatur caput ex Matth.* Ὑμεῖς ἐστε τὸ φῶς κ. τ. λ. *Contendit autem Morcelli Calendarium istud sæculo* VIII *confectum, post annum tamen* 744; *quod libenter dabo, licet validiora argumenta desiderari forsitan* F *possent. Ast nequaquam manifestum fecit nil primogenio huic Calendario postea fuisse incertum; quæ omnium fere talium librorum fortuna est. Insuper quando post commemoratas de Diptychis controversias concludit Morcelli* pari, imo majori studio cautum Constantinopoli credendum esse, ne cui umquam cultus cœlestium proprius exhiberetur, quem eo indignum facta aut scripta testarentur, *adversum se habet Arsacii nomen, quod cum Nectarii ibidem et eodem omnino titulo sociatur; quod quam male oleat intelliget lector ex dictis ad Prætermissos. Similia nonnulla alia omitto. Quæ quum ita sint, desiderabit forte lector ut, priusquam* Nectarium *inter Sanctos legitime cultos recenseat, indicentur sibi aliquot monumenta, Photio certe antiquiora, ex quibus constet* Nectarii *memoriam non introductam fuisse ut cohonestaretur ipsius Photii in patriarcham Constantinopolitanum electio; deinde ut non recurratur ad Calendaria, oratiunculam et versiculos, quæ tantum valent pro Arsacio, quantum pro* Nectario.

A Nectario. *Donec vero id fiat, remanebit timor ne huc adducenda sint hæc ipsius Morcelli verba de studio Græcorum augendi per fas et nefas Sanctorum suorum numeri :* Quippe cornicum, credo, oculos configere volebant, et Latinos, si possent, magnorum Martyrum et Confessorum numero obruere.

NOTA 71 ad pag. 618, littera C.

Adduntur quædam a S. Nectario gesta in episcopatu.

Nectarius *præfuit beatificationi S. Pauli episcopi et martyris ;*

S*upersunt tamen aliquot gesta* Nectarii, *a veteribus servata et a Byeo omissa. Photius imprimis, recensens codicem* CCLVII, *seu Vitam et Certamen S. Pauli episcopi Constantinopolitani, finem versus sermonem instituit de prima synodo Constantinopolitana adversus Macedonium, atque ita pergit* (1) : Concilium creat Nectarium, senatorii quidem sanguinis, episcopum, moribus facillimis, ob quos B maxime colebatur. Hæc autem synodus fidem in Nicæna publicatam confirmat ; probat omnia imperator, et perferri curat magna cum reverentia reliquias S. Pauli confessoris : et episcopi, quotquot aderant una cum Nectario, longe extra Chalcedonem obviam procedunt, multoque cantu et comitatu suscipiunt, et per mediam urbem corpus ferentes, collocarunt in ecclesia S. Irenes nominis antiqui..., et totam noctem cantibus transigentes, mane iterum tota civitas æquali honore et gloria, in ecclesiam, quæ nunc ab illo cognominata est, omnibus episcopis et clero, et ipso præsente imperatore, sacro tumulo imponunt. *Hanc autem translationem, quæ beatificationis seu canonizationis rationem habet, anno* 381 *die* 2 *Septembris actam fuisse ostendit Morcelli* (2) ; *cujus argumenta hic retractenda non sunt, quoniam eadem de re agendum erit ad diem* VI *Novembris, qua S. Pauli memoria agitur.*

S. Olympiadem consecravit ;

2 *Inter* Nectarii *quoque laudes refertur quod maximi fecerit S. Olympiadem, de qua in Opere nostro* C *dicetur ad diem* 17 *Decembris, quamque ipse ecclesiæ suæ diaconissam instituerit, licet hæc vidua valde juvenis esset. Hac de re agunt inter veteres Palladius, Sozomenus et S. Joannes Chrysostomus ; inter recentiores vide Tillemontium in Notitia de S. Olympiade* (3). *Plura de his dicturi ad dictam diem* 17 *Decembris, diutius hic non hærebimus ; notabimus tantum ei a* Nectario *manus impositas fuisse post annum* 386, *quoniam tunc solum marito suo orbata fuit* (4).

S. Anastasiam coluit ;

3 *Ex accusationibus, quas Joannes diaconus in synodo ad Quercum adversus S. Joannem Chrysostomum protulit, novimus* Nectarii *pietatem in S. Anastasiam Sirmiensem. Quarta enim criminatio, prout eam nobis servavit Photius ad codicem* LIX (5), *hæc fert :* Quod Chrysostomus marmora S. Anastasiæ, quæ Nectarius illi ecclesiæ marmoribus D ornandæ reliquerat, vendidisset.

orationem de S. Theodoro martyre scripsisse legitur ;

4 Nectario *etiam adscribitur oratio in honorem S. Theodori Martyris, quæ ex versione Perionii latine habetur inter homelias S. Joannis Chrysostomi in editione Parisiensi anni* 1554, *in tomo quinto Lipomanni et apud Surium ad diem* IX *Novembris* (6). *Græce vero exstat sæpius in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi* (7) ; *item in Coisliniana* (8), *in Taurinensi sub num.* LXX *cap.* III, 13, *et in aliis plurimis bibliothecis, quæ citantur in Annotationibus ad Fabricium* (9). *Habet autem titulum, quem satis fuerit latine referre :* Nectarii archiepiscopi Constantinopolitani, qua de causa primo sabbato sancti jejunii memoria sancti et gloriosi martyris Theodori (*Stratelati*) et de jejunio et eleemosyna (10). *Caveus* (11), *Oudinus* (12), *Ceillier* (13) *aliique dubitant an* Nectarii *sit hæc oratio, quod quædam continere videatur, quæ recentius spirant ævum ; verum quoniam hæc ipsa oratio edenda erit in Actis Sanctorum ad diem* IX *Novembris, examinari tum poterit an hæc novitas ea sit, ut prævalere* E *debeat adversus testimonium codicum Mss., qui eam omnes* Nectario *tribuunt. Non est quod dicam de sententia synodica de Agapio et Gabadio, cujus meminit Byeus et quam bibliographi inter* Nectarii *recensent opera. Hos itaque videsis.*

utrique S. Gregorio amicus fuit.

5 Nectarii *amicitiam coluisse videntur S. Gregorius Nazianzenus et homonymus Nyssenus : ille tres ad eum dedit epistolas, fiducia et veneratione plenas ; hic ad* Nectarii *postulationem Pulcheriæ imperatoris Theodosii filiæ, anno* 385 *defunctæ, et paulo post imperatricis Flaccillæ orationem funebrem habuit ; de quibus adire libet D. Ceillier* (14).

NOTA 72 ad pag. 621, littera E.

De pœnitentia publica a S. Nectario suppressa.

Luculente disseruit Zaccaria de pœnitentia sublata a Nectario ; F

Q*uum hunc de pœnitentia publica per* Nectarium *sublata scriberet locum Byeus, ad manus ejus nondum devenerant Dissertationes latinæ, quas Fulginiæ anno* 1781, *de rebus ad historiam atque antiquitates Ecclesiæ pertinentibus Zaccaria edidit. Inter has nona, quæ Thesauro theologico etiam inserta est, tota est de hoc capite* (15). *Imprimis vindicat in ea Zaccaria Socratis et Sozomeni fidem ; ostenditque pœnitentialis presbyteri munus anno* 391 *seu* 392 *sublatum fuisse a* Nectario ; *hinc publicam pœnitentiam non pro occultis tantum, verum etiam pro publicis criminibus exstinctam in ecclesia Græca, licet propterea non cessarint canonicæ pœnæ privatim imponendæ et obeundæ, et perseverarit in aliis ecclesiis mos privandi pœnitentes sacramentis ; quem morem paulo post Constantinopoli etiam revixisse ; demum ex* Nectarii *historia catholicum sacramentalis* confes-

(1) Biblioth., p. 1427.
(2) Kalendar. Constantin., t. 1, p. 124 et seqq.
(3) Mémoires, t. XI, p. 428.
(4) Ibid. p. 420.
(5) Biblioth. col. 54.
(6) D. Ceillier. Aut. ecclés., t. VIII, p. 176.
(7) Lambecius, Comment., t. IV, col. 565, etc., edit. Kollarii. Cfr. Pasinus, Codic. Mss. Taurin., t. I, p. 165 ; et Fabricius, Biblioth. Græc. t. IX, p. 309, edit. 1804.
(8) Pag. 401, Cfr. Pasinus, loc. cit.
(9) Bibliot. Gr. loc. cit.
(10) Pasinus, loc. cit.
(11) Caveus, Script. eccles. hist. ad annum 381, pag. 177, editionis 1720.
(12) Comment. de Script., tom. I, col. 688.
(13) Loc. cit.
(14) Aut. Eccles. t. VIII, p. 173 et seq.
(15) Tom. II, pag. 26.

confessionis dogma nihil infirmari, plurimum quin etiam juvari.

subjiciuntur animadversiones aliquot tandem in rem.

2 *Arbitrarer ego hoc ultimum caput nonnihil illustrari etiam posse ex his quæ tum hoc loco tum alibi refert Sozomenus. Constanter enim habet duplicem fuisse absolutionem, alteram ante, alteram post actam pœnitentiam :* Ille vero, *inquit*, (*presbyter pœnitentialis*) pro cujusque delicto, quid aut facere singulos aut luere oportet, pœnæ loco indicens, ABSOLVEBAT CONFITENTES, a se ipsis pœnam criminum exacturos. *Hæc ante impositam pœnitentiam. Post peractam vero pœnitentiam*, ubi præstitutus dies advenit, tamquam debito quodam persoluto, A PŒNA COMMISSI SCELERIS LIBERATUR, et reliquo ecclesiæ populo sociatur *pœnitens. De qua re legendus Amort in opere de principiis doctrinæ Christianæ, ubi respondet ad septimam objectionem adversus pœnitentiæ sacramentum. Prior absolutio dicebatur* pœnitentia, impositio pœnitentiæ, manuum impositio in pœnitentiam, etc. *Posterior* pax, reconciliatio, communio ; *de quo argumento plura habet Petavius in Annotatis ad alteram editionem Synesii. Prior item absolutio sacramentalis erat, posterior haberi potest tamquam complementum prioris, rationem habens indulgentiæ. Novi satis Morinum ejusque sequaces his illudere, dicentes in hac sententia posteriorem hanc absolutionem esse meram cæremoniunculam, dum tamen tanti fierit a sanctis Patribus. Verum enim vero meminisse deberent modi quo Ecclesia in sacramentis aliisque ritibus sacris utatur, et quem præclare exposuit Bossuetus* (3). *Insuper nil impedit quin dicatur posteriorem hanc absolutionem adæquatam fuisse, ita ut in culpam, licet jam remissam, et in pœnam caderet. His positis, (quæ ex vetustis libris ritualibus, historia et Patrum scriptis demonstrari posse videntur) satis intelligitur posteriorem tantum absolutionem et quæ eam præcedebat, publicam pœnitentiam a Nectario abrogatam fuisse ; servatam vero absolutionem priorem. Atque his, ni fallor subministratur clavis plurimum orationum S. Joannis Chrysostomi. Loca, quibus prædicat a se publicam pœnitentiam non exigi, satis superque sunt nota ; ea vero, quibus presbyterorum auxilium pœnitentibus adhibendum statuit, non indiscriminatim afferri queunt, ut notat Zaccaria ; quoniam quæ ante* Nectarii *legem dixit minus urgent, ut satis manifestum est. Verum certo ad posterius tempus pertinent verba, qui ansam dederunt septimæ criminationi prolatæ adversus eum ab Isaacio episcopo Novatiano, et quæ apud Photium* (2) *ita sonat :* Septimum, quod licentiam peccantibus præbeat, sic docens : « Si iterum peccasti, pœniteat iterum ; et quoties peccaveris, veni ad me et ego te sanabo. » *Hic autem agi de peccatis per presbyterum remittendis sole clarius fit ex his quæ disserit eadem de re Socrates* (3). *Neque his diutius immorari debemus, quoniam plura peti possunt ex paragrapho* 40 *Commentarii prævii de S. Joanne Chrysostomo* (4). *Atque in hoc annotato lineamenta potius dissertationis indicanda, quam commentarium conscribendum nobis esse nemo non viderit.*

(1) Explication de la Messe, num. 45 et seqq. Opp., t. XXIV, p. 107, edit. 1817. Cfr Missa et Officium pro defunctis, maxime ad *Offertorium*.

(2) Biblioth. cod. LIX, col. 58.
(3) Hist. Eccles., lib. VI, cap. XXI, t. II, p. 339 et seqq.
(4) Act. SS. t. IV, Sept., p. 552 et seqq.

NOTA 73 ad pag. 629, littera E.

DE S. SISINNIO PATRIARCHA.

CONSTANTINOPOLI.

Quæ de Nectarii cultu Nota 60 dicta fuerunt, repetenda forent de Sisinnio, *quoniam utriusque eadem omnino conditio est. Pluribus itaque ostendendum non est sancti titulum* Sisinnio *parum convenire.*

NOTA 74 ad pag. 630, litera F.

DE S. PLACIDIA VIRGINE

VERONÆ IN ITALIA.

Visitatio reliquiarum S. Placidiæ sæculo XVI.

In libro Visitationum ab Illustri et Reverendo Aloysio Lipomanno anno 1553 habitarum *legebantur sequentia, prout testis est Biancolini* (1) : Et antequam describerentur per antedictum Reverendum Dominum Archipresbyterum, fuit facta admonitio pro fide ipsarum reliquiarum ut non fiat alicui mirum, si pretiosum aliquod in hac ecclesia habeatur, ut ideo aliquis minus habeat fidei ; nam cum habeatur in ipsa ecclesia corpus Beatæ Placidiæ Virginis filiæque Valentiniani imperatoris, quæ regrediens a Jerosolymis, quo devotionis causa accesserat, Veronæ mortua est, ut habet ejus historia. Et cum verisimile sit, eam, quæ fuerat imperatoris filia, facile

(1) Dei Vescovi governatori di Verona dissertatione due, p. 163.

A cile secum potuisse deferre non pauca pretiosa, nihil mirum si illa ibi recondita sint, ubi et mortua et sepulta fuerit; et quamvis non cogantur ad credendum, sciendum est tamen nimis scrupulosum esse in sanctis reliquiis honorandis mirabile non esse, cum eo major sit honor Dei in sanctis reliquiis, quia etiam eas, quæ non vere essent reliquiæ, fideles populi amore Dei, studio devotionis quandoque complectantur. *Adeoque arbitrabatur Lipomannus Veronæ non tantum adesse corpus S.* Placidiæ *Valentiniani filiæ, verum etiam verisimile, esse huic Sanctæ deberi ingentem partem thesauri S. Stephani. Non est quod hæc confutentur, quum satis ruant ex iis quæ disserit Bueus. Et* D *quidem ad hunc ipsum locum, præiens Bueo, aperte scribit Blancolinus* : Placidia, filia Valentiniani, uxor fuit Olibrii imperatoris; quum vero Placidia Veronensis mortua sit virgo, non est certe eadem ac illa, sed potius credendum eam ortu fuisse Veronensem ; *idemque jam antea in priori dissertatione* (1) *ex Ammiano Marcellino aliisque scriptoribus animadverterat. Non est quod addam in eodem Visitationum libro mentionem fieri ossium, quæ die vigesima mensis Februarii anni* 1550 *extraxerat archipresbyter.*

(1) Opere cit. p. 18.

DE S. EUPILIO EPISCOPO CONFESSORE

COMI IN ITALIA.

B

NOTA 75 ad pag, 633, littera C.

S. Eupilius non fuit Ultrajectinus.

N*emini puto placitura quæ hic ex Ferrario Tatus disserit de* S. Eupilii *patria, maxime quum* Utechiam *seu* Utichiam *confundere contendit cum* Ultrajecto, *quod variis quidem modis, ut apud Valesium in Notitia et apud scriptores de rebus Ultrajectinis videre est, scriptum fuit ; sed numquam omnino absque littera* R *utpote radicali. Errat item Tattus, quum nulla Germaniæ loca nomine, ad* Utichiam *seu potius* Nitecchiam *accedente, vocata fuisse arbitretur. In parte enim altera tomi prodomi Chronici Gotwicensis* (1), *occurrit* Nitachowa *seu* Nitchowa, *pagus ducatus Lotharingiæ Mossellanicæ;* Nitagowe *seu* Nitachowa *pagus ducatus Ripuariorum in majori*
C *Eiflia ;* Nitagewe, Nitigowe, Nitahgewe, *etc., pagus ducatus Franciæ Novæ;* Nithega, Niterga, *pagus in diœcesi Paderbornensi. Sed unde tamen* E *oriundus sit* S. Eupilius, *hinc parum manifestum fit ; ita ut placeat cum recentiori Comensi historico Cl. viro Cantu dicere, Deo soli innotescere* S. Eupilii *natalem locum.*

NOTA 76 ad pag. 634, littera E.

Indulgentiæ Urbano II male adscriptæ.

I*gnoravit hæc seu saltem ignorare voluit Ruinartius in sua Urbani II Vita quæ inter Opera ejus posthuma legitur* (2). *Porro priusquam quis admittat Urbanum II largitum fuisse indulgentias tam amplas, scilicet* omnium peccatorum venialium remissionem et tertiæ partis capitalium, *legat scriptores quos indicavimus ad diem* XVI *Octobris in Commentario de S. Bertrando Convenarum episcopo* (3). *Certe quum sæculo undecimo decem dies indulgentiarum concederent pontifices fidelibus* F *templa invisentibus, hi præclare secum actum arbitrabantur.*

(1) Lib. IV, num. 321 et seqq.
(2) Cfr citatum opus ad p. 184.

(3) Acta Sanctorum Tom. VII Octob. par. post. pag 1163 et seqq

DE S. FIRMINO EPISCOPO USETIENSI

IN OCCITANIA INFERIORI.

NOTA 77 ad pag. 637, littera B.

De loco natali S. Firmini.

S*ententia illa, qua* S. Firminus *in pago Galliæ Aquitanicæ, apud Ruthenos,* Trevidon *nuncupato, vel in agro* Prusiano, *gallice* Lesperou *natus dicitur, supponit Sanctum ortum esse ex Tonantio Ferreolo quem dicunt tertium ; de his dicetur postea. Adde non accurate asseri omnes quotquot tractarunt de hoc Sancto auctores subscribere Actis ferentibus* S. Firminum *natum esse in civitate Narbone ; ultro enim in Gallia Christiana Nova occurrit :* aut saltem in tractu Narbonensi ; *equidem arbitror presse adhærendum esse Actis, quum nil sit cur ab his discedatur.*

NOTA

A

NOTA 78 ad pag. 638, littera A.

S. Firminus non fuit e stirpe regia.

Omnia, quæ hic de Ansberti familia et proin de genere S. Firmini *adstruuntur, passim ab eruditissimo quoque fabulosa habentur. Conficta enim fuerunt ut Carolidarum genus connecteretur cum Merovingicis; adeoque dum hi regnum tenerent, ignota erant, et præterea passim pugnant cum certo chronologico ordine. Ut bene multos alios mittam, adeantur Benedictini monachi S. Vitoni in Historia Metensi* (1) ; *ubi dilucide et breviter hæc agitantur. Porro ex his omnibus quæ hic explicat Fonsonus, admittendum tantum videtur* S. Firminum *nobili genere natum esse ex patre Ferreolo et matre Industria, prout habent Acta; abjiciendum vero omnino genus regium, necnon fratres Ansbertus,* B *Deotarius, Gamardus et Aigulfus, sororesque Goda et Maria; ut enim nil dicam de defectu fidei, qua laborat genealogia S. Arnulphi Metensis, ex qua hæc deprompta fuere, quid, quæso, nomina ista francica commune habent cum nomine romano* Firmino*? Quid quod Tonantius romanus nomina ista imposuisset liberis suis? Verum sitne Tonantius Ferreolus III* S. Firmini *pater habendus, an vero alius quidam Ferreolus disquiretur inferius.*

NOTA 79 ad pag. 639, littera E.

Auctoritas Vitæ S. Firmini; et nonnulla gesta ipsius omissa.

Vita S. Firmini videtur authentica,

In hac ultima in S. Firminum *annotatione duo præstanda videntur, quorum prius est inquirere in auctoritatem ejus Vitæ, a Duboucheto et a Fonsono editæ, deinde nonnulla a Fonsono omissa S.* Firmini *gesta supplere. Re quidem vera passim hæc Vita flocci fere fit a plerisque criticis; verum eos in hanc sententiam abivisse arbitror, quoniam obtrudebatur hæc scriptio tamquam documentum quo fulci-* C *retur commentitia Caroli Magni genealogia, adeoque præ minio pugnandi ardore conterere voluisse telum, dum satis fuisset illud avertere, ostendendo nil id ad propositam quæstionem pertinere.*

ut ex signis intrinsecis et relatione objectionum ostenditur.

2 *Sufficiet paucis dixisse quæ me impellant ad authenticam hanc habendam scriptionem. Imprimis omnia in ea simpliciter valde et cum adjunctis suis accurate exponuntur, nullaque apparet declamatio aut fingendi voluntas; secundo, quæ narrantur de consecratione S. Ferreoli per episcopos Arelatensem, Avenionensem et Auraciensem non vero Narbonensem, scripta sint oportet, priusquam Narbonensis civitas a Gothorum dominio vindicata esset; quocirca, quum hic periculosissimus lateret scopulus, nec in eum inciderit scriptor, dicendus est hic non fictor, sed sincerus biographus, quin etiam S. Fir-* D *mino coævus; tertio nil omnino est in hac Vita, quod cum veritate historica ullo modo pugnet, quod particulatim jam explicabimus, expendentes criticorum difficultates.*

Familia S. Firmini,

3 *Primo displicent eis, quæ de* S. Firmini *parentibus traduntur, quod nempe habitarent Narbone, et quod gentiles essent, quum tamen Ferreoli prædia haberent alibi et tantopere a S. Sidonio Apollinari laudentur; qui sane non ita egisset erga gentiles. Hæc ut discutiamus, inquirendum est ante omnia in certum* S. Firmini *stemma. Secundum Vitam suam* patrem *habuit* Ferreolum, *matrem vero Industriam,* patruum *autem Roricium, episcopum Ucetiensem, qui ipsemet patrem habuit* Ferreolum, virum, *ut ejusdem Roricii habet Vita,* præfectorium ; *adeo ut, si per* patruum *intelligatur* frater patris, S. Firmini avus *dictus sit oportet Ferreolus; si vero* patruus *hic idem sit ac* patruus major, *prout loquebantur jurisconsulti, gallice* grand-oncle paternel, *tunc ignotus quidem esset* S. Firmini *avus, sed* atavus *dictus fuisset* Ferreolus : *et quidem Roricii senectus,* Firmini *vero tenerior ætas hanc posteriorem sententiam amplectendam suadent.*

nonnullorum nomina et cognomina,

4 *His positis, investigandum secundo est in vera nomina trium virorum, quos avum, patrem et filium dixerim, et qui vocantur sæpius Tonantius Ferreolus I, Tonantius Ferreolus II et Tonantius Ferreolus III,* E *quem postremum Fonsonus, alios secutus,* S. Firmini *patrem facit. Porro primus nude appellatur a Sidonio Apollinari* Ferreolus, *secundus vocatur jam nude* Tonantius, *jam* Tonantius Ferreolus, *tertius demum nude* Tonantius *ab eodem Sidonio dicitur; porro hinc conficta est celeberrima Ferreolorum trias, dum tamen duo tantum ex his viris hoc nomen habuerint, et tertius, quem S. Firmini patrem dixere, vocaretur non Ferreolus, sed* Tonantius. *Error autem inde profluxit quod Ferreoli nomen habitum est gentilitium, Tonantii vero proprium, dum tamen, (ut ingenti exemplorum congerie ostenderunt Sirmondus in diatriba de hoc argumento ante Sidonii opera, et in epistola præmissa operibus Servati Lupi, et post eum Scipio Maffeius in Dissertatione de senatoris nominibus, quæ tomo* II *Observationum litterariarum habetur, nec non Hieronymus de Prato in Sulpicii Severi Vita, ejus præmissa operibus), certum omnino sit post eversam rempublicam sub imperatoribus, contra quam ante factum fuerat, usurpatum et Romæ et in provinciis, ut proprium cujusque nomen, quod cæteris præponi* F *soleret, unde et prænomen dictum a Grammaticis, ultimo loco poneretur; deinde liberos tum nomina tum cognomina a parentibus, ut plurimum, cognatisque mutuatos, ita ut quod illis verum et peculiare nomen fuisset hi loco cognominis et vice versa haberent adeoque in specie animadvertit Sirmondus* Tonantio *nomen fuisse quod patri suo* Tonantio Ferreolo *fuerat cognomen. Ex quibus legibus et normis hæc tria statuenda sunt : avo fuisse nomen* Ferreolum, *ignotum vero cognomen, multoque magis gentilitium, seu familiæ, dum id tunc temporis secundum Maffeium et Hieronymum de Prato jam passim in nobilissimis domibus obsolesceret; patri vero fuisse cognomen* Tonantium, *nomen vero* Ferreolum; *filio demum nomen fuisse* Tonantium, *ex patris cognomine desumptum, nullum vero cognomen. Atqui hunc* Tonantium *nomine confudere cum patre* S. Firmini,


(1) T. I, p. 354 et seqq. Cfr Pertz, Scriptt., t. II, p. 305

A

Firmini, *nomine* Ferreolo. *Plura alia similia addi possent ; verum hæc sufficere videntur ut hallucinationis causa aperta sit.*

et stemma S. *Firmini proponitur.*

5 *Propterea tamen mens mihi non est negare* S. Firminum *ex hac domo patrem habuisse ; verum hæc familia multo plures quam tres capiebat viros. Sidonius scilicet Apollinaris in epistola ad Tonantium Ferreolum meminit* patris *ejus* patruorumque. *Hi autem patrui, licet suo ævo insignes essent viri, jam prorsus ignoti sunt ; pater vero nomine Ferreolus Galliarum præfecturam gessit et multis cumulatur laudibus a Sidonio. Tonantius autem Ferreolus, quem unam e filiabus Aviti imperatoris duxisse volunt, plures suscepit liberos, quos* lectissimos æquævorum nobilium principes *vocat Sidonius et quorum unum nomine designat Tonantium, aliquamdiu post medium sæculum V natum, ut ostendit Cointius. Ob Vitam* S. Firmini *nomine designabo et alium filium, nempe Ferreolum, licet fieri etiam possit ut Tonantius Ferreolus patruus tantum fuerit ; unde exsurgit sequens stemma :*



B

Nil impedit quin parentes ejus gentiles fuerint et Narbone habitarint ;

6 *Post exhibitum id stemma, in quo apparet Papianilla filia Syagrii, viri certo defuncti cum fide Christiana, itemque alia fœmina filia Aviti imperatoris itidem Christiani, magis magisque sane adversus* S. Firmini *biographum urgebitur argumentum ex gentilitate, qua S. Firmini parentes laborasse adstruit, depromptum. Verum enim vero satis notum est sæculis IV, V et VI Christianos connubia iniisse cum gentilibus, eamque labem tantam sæpius fuisse, ut majoris mali vitandi gratia silendum sibi esse æstimarent præsules ; adeoque susceptos ex his fœderibus liberos sæpenumero baptizatos non fuisse ; sive quod pars gentilis nollet, sive quod clinicorum abusus prævaleret. Deinde licet plures habeamus Sidonii Apollinaris litteras quæ Ferreolorum et Tonantii laudes explicant, in his profecto ne verbum quidem ullum reperimus quo insinuetur eos Christianos fuisse ; sed semper de rebus vanis omnino sermo est, eæque conscriptæ sunt modo multo leviori quam S. Basilii ad Libanium epistolæ. Adde tunc temporis multos ex patricio ordine fuisse viros, qui Christiani non essent, ita ut nonnulli velint plerosque senatores etiam tempore S. Gregorii Magni pristinis superstitionibus adhuc addictos fuisse. Ex his omnibus*

C

D

fit ut mirandum non sit alios ex hac domo fuisse Christianos, alios ethnicos, sive ex animo sive præstolantes forsan mortis tempus ut sacro baptismate mundarentur. Quod autem S. Firminus *etiamnum puer baptizatus fuit, gratia hæc singularis fuit, quam manifesto miratur ipse biographus (confer Vitæ num.* 1), *licet exempla similia in probatissimis historiis, maxime in sanctorum Martyrum Passionibus non desint ; demum quod domum reliquit paternam, idem legimus de S. Teresia puerula, cum fraterculo suo ad ipsos etiam Mauros martyrii gratia profecta. Vix vero est cur tangamus, quæ de loco nativitatis arguuntur. Omnia enim huc reducuntur quod familia ista haberet duas villas splendidas valde, in agro Alvernensi et Rutheneni sitas ; verum quum æque certum sit eidem alias multas possessiones fuisse in Gallia Narbonensi, quid vetat quin parentes S. Firmini Narbone habitarint ? Quis umquam cogitarit amplissimæ familiæ membra omnia in duabus villis sedem suam fixisse ?*

aut quin S. Firminus *puer diaconus et juvenis presbyter ordinatus fuerit.*

7 *Secunda difficultas depromitur ex ætate, qua* S. Firminus *duodennis ordinatus fuit diaconus, et vicenarius presbyter. Hæc pugnare cum canonibus hujus ævi atque etiam sequentium temporum plane fatemur ; sed fatendum simul est hæc recte convenire cum usu seu abusu illius ævi ; de qua re, ut omittam exempla plura verbi gratia de S. Remigio, legi potest Ruinartius in præfatione ad S. Gregorium Turonensem, num.* 24. *Atque hic iterum quæro utrum sequioris ævi fictor scripturus fuisset talia, an vero potius omnia secundum canones digesturus.*

E

Vox provinciа *pro diœcesi.*

8 *Tertia difficultas moveri posset, quod Roricius* posuerit sub ditione sua beatum Firminum super omnes civitates provinciæ (*Occitaniæ inferioris*) et cætera loca, *dum tamen Usetia nequaquam esset metropolis. Verum verba ista :* Occitaniæ inferioris *editorum sunt, non vero scriptoris. Quod autem dixit* provinciam *et inferius num.* 6 *iterum* provinciæ *vocabulum adhibet pro* diœcesi ; *hoc et ab aliis factitatum fuisse videre est apud Cangium in Glossario.*

nec angelophania in morte minuunt scriptoris fidem.

9 *Quarta difficultas oritur ex angelophania, quæ num.* 6 *narratur. Equidem fateor nulla esse prodigia, de quorum veritate difficilius judicetur, quam visiones et similia, quoniam imaginandi vis atque interdum pessimorum hominum fraus facile pro actione supernaturali accipi possunt. Verum aliud est veram esse hanc visionem, aliud eam veram habitam fuisse a* S. Firmino *et fideliter eam relatam ab ejus biographo. Priorem quæstionem intactam relinquo ; quod autem ad biographi sinceritatem attinet, nil hic occurrit quod eam suspectam reddat, quoniam omnia quæ narrat de apparitione Angelorum omnino conveniunt cum his, quæ tunc temporis a doctissimo quoque credebantur de præsentia peculiari Angelorum in hora mortis : de quo argumento videatur Navei Chronicum Apparitionum et Gestorum S. Michalis* (1), *et Binterim Memorabilia Ecclesiæ Catholicæ* (2). *Cæterum si propterea abjicienda foret* S. Firmini *Vita, expungenda foret antea S. Martini Vita et innumera alia laudatissima documenta.*

F

Vita videtur sincerior quam lectiones Officii.

10 *Cæterum lectiones Officii ecclesiastici, quas Commentario prævio Fonsonus inseruit et quæ ad verbum ex ipsa Vita deprompta fuere, in fine gene-*

(1) Cfr citatum opus, lib. v, cap. x.

(2) Denkwardigkeiten, t. III, part. 3, cap. iv, § 1.

ralia

A *ralia quædam de miraculis habet : hæc omnino ab ipsa Vita absunt ; et quidem recte, quum accuratio in referendis adjunctis veritatis nota, incuria vero fictionis sit. Superest ut quæ Fonsonus omisit* S. Firmini *gesta paucis annotemus.*

Ex charta anni 896

11 *Imprimis in instrumento, quod Ludovicus Provinciæ rex pro Amelio Ucetiensi episcopo anno* 896 *condidit, et quod ex autographo Galliæ Christianæ scriptores* (1) *ediderunt, leguntur sequentia :* Igitur universis fidelibus sanctæ ecclesiæ nostrisque præsentibus et futuris notum fieri volumus, qualiter Amelius Ucetiæ civitatis venerabilis episcopus ad nostram accessit mansuetudinem clementer suggerens et humiliter poscens, quatenus S. Theodorito, cujus ecclesiæ Deo favente præest episcopus, res quasdam priscis temporibus attributas, sed quorumdam cupiditate sublatas, nostræ auctoritatis titulo Sancto restituere deberemus, Christique Martyri Theodorito : cujus petitioni libenter assensum præbentes... nostræ celsitudinis apices fieri sanximus, per quos juris
B nostri jure hereditario S. Theodorito Ucetiæ sedi largimur, et in posterum cunctis succedentibus, Christo favente, ad fruendum tribuimus, ecclesiam scilicet S. Baudilii a parte Aquiloni non longe ab eadem civitate a S. Firmino ejusdem civitatis pastore constructam, ubi et corpus ejus sanctissimum humatum veneratur, cum omnibus appenditiis ibidem pertinentibus, necnon et ecclesia in honore S. Juliani martyris sanctique Andreæ apostoli et S. Basilissæ virginis cum omnibus subjacentiis in media civitate Ucetiæ constructa opere miro, etc.

Intelligitur S. Firminum plures exstruxisse ecclesias, in quarum una sepultus et cultus fuit usque ad sæculum XVI.

12 *Ex quibus colligimus : primo* S. Firminum *intra civitatis ambitum exstruxisse ecclesiam SS. Juliani, Andreæ et Basilissæ ; extra vero, ecclesiam S. Baudilii : secundo eum pro hujus ævi more in hac sepultum fuisse ; eumque eodem in loco cultum fuisse sæculo* IX ; *adeoque jacuerunt ibidem sacræ ejus exuviæ, donec, teste Gallia Christiana Nova, a furentibus Calvinistis in cineres redactæ fuerint. Apud eosdem* (2) *legitur aliud diploma, ex præcepto Ludovici* VII *anno* 1156 *in gratiam Raimundi episcopi*
C *Uceticensis datum, ubi inter alia quæ recensentur hujus ecclesiæ bona, venit* abbatia S. Firmini cum villa in qua sita est. *In eodem instrumento mentio fit plurium aliarum abbatiarum, quas inter nominatur* Abbatia S. Juliani, *cujus abbas Wittardus interfuit concilio Portuensi anno* 897 ; *quocirca arbitrantur Benedictini, Occitaniæ historiographi, ecclesiam SS. Juliani, Andreæ et Basilissæ, a* S. Firmino *ædificatam, vere fuisse abbatiam. Abbatia vero* S. Firmini *in tenebris latet, et quidem in agro Usetiensi, quantum ex dictionario geographico Franciæ colligere possum, nulla villa* S. Firmini *nomen in agro Usetiensi habet ; verumtamen, si quid per conjecturam proferre juvet, nonne hæc abbatia locum occupavit castri* S. Firmini, *prope Usetiam siti, et a duce Usetiensi anno* 1575 *capti et paulo post a Marescalco de Damville obsessi, prout tradunt Occitaniæ historici* (3) ?

13 *Ad laudem demum* S. Firmini *referuntur hæc carmina, quæ Arator poeta Italus in epistola præmissa versioni poeticæ Actuum Apostolorum ad Parthenium suum circa annum* 544 *conscripsit :* D

Referuntur aliquot carmina in laudem Firmini, *ejusdem forte ac episcopi Usetiensis ;*

Sunt quia pontifices in relligione magistri ;
Gallia quos multos dat studiosa bonos :
Est ubi Firminus venerabilis ille sacerdos,
Pascere qui populum dogmatis ore potest.
Hujus ad Italiæ tendit laudatio fines,
Atque ultra patriam gloria nomen habet.

Verum hic eadem difficultas exsurgit, quæ impedivit quin S. Firmino *certo tribueretur scriptio Vitæ S. Cæsarii, anno* 542 *defuncti. Nam quemadmodum fieri potuit ut aliquis ignotus Firminus episcopatum in Gallia tenuerit post annum* 542 *et S. Cæsarii Vitam scripserit seu correxerit, ita nil impedit quin et anno* 544 Firminus venerabilis sacerdos *in Gallia extiterit et laudatus fuerit ab Aratore, quin tamen idem sit ac* S. Firminus *Usetiensis. Asserere quidem audemus Firminum laudatum ab Aratore eumdem esse ac scriptorem seu correctorem Vitæ S. Cæsarii, (in utroque enim opusculo Firmini et Parthenii nomina conjunguntur) ; concedimus item tunc temporis* Firminum *Usetiensem subjectum fuisse Arelatensi Metropolitano, Arelateque oriundum fuisse Parthenium ; hæc et alia nonnulla damus sed per hæc omnia suspicari quidem licet hunc Firminum nostrum esse Usetiensem episcopum, nequaquam vero affirmare.* E

Item fabella quædam de S. Firmino.

14 *His demum, non quod ad historiam pertinent, sed potius quod juvabunt forsan iconographos (ex fabulosis enim adjunctis repetuntur sæpius Sanctorum insignia) sequentia addimus, quæ Joannes Bonifacius Bagatta* (4) *ex Actis nescio quibus B.* Firmini *descripsit, et quæ a Bagatta mutuatus est Martinus Weissbacher* (5) In quibusdam Provinciæ partibus, *ita ex Actis habet Bagatta,* cum corpus B. Firmini Uscessiensis episcopi et natione Narbonensis, Uscessiam deferretur ; bobus forte, qui rhedam trahebant, ad pascua solutis, unus eorum ab urso subito est devoratus. Quo comperto, Sanctus Ferreolus, qui et Firmini nepos et nobilis vecturæ procurator exstiterat, eidem- F que Firmino in episcopalem sedem statim successit, divina obtestatione ad se in incontinenti ursum ascivit. Qui et eadem accedens hora, se sponte jugo supposuit, et bovi perdito quasi vicarius ad trahendum, devotusque successit, et sic pluribus abinde milliaribus Firmino tam miraculose transvecto, ejusdem obsequiis celebriter ibidem et gloriose completis, accepta quasi a Ferreolo licentia, ursus indemnis ad montana secessit, qui et singulis postmodum quamdiu vixerat annis die solemnitatis S. Firmini, ad ecclesiam eamdem ex consuetudine veniebat, et omnino bestiali feritate interim deposita, se populo, quasi mansuetum, palpabilem et tractabilem exhibebat, tamquam ob ausam pœnalem crimenque commissum, servire, pœnamque subire paratus. Unde et corium ejusdem usque hodie in ecclesia S. Firmini in veneratione reconditum habetur.

(1) T. VI, col. 293.
(2) T. VI, col. 299.
(3) T. V, p. 311 et 313.

(4) De admirandis orbis Christiani, p. 634.
(5) Legende der HH. Patroner, t. II, p. 232.

A habetur, et ob tanti memoriam transeuntibus et peregrinis ostendi solet. » *Vir monendus est lector totam hanc fabellam inde ortam videri, quod pellis ursina quædam in templo tamquam anathema oblata fuerit; quæ res, olim vulgaris valde, his omnibus comminiscendis locum dederit.* D

DE S. CANNICO ABBATE

IN OSSORIA HIBERNIÆ PROVINCIA.

NOTA 80 ad pag. 644, littera E.

Quis fuerit iste Docus abbas sub cujus cura aliquamdiu vixit S. Cannicus?

B *Lanigan (1) statuit hunc Docum eumdem esse ac S. Cadocum, coævum SS. Davidi et Gildæ, medioque sæculo sexto florentem, et Lancarvanensem abbatem. Argumenta, quibus nititur, huc reducuntur: primo quod alius celeber abbas nomine Doci aut Cadoci non appareat hoc tempore in historia ecclesiastica aut monastica Hiberniæ; secundo quod duo nomina videntur duplex tantum forma ejusdem vocabuli; tertio quod chronologicus ordo, nedum obstet, potius conveniat.*

NOTA 81 ad pag. 646, littera E.

Acta S. Cannici.

C *Quantis tenebris obvoluta jaceant Sanctorum Hibernorum gesta, fugit neminem. Nullus autem felicius inter medias has umbras incessisse fertur quam Joannes Lanigan, in superiori Nota citatus et Historiæ ecclesiasticæ Hiberniæ auctor. Quocirca, quum multa cura collectam* S. Cannici *Vitam in Historia illa (2) legere est, eamdem ex idiomate Anglico in Latinum vertere visum est, atque hic inserere; quo pacto licebit nobis multo brevioribus esse quam si omnia discrepantia annotaremus loca.*

VITA S. CANNICI

Ex Historia ecclesiastica Joannis Lanigan deprompta.

Anno 599. *Synopsis gestorum S.* Cannici; *a* *b*

In secunda classe Sanctorum Hiberniæ proxime post S. Columbam venit amicus ejus *Cannicus*, seu CAINECUS, vulgo dictus *S. Kenny a.* Natus erat in Kiennacta *b* ad Septemtrionem Hiberniæ. Pater ejus celeber erat poeta nomine Laidac Mocudalanius seu ex genere Dalan *c*, et mater dicebatur Melda *d*. Natus est *Cainech* seu *Cannicus* anno 516 *e*, et quum discretionis attigisset annos *f*, cupiens erudiri et vitam religiosam ducere, ivit in Britanniam et credidit se ductui venerabilis abbatis Doci *g*, quocum plures remansit annos studiis vacans et monasticæ obedientiæ leges servans. Omissa navigatione Romana, quæ aptis monumentis non nititur, annotamus eum postea versatum in schola Finniani Clouardiensis seu Cluain-Erardensis *h*. E Postquam autem hanc reliquisset scholam, aliquot annos verbum Dei prædicasse in Septemtrionalibus Hiberniæ partibus dicitur *i*; et si fides sit relatibus quibusdam, transiit in Britanniæ partem septemtrionalem, ibique in regione Pictorum eremiticam duxit vitam *k*. Aliquamdiu post processit *Cannicus* ad Hiberniæ regiones meridionales, scripsitque, dum per aliquod tempus in monasterio moraretur, exemplar quatuor Evangeliorum, quod diu sub nomine *Glass-Kinnich*, seu *Cannici Catena* servatum fuit *l*. Hinc venit in regionem quæ nunc superior Ussoria *(Upper Ossory)* appellatur; ubi, quum benigne receptus fuisset ab incolis, magnum Achadhboense seu Aghaboense monasterium fundavit *m*. Cujus fundationis tempus incognitum est, licet annum 577 certo præcesserit *n*. In hoc cœnobium transtulit postea habitationem sedemque suam de Saigir episcopus Ossoriensis *o*. Dicitur *Cannicus* et alia pia loca in regione illa fundasse patrocinio Colmanni Mac Feraidhe principis Ossoriensis *p*. F Mutuas Sanctorum Columbæ et *Cannici* visitationes et amicitiam jam antea attigimus *q*. Iisdem vinculis adhærebat sanctus abbas aliis coævis insignibus viris, puta Brendanis, Comgallo, Fintano Cluain-Erardensi *r*, etc., et in senectute S. Pulcherio Laithmorensi. Donis supernaturalibus nonnumquam instructus fuit *Cannicus s*, et in scribendis libris versatus erat, adeo ut biographus et poeta fuisse videatur *t*. Demum postquam Aghaboensi monasterio qua abbas et qua presbyter præfuisset, obiit anno ætatis 84, æræque christianæ 599, die 11 mensis Octobris *u*.

ANNOTATA.

a *De nomine disserit Byeus in Commentario historico, num.* 1. *Carpit Lanigan Smithium, quod* *in*

(1) An ecclesiastical history of Ireland, cap. IX, § 11, num. 176, t. I, p. 491 et seqq.

(2) Ibid. cap. XII, § 6, t. II, p. 200 et seqq.

A *in Vita S. Columbæ vocarit Sanctum nostrum* Kenneth *et quod dixerit nomen ejus inditum fuisse uni ex insulis Hebridis* Inchkenneth ; *sed id nomen potius congruere arbitratur alicui e S. Columbæ monachis, verbi gratia S. Kinneth, facto aliquando abbati Durroghensi et anno* 789 *defuncto.*

b *Sancti patria Kiennactha, de qua etiam Byeus num.* 9, *ea est cujus baronatus de Kenaght in comitatu Roboreti* (Londonderry) *nunc pars est.*

c *De parentibus Sancti* Cannici *disserit Byeus num.* 10. *Teste Lanigan, Ware* (1), *et Burke in Officio* S. Cannici *ad* XI *Octobris vocant ejus patrem* Lyadec, *sed in Vita S. Corbmaci* (2) *dicitur idem* Lugad, *apud Hamer* (3) *vero* Lugaïd Lechteag. *Adamnan* (4) *cognomen* Mocu-Dalon S. Cannico *addit, quasi stirps ejus dicta fuisset* Dalon.

d *Vide de nomine matris Byeum num.* 10 ; *Lanigan vero id desumpsit ex citato Ware loco.*

e *De anno navitatis disserit Byeus num.* 18. *Usserius* (5) *et Burke in officio assignant annum* 527 ; *verum, ut annotat Lanigan, difficile conci-*
B *liatur hæc assertio cum anno nativitatis S. Aidi, episcopi Killarensis ; qui, quamvis junior esset* S. Cannico, *anno tamen* 520 *aut saltem non diu post natus censendus sit. Quocirca ortus sit oportet* S. Cannicus *annis aliquot ante annum* 520, *adeoque nil impedit ut ejus nativitas in annum* 516 *referatur ; nam, ut sæpius animadvertit Lanigan, Colganus et Quatuor Magistri anno integro in suis computis deficiunt.*

f *Harris* (6) *et Burke in Officio assignant* S. Cannico *in Britanniam eunti annos tredecim ; id parum convenire æstimat Lanigan cum dictis veteris biographi, quæ apud Byeum num.* 11 *leguntur.*

g *Vide Notam* 80.

h *Confer Byeum num.* 12. *Præter Vitam S. Finniani alia documenta invocat Lanigan, sed singillatim non recenset. De itinere Romano vide num.* 2 *Commentarii historici.*

i *Stabilit hæc Lanigan, quod* S. Cannicus *dicatur* (7) *non semel ad ostia fluminis Moy, in sinum Killala effluentis, versatus fuisse.*

k *Harris et Burke meminerant eremiticæ vitæ*
C S. Cannici *apud Pictos. Adamnanus, qui sæpius ejus meminit, ne alludit quidem ad eam, videturque SS. Columbæ et* Cannici *mutuæ visitationi locum assignare inter Hebridas et Hiberniam* (8) *Suspicor, addit Lanigan, ea, quæ de commoratione apud Pictos feruntur, deberi errori, quo verba de* itinere in Britanniam *intellecta fuerint justo nimis ad litteram ; nam infrequens non erat apud veteres adeoque apud ipsum Adamnanum ut his verbis indicaretur iter in insulas Britanniæ adjacentes, non in ipsam Britanniam.*

l *Usserius* (9) *refert hæc ex Vita quadam* S. Cannici, *Locum vocat* insulam Roscree, *Burke vero* fluminis insulam Roscreensem. *Verum* Roscree *non insulam fuisse, sed notissimam in Momonia* (Munster) *civitatem animadvertit Lanigan.* D *Quocirca* Roscree, *ubi tunc temporis non videtur fuisse cœnobium, substituendum arbitratur* Lochree, *lacum quemdam flumine Shenano* (Shannon) *effictum, et insulis, quibus non deerant monasteria, intersectum ; seu etiam* Stagnum Cree, *de quo in Vita S. Cronani fit mentio, et quod idem forte est ac Monelabog, insulam Monaincha capiens.* Liber *vero seu* Catena, *quam ibidem* S. Cannicus *conscripsit, videtur fuisse Commentarius perpetuus in Evangelia, collectus ex Sanctorum Patrum scriptis, a theologis Hibernis dein usitatus.*

m *De his loquitur Byeus num.* 13.

n *Ut ex Adamnano* (10) *manifestum est, fundavit* S. Cannicus *hoc monasterium, priusquam S. Columbam in insula Hymba cum S. Brendano de Clonfert, anno* 577 *defuncto, visitaret. Hinc apparet Harris et Burke errare, quum hanc fundationem referunt ad tempus, quo Colmannus Mac Feredach seu Feraidhe Ossoriam gubernaret, quoniam principatum adipisci non potuit ante annum Domini* 583, *quo pater ejus Feredach occisus fuit* (11). E

o *Ware et Harris, quin etiam Thomas de Burgo, præcellens Hiberniæ Dominicanæ scriptor et simul Ossoriensis episcopus* (12), *referunt hanc translationem ad annum* 1052 ; *sed multo serius eam collocandam arbitratur Lanigan, licet a se tempus assignari non posse fateatur. Verum prætervit eum documentum, quod citat Usserius* (13), *ex quo manifestum est sedem Ossoriensem ineunte sæculo XII apud Aghboo, seu Aghavoam in regione Ossoriæ fuisse, unde et Ossoriensis dicta sit. Monet tandem Thomas de Burgo* (14) *eamdem sedem circa annum* 1188 *ab episcopo Felice O-Dultany Kilkenniam translatam fuisse, retento Ossoriensi nomine.*

p *Statuit Lanigan mortem hujus Colmanni ad annum* 602. *Precibus propter æternam salutem, et obsequiis ad rem omnem utilem adjuvit hunc principem sanctus* Cannicus, *acceptorum beneficiorum memor.*

q *De hac re agit Byeus num.* 14 *et* 15 *Commentarii historici.*

r *In Actis S. Fintani cap.* 7 *refertur ejus disciplinam tam severam fuisse ut nec sibi nec mona-* F *chis suis lactis usum permitteret. Accessit ad eum* S. Cannicus *cum aliis sanctis viris perfecitque ut S. Fintanus discipulis quidem suis lac indulgeret, sibi tamen nequaquam* (15).

s *Adamnanus exemplum refert donorum horum supernaturalium ; quod et habes in Commentario historico num.* 14 *et* 15.

t *Ware tribuit* S. Cannico *scriptionem Vitæ S. Columbæ et aliquot hymnorum in ejus honorem. Vide præterea quæ dicta sunt superius de* Catena *seu Commentario in Evangelia.*

u *Quatuor Magistri statuunt annum* 598 *mortualem* S. Cannici ; *sed ut passim admonet Lanigan, intelligendus est annus* 599, *quum (ut dictum est)*

(1) Writers, lib. I, cap. XIII, seu XV.
(2) Colganus, Act. SS. Hiberniæ, t. I, p. 752.
(3) Chronic. p. 124, ed. nov.
(4) Vita S. Columbæ, lib. III, cap. XXI apud Colganum, t. II, p. 367.
(5) Antiq. Britannic. eccl. in indice Chronol., p. 528.
(6) Writers, ad Cannicum.
(7) Colganus, Act. SS. t. I, pag. 752.
(8) Cfr Lanigan, cap. XII, not. 72, et cap. XI, not. 147, t. II, p. 20, et 156.
(9) Antiq., p. 1065.
(10) Vit. S. Columbæ, lib. III, cap. [illegible] apud Colganum, t. I, p. 367.
(11) Cfr Lanigan, lib. XII, not. 59, t. II, p. 196.
(12) Hibernia Dominicana, cap. IX, [illegible] I, not. [illegible], p. 205.
(13) Antiqu. [illegible], p. 395.
(14) Hib. Dom. loc. cit.
(15) Cfr Lanigan, [illegible] p. 204.

eorum

A *eorum chronotaxis uno anno ubique deficiat. Usserius eumdem admittit annum ; et quum* S. Cannicum *anno* 527 *ortum statuerit, hinc deducit eum obiisse anno ætatis* 72, *licet fateatur in Vita quadam* S. Cannici *reperiri eum attigisse* 84 *annum. Ware differt ejus obitum ad annum Christi* 600, *ætatis vero* 72 ; *unde ejus nativitatem illiget oportet anno Christi* 528. *Confer num.* 18 *Commentarii historici. De sancti* Cannici *cultu nonnulla memorabilia habet Thomas de Burgo, Hiberniæ Dominicanæ prælaudatus scriptor et dein Ossoriensis episcopus. Tria scilicet loca* S. Cannici *cultu celebriora sunt ; quorum primus Aghaboe, male confusus a Byeo cum Kilkennia, a qua viginti milliaribus distat, exiguus vicus est Ossoriæ superioris* (1). *Pristinum monachorum templum et pars monasterii etiamnum subsistit, et ab anno* 43 *regni Elisabethæ penes Protestantes est. Plura videat lector apud Archdall* (2), *Carlisle* (3), *Samuelem Levis* (4), *etc. Secundus locus est Burgum* S. Cannici, *etiam* Irish-town *dictum, habens templum cathedrale sub patrocinio* S. Can-
B nici *Deo sacrum, et* nulli, *ut loquitur Thomas de Burgo* (5), in regno Hiberniæ quoad magnificam et concinnam architecturam secundum (6). *Prælabitur ei* Eyri, *vulgo* Neori *seu* Nore *fluviolus, ad cujus alteram ripam consurgit Cannicopolis, anglice* Kilkenny, *hibernice* Chilehuinne, *id est* S. Cannici fanum ; *quæ etiam* English-town *dicitur, quia nonnisi post adventum Anglorum in Hiberniam constructa fuit, atque ita distinguitur a Burgo* S. Cannici, Irish-town *nuncupato* (7). *Hujus grandioris civitatis descriptionem suppeditant Carlisle et Samuel in Dictionariis suis topographicis Hiberniæ* (8). *Porro in Burgo* S. Cannici *necnon Aghaboæ celebrabantur olim quotannis frequentissimæ nundinæ die* 11 *Octobris ; nunc vero die* 22 *ejusdem mensis (atque etiam pridie Aghaboæ) propter mutationem styli, seu inductionem calendari Gregoriani* (9) ; *festivitas tamen (et quidem rectissime) a die* XI *Octobris amota non fuit, ut passim ex dictis Thomæ de Burgo, Carlisle, Levis, etc., liquet. Est insuper* S. Cannicus *patronus minus principalis diœcesis Ossoriensis, cujus primus patronus est* S. *Kiranus senior, die* v *Martii cultus* (10). *Insuper decreto S. R. C., dato die* I *Julii* 1747 *ad preces cleri regni Hiberniæ, concessit Benedictus XIV ut, purificatis quibusdam conditionibus,* S. Cannici E
festum ab omnibus clericis Hibernis sub ritu duplici majori ageretur (11).

(1) Hib. Domin., cap. IX, § 30, num. I, p. 297.
(2) Monast. Hibern., p. 588.
(3) Topographical Dictionary of Irland, verbo *Agaboe*.
(4) Topographical Dictionary of Irland, verbo *Agaboe*.
(5) Hibern. Domin. loc. cit.
(6) Cfr ejusdem descriptio in cit. opere Samuelis Levis verbo *Kilkenny*.
(7) Hibern. Domin. loc. cit.
(8) Verbis *Kilkenny* et St *Canice*.
(9) Hib. Dom. c. IX, § 30, num. I, p. 297 et c. IX, § 3, num. I, p. 205.
(10) Ibid. p. 296.
(11) Ibid. p. 23.

NOTA 82 ad pag. 649, littera B.

DE S. ETHELBURGA VIRG. ABBATISSA

IN ANGLIA.

C
De fundatione monasterii Berkingensis.

Epocha fundationis monasterii Berkengensis:

Non *videtur tantus, ut loquitur Commentator, Anglicorum scriptorum consensus in assignanda epocha fundati monasterii Berkingensis. Certe Gulielmus Dugdale* (1) *tres adnotat annos fundationis, nempe juxta Reynerum in Apostolatu Benedictino annum* 630, *quem merito rejicit ; juxta Registrum Cherteseiense, annum* 666 ; *juxta Lelandum vero in Collectaneis, annum* 675 : *neutram ex binis posterioribus reprobat epocham. Imo est quarta opinio, quam Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Angliæ* (2) *amplectitur, omnium probabilissima, quæ suadet initium Berkingensis cœnobii ante annum* 664 *contigisse. Nam conceptis verbis docet nos Venerabilis Beda sequentia, Lib.* III *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 27 : Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo sexagesimo quarto factam esse eclipsim solis die tertio mensis Maji, hora circiter decima diei ; quo etiam, *ait,* anno subita pestilentiæ lues.... magnam hominum multitudinem stravit. *Porro postquam varios enumeravit viros peste sublatos, devenit Beda ad monasterium Berkingense, in quo, inquit,* plura F
virtutum sunt signa patrata, quæ et ad memoriam ædificationemque sequentium, ab his qui novere, descripta habentur a multis, e quibus et nos aliqua historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere curavimus. Quum tempestas sæpe dictæ cladis, late cuncta depopulans, etiam partem monasterii hujus illam, qua viri tenebantur, invasisset, et passim quotidie raperentur ad Dominum, solicita mater congregationis, qua hora etiam eam monasterii partem, qua ancillarum Dei caterva a virorum erat secreta contubernio, eadem plaga tangeret, crebrius in conventu sororum perquirere cœpit, quo loci in monasterio corpora sua poni et cœmeterium fieri vellent, quum eas eodem, quo cæteros exterminio raptari contingeret. *Quo ex textu discimus S. Ethelburgam jam præfectam fuisse monasterio Berkingensi, quando anno* 664 *pestis per Angliam sæviebat. Quoniam porro necdum cœmeterii locum elegerant, videntur moniales non ita diu monasterium incoluisse* ; *adeoque facile mihi* per-

(1) Monast. Anglic. t. I, p. 436.

(2) Alford. Annal. ad an. 664 T. II, p. 322.

A *persuadeo initia Berkingensia ad annum 662 aut sequentem referenda esse.*

Duplex fuit mulierum et virorum ;

2 *Ex allegato Bedæ textu videmus Berkingense monasterium fuisse duplex, nempe mulierum et virorum, distinctas et separatus domos incolentium. Procurabant autem viri, sive monachi sive canonici res monialium tum sacras tum temporales : quod duplex ministerium clare indicat canon* XI *concilii anno* 619 *sub S. Isidoro celebrati* (1) : De monasteriis virginum, ut a monachis tueantur. Undecima actione consensu communi decrevimus, ut monasteria Virginum, in provincia Bætica condita, monachorum administratione ac præsidio gubernentur : tunc enim salubria Christo dicatis Virginibus providemus, quando eis patres episcopi tales eligimus, quorum non solum gubernaculis tueri, sed etiam doctrinis ædificari possint ; ea tamen circa monachos disciplinæ cautela servata, ut remoti ab earum peculiaritate, nec usque ad vestibulum habeant accedendi familiare permissum ; sed nec abbati nec ei, qui præficitur, B extra eam, quæ præest, loqui virginibus aliquid, quod ad institutionem morum pertinet, licebit ; nec cum sola, quæ præest, frequenter eis loqui oportet, sed, sub testimonio duarum aut trium sororum, ita ut rara sit accessio, et brevis omnino locutio. Absit enim, ut monachos (quod etiam dictu nefas est) Christi virginibus familiares esse velimus ; sed juxta quod jussa Regularum vel canonum admonent, longe discretos atque sejunctos, eorum tantum easdem gubernaculis deputamus. Constituentes, ut unus monachorum probatissimus eligatur, cujus curæ sit prædia earum rustica vel urbana intendere, fabricas exstuere, vel si quid ad necessitatem monasterii providere, ut Christi famulæ pro animæ suæ tantum utilitate sollicitæ, solis divinis cultibus vivant, operibusque suis inserviant. Sane is, qui ab abbate præponitur, judicio sui episcopi comprobetur. Vestes autem illæ iisdem cœnobiis faciant, a quibus tuitionem exspectant, ab eisdem denuo, ut prædictum est, laborum fructus et procurationis, suffragium recepturæ. Si qui autem mo- C nasteriorum hanc ordinationem aut contempserint, aut qualibet inertiæ dissolutione neglexerint, sciant quod eorum tepor atque superbia excommunicationis sit plectenda censura.

(1) De Aguirre, Conc. Hisp., t. III. p. 349. Edit Rom. 1753.

D 3 *Sanciverunt itaque Hispalenses patres, ut monachi monialibus res sacras administrarent et procurarent simul prædia earum tam rustica quam urbana : quod ut fieret, pronum erat juxta principale fœminarum monasterium exstruere pro viris religiosum contubernium, ubi et ipsi divinis officiis et monastica disciplina sese exercerent, remoti ab altero sexu. Tunc enim vigebant et in Hispania et in Anglia monasteria, qualia descripsimus,* duplicia, *sed etiam,* mixta, *in quibus promiscue degebant viri et fœminæ, monasterii formam prætendentes. Sic S. Fructuosus, Bracarensis episcopus, S. Isidoro coævus in Regula monastica communi cap.* 1 (2) : Solent, *inquit,* nonnulli ob metum gehennæ in suis sibi domibus monasteria componere, et cum uxoribus, filiis, servis atque vicinis, cum sacramenti conditione, in unum se copulari ; et in suis sibi, ut diximus, villis et nomine Martyrum ecclesias consecrare et eas falso nomine monasteria nuncupare. Nos tamen hæc non dicimus monasteria, sed animarum perditionem et Ecclesiæ subversionem. *Similem calamitatem, suo tempore in* E *Anglia frequentissimam deplorat Venerabilis Beda in sua ad Egbertum Eboracensem epistola :* Quum sint, *ait,* ipsi laici et nullius vitæ regularis vel usu non exerciti vel amore præditi, data regibus pecunia, emunt sibi sub prætextu monasteriorum construendorum territoria, in quibus suæ liberius vacent libidini, et hæc insuper in jus sibi hereditarium edictis regalibus faciunt adscribi, ipsas quoque literas privilegiorum suorum, quasi veraciter Deo dignas, pontificum, abbatum et potestatum sæculi obtinent subscriptione confirmari. *Similem quoque pestem in Oriente grassatam fuisse liquet ex constitutione Justiniani imperatori qui lib.* 44 C. *de episcopis et clericis* (l. 3) *jubet ut* solæ per se mulieres, non commistæ viris, οὐκ ἀναμιγνυμένας ἀνδράσιν, *habitent : si autem viri sint plures, mulieres in convenientem locum transferantur ; sin plures inveniantur fœminæ, aut etiam pari numero, viros quidem transferri, fœminas autem in monasterio manere jubet. Porro cessarunt paulatim monasteria duplicia, etiam secundum canones, juxta regulam in præcedenti numero citatam,* F *constituta ; et moniales, uno alteroque conscientiæ suæ arbitro contentæ, rem temporalem monasterii per procuratores administraverunt.*

disciplina canonica super hujusmodi monasteriis.

(2) Holstein, Cod Reg., t. I, p. 208

NOTA 83 ad pag. 666, littera A.

DE S. JULIANA VIRG. ABBATISSA

PAULIACI IN NORMANNIA.

Profanatio Reliquiarum S. Julianæ.

C*um ad diem* XIX *Octobris, in Actis scilicet Sancti Ethbini, tom. VIII prædicti mensis, latius acturi simus de præclarissimo Sacrarum Reliquiarum Thesauro, plura per sæcula Monstrolii in abbatia Sancti Salvii asservato ; suffecerit hic meminisse quomodo, sub finem sæculi proxime elapsi, Gallico sæviente turbine, ossa sacra omnia, atque in specie venerandum sanctæ* Julianæ *corpus, infandum per sacrilegium, flammis tradita, in foro Monstroliensi combusta fuerint. Ultimo scilicet mensis Septembris die anni* 1793, *proconsul*

Reliquiarum thesaurus, Monstrolii

(Andreas

A *(Andreas Dumont) missus in illas partes a gubernio, quod hac tempestate Galliam universam cæde et sanguine funestabat, Monstrolii jussit præstantissimam ecclesiæ abbatialis Sancti Salvii porticum deturpare, injectis funibus in statuas, quæ haud parvo numero ibidem cernebantur, quasque in terram detractas, a furente plebecula per urbis plateas et compita circumtrahi permisit, imo et auctor fuit.*

die ultimo Septembris 1793

2 *Hæc matutino præfati diei tempore peracta sunt. A meridie fœdus perpetratum est facinus. Reliquiæ omnes sepositæ fuerant in sacrario abbatiæ Salvianæ : scilicet decem omnino corpora sancta in præfato monasterio ab immemoriali asservata, SS. Salvii, Ingoldi, Justini, Ethbini, etc. ; item alia tria ex abbatia sanctæ Austrebertæ olim allata : SS. Austrebertæ nempe, Tramechildis et* Julianæ ; *insuper ingens copia reliquiarum minorum, ex variis abbatiis, conventibus et parœciis ibidem congestarum. Quæ omnia sicut et ingentem vim icuncularum lignearum, librorum ritualium, etc. asportare jussit in forum (vulgo* Place d'armes) *: cumque* B *ex mente proconsulis istius, in acervum composita essent, ejusdem mandato, advocatur monialis ex Xenodochio* (Hotel-Dieu), *cogiturque, amantium more junctis brachiis, una procedere cum sacerdote, Vicario præfatæ urbis, qui* civili, *ut aiunt,* constitutioni *fidem præstiterat. Ambo itaque, faculam, manu tenentes, vix non emortui, ast terrore compulsi, spectante proconsule, ignem strui supposuerunt.*

combustus,

3 *Addit hic Carolus Henneguier, Monstroliensis, vir optimus et eruditus, cui in acceptis hanc referimus narrationem :* Sæpius hæc audivi a patre meo, qui præsens nefandi facinoris spectator aderat; et quamvis tum vix decimum tertium ætatis attigisset annum, tantopere hoc aspectu perculsus fuit, ut toto vitæ suæ tempore numquam menti ejus exciderit et pallor vultus et tremor, quo vix non exanimis reddebatur monialis, cum faculam virgultis, strui subjectis, admoveret ; incondite vociferantibus, haud magno quidem numero, discolis, quos furor dementabat ; cæteris omnibus mœrore et luctu oppressis. D

ut jam vix ex iis

4 *Dum flagrabat venerandus ille antiquitatis thesaurus, theca, reliquias sancti Ethbini recondens, quam laminis argenteis prævie spoliaverant, disjuncta est ; ex qua caput seu cranium elabens, volvi, multitudinem versus, cœpit :* Quod, *ait rursus laudatus Carolus Henneguier,* pater meus arripiens atque sub veste sua tegens, servare tamen non potuit ; a milite scilicet coactus prædam suam dimittere.

aliquid superstit.

5 *Tot tantarumque Reliquiarum, in summa olim Monstrolii partim, partim aliis in locis, veneratione habitarum, aliud servatum est nihil, præter parva quædam reliquiaria, pleraque affabre facta , ad abbatiam sanctæ Austrebertæ spectantia, quæ moniales, dum monasterio ejicerentur, subduxerant, et deinde, converso rerum publicarum statu, restituerunt : item minora aliquot ossa fidelibus tradita ab iis, qui sacras thecas, antequam igni traderentur, ornatibus suis spoliabant, quæ quidem etiam, depulso turbine, ad ecclesiam parochialem relata fuere ; haud pauca quoque ossa semiusta, cineribus erepta, atque in plures majores thecas promiscue congesta, hodiedum servantur in antiqua sancti Salvii ecclesia abbatiali , nunc parochiali Monstroliensi.* E

Corpus S. Julianæ flammis traditum.

6 *Ex his porro satis claret, quæ fuerit sors Reliquiarum sanctæ* Julianæ. *Forte inter ossa illa semiustulata partes aliquæ ad ejus corpus pertinent ; ast quia promiscue cum cæteris rogo impositis combusta sunt, nullo umquam jam tempore, nisi per miraculum, discriminari ab invicem poterunt.*

NOTA 84 ad pag. 681, littera E.

C

DE S. GUMMARO CONFESSORE

F

LYRÆ IN BRABANTIA

Reliquiæ S. Gummari confessoris profanationi eripiuntur.

Lyrani cives corpus S. Gummari profanationi subtrahunt.

Q*uum omnia corporum ecclesiasticorum et laicorum bona fisco, ut tunc vocabatur, nationali adducerentur, timuerunt Lyrani cives, ne corpus patroni sui,* S. Gummari, *profanaretur et destrueretur. Quapropter antequam collegiatæ suæ ecclesiæ auream argenteamve supellectilem rapacitati victorum surriperent, thesaurum, sibi longe pretiosiorem substrahendi consilium iniere et feliciter exsecutioni mandarunt. Totius rei gestæ seriem exhibet instrumentum, quo archiepiscopus Mechliniensis, Joannes Armandus de Roquelaure, sacra lipsana recognovit, et ritu consueto fidelium venerationi exponi eadem permisit. Istud itaque exhibemus, monentes tamen Lyram oppidum, olim pertinuisse ad diœcesim Antverpiensem, qua per concordatum anni* 1801 *abolita et exstincta, cessit archiepiscopatui Mechliniensi. Instrumentum est tenoris sequentis :*

Instrumentum

2 Joannes Armandus de Roquelaure, miseratione divina et sanctæ sedis apostolicæ gratia archiepiscopus Mechliniensis, omnibus has visuris salutem in Domino. Notum facimus, quod die data præsentium coram nobis personaliter comparuerunt RR. adm. Domini Joannes Josephus Vanden Eynde, capituli collegiatæ et parochialis ecclesiæ S. Gummari Lyræ quondam decanus, Carolus Dominicus De Reus, Adrianus Franciscus Baeyens et Jacobus Josephus de Neuf ejusdem

capituli

A capituli quondam canonici; DD. Jacobus Fraters et Joannes Berckmans, oppidi Lyrani quondam scabini et Ludovicus Carolus Stalpaert, J. V. L. capituli et oppidi quondam secretarius: declarantes se, præviis cognitione et licentia Vicarii generalis illustrissimi Domini episcopi Antverpiensis, die nona Februarii anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi, præsentibus et ea, quæ sequuntur, ob temporis circumstantias requirentibus, DD. Guillielmo Josepho De Kinder et Jacobo Bernardo Van den Branden, præfatæ ecclesiæ tum temporis æditius, nuper vita functis, ex theca argentea, altari S. Gummari in dicta ecclesia inclusa, levasse capsulam minorem quercicam, continentem Reliquias ejusdem S. Gummari, oppidi Lyrani patroni, ibidem ab ævis a fidelibus veneratas, habentem formam loculi funeralis, longitudinis circiter duorum pedum, altitudinis novem circiter pollicum, et latitudinis in fundo circiter sex pollicum, fascia serica coloris viridis, in forma zonæ, in longitudine B ligamine duplici, et in latitudine ligaminibus quinque dictæ capsulæ circumvincta seu ligata, sigillo reverendissimi quondam Antverpiensis episcopi, Ambrosii Capello, in locis octo, item sigillo majori magistratus Lyrani binis in locis, sigillo capituli unico in loco, dictæ fasciæ seu zonæ applicatis, etiam in binis extremitatibus ejusdem sigillo minori magistratus et sigillo æditiuorum ecclesiæ, cujus vero fasciæ aut zonæ sericæ unum ligamen in latitudine vetustate, ut patuit, erat disruptum, et aliud immediate sequens, ita fere etiam vetustate disruptum, ut duobus ad summum filis teneret et disrumpi minaretur, absque eo tamen, ut ulla quæpiam ex inde suspicio aut apparentia aperturæ aut fraudis exsurgeret, vel induci possibile foret, aliis superius designatis integris ligaminibus, et sigillis tam his quam duobus præfatis, disrupto et ruptionem minanti, applicatis, clausuram omnino et circumquaque firmantibus et assecurantibus.

Joannis Armandi de Roquelaure,

3 Quam quidem capsulam, ita visam et a declarantibus examinatam, prædictæ thecæ argenteæ tum immediate ab iis reimpositam, sed postmodum, C circumstantiis magis magisque urgentibus, clam ex altari relevatam et subductam, hodie coram nobis in præsentia omnium comparentium detulit et ostendit prædictus Ludovicus Carolus Stalpaert, et postquam illa a comparentibus omnibus et singulis revisa et diligenter examinata fuisset, omnes unanimi voce affirmarunt et declararunt, vere et realiter esse eamdem capsulam, quam supradicta die nona februarii anni millesimi septingentesimi nonagesimi septimi ex capsa argentea in altari S. Gummari in sæpedicta ecclesia tum inclusa, levaverant, atque eam nunc vere et realiter esse per omnia in iisdem statu, conditione et exsistentia, prout eam dicta die viderunt, examinaverunt et recognoverunt, excepto quod ligamen, quod, ut ante dictum, rumpi minaretur, hodie etiam sit disruptum. — In quorum omnium fidem omnes declarantes hanc suam declarationem signaturis propriis muniverunt.

Mechliniensis et ...

4 Acta sunt hæc Lyræ in ædibus prædicti Ludovici Caroli Stalpaert, hac decima octava Vendémiaire anni reipublicæ Gallicæ undecimi, in D vigilia festi S. Gummari, decima Octobris anni millesimi octingentesimi secundi, præsentibus DD. Gaspare Gummaro Francisco Vertommen urbis Maierio, Christiano Josepho Goyvaerts et Josepho Vander Linden Maierio adjunctis, Henrico Bernardo Van den Branden et Michaele Guillielmo Josepho de Kinder, modernis ecclesiæ æditius, qui etiam signaverunt. Erant signati: J. J. Van den Eynde, decan. capituli suppressi, Carolus de Reus, Canonicus Lyræ quondam, A. F. Baeyens, quondam canonicus, J. J. de Neuf, quondam canonicus Lyræ. Jacq. Gum. Fraters, J. Berckmans, Lud. Car. Stalpaert, G. G. F. Vertommen, maire, G. Joseph Van der Linden, adjt, H. B. Van den Branden et M. G. J. De Kinder.

5 Attenta et examinata declaratione superius posita, viso etiam et examinato loculo seu feretro superius descripto, ejusque descriptionis, tam ratione structuræ, ligaminum et sigillorum quam cæterorum accidentium, ut omnia et singula in E præcedenti declaratione sunt commemorata, veritate per nos recognita, recognitoque etiam nullam suspicionem aperturæ dicti loculi aut fraudis cujuslibet apparere aut detegi posse, visis lectisque insuper actis visitationis et approbationis præmemorati Illustrissimi D. Ambrosii Capello de data decima septima mensis Octobris anni millesimi sexcentesimi sexagesimi sexti, in copia authentica inscriptis et contentis in registro archivorum prædicti oppidi Lyrani, nobis per præfatum maierium suppeditato, quibus rite constat, dictum illustrissimum Dominum declarasse et decrevisse Reliquias, in sæpe dicto loculo seu feretro contentas, esse veras et legales S. Gummari Reliquias et pro talibus habendas ac venerandas esse: perpensis de cætero et attentis omnibus et singulis, quæ in similibus perpendenda sunt, in primis bina ligamina disrupta in eorum extremitatibus mediante cera hispanica rubra et sigilli nostri episcopalis appositione, loculo affiximus et applicuimus: circumducta et circumligata deinde nova fascia seu zona serica F coloris viridis, nodum seu ligaturam ejusdem dicto sigillo nostro sigillavimus, adhibita in omnibus debita reverentia. Decernentes et declarantes, prout per præsentes decernimus et declaramus præmemoratum loculum seu feretrum solemniter ad supradictam ecclesiam S. Gummari reportandum, ibidemque antiquo loco suo reponendum, atque ita Reliquias, in dicto loculo contentas, fidelium venerationi reddendas esse. In quorum omnium fidem præsentes litteras sigillo nostro et manus propriæ subsignatione munivimus loco et data in superiori declaratione expressis. *Erat signatum:* Joannes Armandus archiepiscopus Mechliniensis. *Cum sigillo.*

6 *In Hagiologio Butleriano, novis curis anno* 1848 *Bruxellis edito* (1), *dicitur* S. Gummari *Reliquias recognitas fuisse anno* 1804, *errore, crediderim, typothetæ: nam annus* XI *reipublicæ Gallicæ accurate a* XXIII *Septembris respondet anno vulgari* 1802, *qua ratione firmatur annus, a nobis exhibitus. Die autem* IV *Julii ejusdem anni Joannes Armandus* *de*

Qu. anno recognitæ S. Gummari reliquiæ.

(1) Vies des Pères, martyrs, etc., Alban Butler, t. V, p. 416.

A *de Roquelaure possessionem sedis archiepiscopalis Mechliniensis adierat* (1).

et de solemni pompa qua fuerunt exceptæ.

7 *Recognitæ tali ratione Reliquiæ S. Gummari solemni pompa in ecclesiam, sub ejus invocatione exstructam, illatæ fuere : impositæque denuo in capsa argentea, quam cives Lyrani sua industria rapacitati malorum subtraxerant. Est autem hæc capsa longitudinis sex circiter pedum, ex solido argento conflata, artificiosissime cælata, in cujus dextero latere sequens legitur inscriptio :* D. Gummaro ejusque sacris ossibus hoc æternum gratæ pietatis monumentum suo labore, studio, industria, communi vero civium munificentia procuraverunt R. adm. D. Theodorus Cottel, S. R. E. pronotarius, collegialis et parochialis S. Gummari canonicus et thesaurarius, etc. ; necnon Petrus van Antwerpen et Joannes de Kinder, ejusdem ecclesiæ æditui.... Anno a partu virgineo millesimo sexcentesimo octogesimo secundo ferculum hoc exstructum fuit (2). D

(1) Collectio epist. pastoral. diœc. Mechl., t. I. p. 54.

(2) Butler, t. V, p. 416, not. 8.

NOTA 85 ad pag. 786, littera B.

DE S. BRUNONE ARCHIEPISCOPO

COLONNIÆ AGRIPPINÆ.

B E

Ejus reliquiæ.

Ecclesia S. Pantaleonis, ubi,

A*d præsentem quod attinet sancti Pantaleonis ecclesiam, et Reliquias* S. Brunonis *in illa asservatas, hæc nobis rescripsit vir eruditissimus, R. D. Binterim, Pastor in Bilk, juxta Dusseldorpiam.*

2 *Suppresso, mense Augusto* 1802, *S. Pantaleonis monasterio, templum cultui divino addictum remansit, usque ad* 3 *Julii* 1803, *quo in parochialem ecclesiam erectum est, a S. Pantaleone dictam. Anno dein* 1819, *translato cultu catholico in vicinam ecclesiam*, S. Pantaleonis templum, *ut verbis utar prædicti R. D. Binterim*, datum est protestanticis copiis militaribus ; nunc in eo observatur cultus simultaneus pro catholicis et protestantibus militibus.

Reliquiæ S. *Brunonis archiepiscopi.*

3 *Sacra Lipsana non fuerunt loco mota, et hodie adhuc in eodem conservantur sepulcro. Ossa quidem imperatricis Theophaniæ, quæ posita erant juxta Reliquias* S. Brunonis, *aperto sepulchro, dicuntur fuisse quondam inspecta ; ast nihil tale de sancti Archiepiscopi exuviis innotuit, quæ grandi eoque marmoreo, clauduntur sub lapide, qui adhuc ad sancti Pantaleonis visitur. Cæterum nulla speciali in veneratione, nostris diebus, sanctus* Bruno *ibidem habetur.*

C

DE B. ALEXANDRO SAULIO EPISCOPO

F

IN DUCATU MEDIOLANENSI.

NOTA 86 ad pag. 806, littera C.

Quanti facienda Vita B. Paulii a Cardinale Gerdil edita, ex qua hauriuntur pleraque huic Auctario inserenda.

Vita S. Saulii a Cardinale Gerdil conscripta,

P*ræter memoratos in Commentario prævio Vitæ* B. Alexandri Saulii *scriptores, nominandi sunt P. Mazzenta et P. Petrus Grazioli, ex Barnabitarum familia. Posterior editus Romæ est ipso anno Beatificationis. Tandem hujus sæculi initio, anno nempe* 1805, *in lucem prodiit B. Alexandri* Saulii *Vita, gallico idiomate conscripta ab eminentissimo notissimoque Cardinali Gerdil, edita primum typis romanis, postea pluries variis in locis et regionibus reimpressa. Dividitur in libros tres : primus agit de Beati viri ortu, institutione domestica, de ejus ad Religionem vocatione, in eamque ingressu, de studiis, de muneribus et officiis, quibus functus in sua Congregatione est, usque dum promotus ad sedem Aleriensem fuit ; secundus complectitur illa omnia, quæ præclare gessit per annos fere viginti, quibus præfatam tenuit sedem ; tertius denique, narrata ejus ab Aleriensi ad Ticinensem episcopatum translatione, exponit quæ in nova illa diœcesi, quam per unum solum annum gubernavit, susceperit perfeceritque. Tum describuntur postremus Viri Dei morbus, mors sancta, funera, et cultus ejus memoriæ exhibitus usque dum solemni ritu Beatorum catalogo fuerit adscriptus. Ad calcem subnectuntur miracula post mortem ejus intercessione patrata, sicut et Breve Beatificationis. Vitæ præmittitur dissertatio*

A *sertatio seu* Oratio de divina Christi Religione, *ubi hoc sibi præcipue demonstrandum auctor suscepit, hanc nempe solam, quæ Sanctos efformat, vere dici posse Ecclesiam Jesu Christi.*

Quando hæc edita fuerit,

2 *Licet Vitam hanc multo, antequam e vivis excederet, tempore conscripserit Gerdilius, publici juris primum facta est anno* 1805, *tertio scilicet, postquam vir ille doctissimus, ætatis suæ anno* 84, *defunctus est die duodecima mensis Augusti* 1802 (1). *Diserte id asserit editor operum Gerdilii* (2), *in Monito ad lectorem tomo XX præfixo. Rationem quoque ibidem reddit adhibitæ in publicando opere moræ; quod scilicet nihil soleret Cardinalis in lucem dare usque dum sibi haberet persuasum omnia et singula accurata veritatique consona esse; additque in præsenti scriptione occurrere quædam, de quibus plane ei constiterit extremis tantum vitæ suæ annis.*

et quanti sit facienda.

3 *Cæterum* Vita hæc, *inquit laudatus editor*, accuratissima est atque unctionis et sapientiæ plenissima. *Et rursum paulo inferius :* Vita illa per se sola evidenter efficeret quam præclara polleret
B Gerdilius pietate, doctrina et prudentia, in alio laudans quæ ipse paribus in adjunctis præstitisset. Tandem hic, sicut et in omnibus ejus scriptis judicii ingeniique elucet subtilitas, ut non minus excellat in scribenda historia quam in tractandis philosophicis theologicisque quæstionibus. *Paucioribus quidem ast haud minus gravibus opus Gerdilii extollit verbis P. D. Franciscus Ludovicus Fontana, Sacro Collegio postea adscriptus, tunc vero procurator generalis clericorum regularium Congregationis S. Pauli seu Barnabitarum, in Encomio Cardinalis defuncti, recitato in academico eoque generali Arcadum Romanorum consessu,* VI *Januarii* 1804 (3). *Agens de Vita* B. Saulii, *quæ nondum prælo submissa tum erat,* in illa reperies, *inquit,* tantum veri historici elucere summo in gradu dotes, quantum in Beato vere sancti splenduerunt virtutes.

Elogium Gerdilii.

4 *Nec quisquam hujusmodi dicta mirabitur, qui in mentem revocaverit verbum illud Clementis XIV in Consistorio* XXVI *Aprilis* 1773, *ubi Gerdilium*
C *sibi* in pectore *reservatum prænuntiabat :* notus, *inquit,* orbi, vix notus Urbi, *significans et quantam sibi scriptis suis comparasset doctrinæ famam, et quanta simul excelleret modestia* (4).

Qui et ipse Barnabitis nomen dedit.

5 *Notum porro est Gerdilium sicut et* B. Saulium *nomen Congregationi S. Pauli seu Barnabitarum dedisse. Utrumque vero illi, per totum Vitæ suæ cursum, etiam cum ad summos ecclesiasticarum dignitatum honores evecti essent, addictissimos permansisse, ex universo Saulianæ Vitæ contextu clarissime elucet. Itaque auctor, quæcumque ad res præfatæ Congregationis pertinerent, apprime perspectas habuisse censendus est; testis quoque fuit processuum in ordine ad Beatificationem confectorum. Quæ omnia conjuncta cum præclarissimis ingenii dotibus, singularique pietate atque eximiæ doctrinæ* D
et litteraturæ adjumentis ostendunt quanti hæc scriptio sit facienda, quamque mereatur fidem. Usus plurimum quoque est Gerdilius Memorialibus Congregationis Clericorum sancti Pauli a P. Barelli concinnatis (5). *Opus duobus voluminibus in folio constat, in cujus tomo priori describitur ex professo* B. Saulii *Vita, toto scilicet libro sexto, a pagina* 289 *ad paginam* 411. *Non raro Barellium Gerdilius exscribit verba ejus Italica faciens Gallica.*

Plura ex præfata Vita huic Auctario inserenda

6 *Hæc paulo latius deduximus, quod multa ex laudata vita inserenda huic Auctario erunt, ad uberiorem seu potius accuratiorem Actorum* B. Saulii *illustrationem. Qui enim vel levissime inspexerit Commentarium prævium, facile deprehendet Acta hujus Beati præcipitanter et haud satis studiose a prædecessoribus nostris fuisse digesta. Idque tanto magis quis mirabitur forte quod Fonsonus, qui illa concinnavit, non obscure declaret, opus Barellii sibi haud ignotum fuisse. Æquus tamen rerum æstimator rationem habebit temporum, quibus tomus Octobris quintus in lucem prodiit. Suppressa enim anno* 1773 *Societate Jesu, actum videbatur de Opere Bol-* E *landiano. Attamen multis superatis difficultatibus, hagiographicum institutum perstitit, translatum anno* 1778 *Antverpia Bruxellas ad Abbatiam Caudenbergensem. Deinde dissolutum sub Josepho II anno* 1783, *ac postea rursus constitutum transiit anno* 1789 *ad Abbatiam Tongerloensem. Has inter vicissitudines molestiasque elaboratus est tomus Octobris quintus, in lucem editus anno* 1786. *Hæc qui perpenderit, haud mirabitur aliqua in hac Operis parte desiderari; nec scriptorum id incuriæ, bene vero temporum iniquitati tribuet* (6).

De Vita a Gabutio scripta.

7 *Quod vero ad Vitam a Gabutio conscriptam attinet, hæc quidem multis nominibus haud vulgari digna est laude; attamen virtutum potius dixeris encomium, quam rerum gestarum historiam. Plurima prætermittuntur; series chronologica vix ulla seu servatur, seu indicatur, ut qui Gabutii scriptionem evolverit, valde imperfectam Beati viri censendus sit habere notitiam. Nostras ergo partes duximus defectum supplere; atque tum ex Gerdilio, tum ex Barrelli, Ughelli aliisque, quæcumque a* B. Saulio F *præclare gesta sunt, et a Gabutio omissa, hic adscribere. Atque ita in unum congestis sive quæ ille scripsit, sive quæ nos ex variis collegimus, in Opere nostro Acta, jam non truncata, sed integra, prout convenit, reperientur.*

Monitum circa notas sequentes.

8 *Ne vero multiplicentur ad fastidium* NOTÆ *ad marginem indicandæ, satius duximus singulis Vitæ a Gabutio mutuatæ capitibus unicam adscribere* NOTAM, *atque sub hac in unum colligere quæcumque omissa vel prætermissa aut etiam minus recte dicta quovis capite animadverterimus. Ut tamen omnis vitetur confusio, quotiescumque novum tractandum veniet argumentum, numerum Gabutianæ scriptioni appositum designabimus, addentes, quantum fieri potuerit, verba, quibus proxime accedit nostra Notatio. Atque id semel hoc loco monuisse sufficiat.*

(1) Biographie universelle, *Verbo* Gerdil.
(2) Opere edite ed inedite del Cardinale Giacinto Sigismondo Gerdil. In Roma 1807 et seqq. T. XX, prodiit an. 1821.
(3) Vide initio t. I Operum Gerdilii : *Elogio litterario del Cardinale Gerdil recitato dal P. D. Francesco Luigi Fontana.*
(4) Rohrbacher, hist. univ. de l'Eglise, t. XXVII, p. 43. Leodii. 1849.
(5) Memorie dell'Origine, fondazione, avanzamenti, successi ed uomini illustri in lettere e in santità della Congregazione de' cherici regolari di S. Paolo, chiamati volgarmente Barnabiti, descritte da D. Francesco Luigi Barelli da Nizza, cherico regolare della medesima Congregazione. In Bologna, 1703.
(6) Confer Acta Sanctorum, Tom. VII Octob. Proœmii num. 49 ad 78.

A

NOTA 87 ad pag. 809, littera D.

Ingressus B. Saulii in Religione.

Ad *Gabutii caput* I, *num*. 3. Itaque decimum XVII annum agens.

Infra videbimus communius ad annum ætatis XVI *referri* B. Saulii *ingressum in Religionem*.

Ibidem. Deque seria Christi imitatione verba fecit.

Crux quam gestans Saulius in publicum processit, asservatur Mediolani.

1 *Perpetuo, ut habet Gerdilius* (1), *crux illa Mediolani ad sancti Barnabæ conservata, hodieque magna ibidem habetur cum veneratione, quam et videre est in Dormitorio, ut vocant, tabulæ deauratæ affixam, hac cum inscriptione :*

B

CRUCE. HAC. HUMERIS. IMPOSITA.
PRIUSQUAM. IN. CONGREGATIONEM. RECIPERETUR.
B. ALEXANDER. SAULIUS.
HINC. AD. FORUM. MERCATORUM. DIGRESSUS.
IBIQUE. DE. MUNDI. CONTEMPTU.
IN. MAGNA. CIVIUM. FREQUENTIA.
LUCULENTO. SERMONE. HABITO.
ÆTERNÆ. SALUTIS. ARGUMENTA.
PROPONEBAT.
ANNO. MDLI. ÆTATIS. SUÆ. XVI.
CONDITÆ. CONGREGATIONIS. XVIII.

Atque hinc probatur quod paulo ante monuimus, beatum scilicet Saulium, *anno ætatis suæ* XVI *Barnabitarum amplexum esse institutum. Et vero natus est, ut ipse etiam scribit Gabutius,* XV^a *die Februarii anno* 1535 ; *decimum sextum itaque ætatis annum explevit eadem die* XV *Februarii anni* 1551. *Cum tamen mense Maio mox dicti anni, ad Probationem admissus fuerit* Saulius, *potuit absque errore dici* annum agens XVII, *inchoatum scilicet a tribus fere mensibus.*

Ibidem num. 4. At vero illud quoque spectare vel audire jucundum, *etc*.

C

Admissionem petens Saulius, examinatur a moderatoribus;

2 *Quæ hoc et proxime sequenti numero reddit Gabutius, prolixius imo et paulo aliter tradit Gerdilius ex Actis capitularibus, in Archivis ad sancti Barnabæ Mediolanensis. Et primum quidem, quod ad tempus attinet, non cum jam novitius esset, hac contigerunt, sed cum in Congregationem admitti peteret* Saulius. *Audiamus Gerdilium* (2) *cui consonat Barelli* (3) : Convenit *Saulius* adolescens moderatores domus sancti Barnabæ, quæ prima fuit illius Congregationis, unde et hæc Barnabitarum nomen accepit, cui tunc temporis universæ præerat P. Martha a Tarvisio. Diu multumque Patres ejus probarunt vocationem, ut constat ex Actis capitularibus hac de causa conscriptis, atque in Archivo ad sancti Barnabæ asservatis. *Hic adscribit Gerdilius interrogationes responsionesque, ipsis, quibus positæ datæque fuerunt, verbis ; quas tamen hoc loco subjiciendas haud existimamus, cum earum summa reddatur a Gabutio, hujus capitis num*. 4 *et* 5.

D

ad tempus differtur ;

3 *Utut candide sapienterque respondisset* B. Alexander *propositis quæstionibus, tamen omnes, quotquot capitulo intererant, unanimi voce ejus adscriptionem differendam judicarunt, hac sane ratione ducti, quod juvenis admodum esset et præclarissima ex stirpe oriundus. Infracto se subjecit* Saulius *animo, atque magna cum constantia alia, quibus probandus erat, suscepit experimenta ; frequenter Patres Barnabitas conveniens et fere continue inter eos degens. Atque illo contigit tempore, quod supra narravimus, ut crucem gestans in publicum prodierit. Post hæc nihil jam morandum rati superiores optimum adolescentem in suum cœtum ingenti cum lætitia admiserunt, atque tertio post mense, cum consueto ritu veste religiosa donarunt.*

Ibid. num. 5. Tandem anno MDLIV, 3 Kal. Octobris solemnia religionis vota nuncupavit.

ad professionem admittitur.

4 *Addimus ex Gerdilio* (4) : *hac ratione tres in tirocinio exegit annos. Et licet primis temporibus nonnullus illi fixus haberetur terminus, atque nonnumquam usque ad duodecimum imo et quintum decimum protraheretur annum, tanta fuerat* Saulius *omnibus ædificationi, ut censeretur non ulterius differenda professio, ne populus Christianus tanto diutius virtutum splendore, tantique zeli careret industria. In examine, quod fieri solet, de tironum defectibus, aliud invenerunt nihil, quod reprehenderent, toto illo triennio, nisi quod ardentius vacaret studiis, et quod quadam die verbum ex impatientia protulisset. Itaque* XXIX *Septembris, festo santi Michaelis die, vota nuncupavit. Prævie hereditati patris sui renuntiaverat, censum sibi servans annuum sexaginta aureorum, in usus Congregationis Barnabitarum impendendum.*

E

NOTA 88 ad pag. 811, littera E.

B. Saulii progressus, susceptio sacrorum Ordinum, labores in concionando, docendi munere et regimine.

F

Ad *caput* II *num*. 8 Ut cæteris edocendis aptus videretur.

Plura hic in Gabutio desiderantur, supplenda ex Gerdilio et Barelli.

B. Saulii in studiis progressus,

5 *Tantos fecit* Saulius *progressus, ut secundo, nec integre percurso, studiorum anno theses ex philosophia et theologia omnino ducentas coram numerosa selectaque auditorum corona, summo cum plausu sustinuerit, quas adscripserat Petro Arigoni, Senatus Mediolanensis præsidi. Epistola dedicatoria acutum solidumque prodit ingenium, estque stylo exarata satis bene latino* (5).

sacros suscepit Ordines ;

6 *Subdiaconus ordinatus est mense Decembri* 1654, *quatuor recurrentibus temporibus ; diaconus mense Junio anni sequentis, iisdem sacris feriis. Illa tempestate vigebat adhuc disciplina in Concilio Vien-*

(1) Lib. I, cap. III.
(2) Lib. I, cap. II.
(3) Memorie de' PP. Barnabiti, lib. VI, cap. II, p. 296 et seqq.
(4) Lib. I, cap. IV ad calcem.
(5) Gerdil., lib. I, cap. V.

A *nensi anno* 1311 *sub Clemente V stabilita, qua licite conferebatur subdiaconatus anno decimo octavo; diaconatus anno vigesimo; præsbyteratus anno vigesimo secundo, prævie obtenta dispensatione ordinaria. Hac invocata moderatores* B. Saulium, *haud parum ex humilitate reluctantem, ordinandum curarunt sabbato* Sitientes, *quod præcedit Dominicam quintam Quadragesimæ, octava nempe Aprilis* 1556, *cum a decima quinta die Februarii annum ingressus esset vigesimum secundum. Hæc ita quidem Gerdilius* (1). *Ast duplex hic viri cæteroquin doctissimi notandus est error. Prior quidem quod tradat ex disciplina Concilii Viennensis licite conferri præsbyteratum anno ætatis vigesimo secundo; imo vero ætatis vigesimo quinto, ut recte scribit Barellius* (2): Fuerat, *inquit*, ille (*Saulius*), ætatis anno decimo nono inchoato ad subdiaconatum, completo ad diaconatum promotus, ita permittente Ecclesia, ex disciplina Concilii Viennensis anno 1311 celebrati sub Clemente V, quam postea reformavit synodus Tridentina sessione vigesima

B tertia (3). Ast quia etiam ante Tridentinum, quamvis Subdiaconatus ætatis anno decimo octavo, Diaconatus decimo nono completo licite susciperetur, non poterat quisquam ordinari sacerdos nisi vigesimo quinto ætatis anno; fas non erat ad præsbyteratum promovere *Alexandrum*, qui vigesimum primum vix expleverat annum. Attamen ob excellentia Viri merita moderatores... dispensationem petierunt. *Qua obtenta a Summo Pontifice Paulo IV, ordinatus est* Saulius *sabbato* Sitientes. *Alter Gerdilii error in eo constitit quod Sabbatum* Sitientes (*quo cum Barellio* (4) *recte asserit ordinatum* Saulium) *incidere dicat in diem* VIII *Aprilis* 1556, *quod utique falsum plane est. Illo enim anno celebratum Pascha est die* V *Aprilis* (5). *Sabbatum autem* Sitientes *dictum proxime antecedit Dominicam Passionis seu Quadragesimæ quintam; inciditque proinde anno* 1556 *in diem* XXI *Martii. Notatu dignum quoque est Barellium* (6) *ordinationem* Saulii *innectere præfato sabbato, quin diem mensis designet. His positis narrationem nostram resumamus. Tanto cum fervore, tam uberi*

C *cum fletu primum obtulit sacrificium, ut adstantes omnes quam maxime commoti atque compuncti discederent. Exinde numquam prætermisit sacris quotidie, novo semper accensus ardore devotionis, operari* (7). *Auctore Benedicto* XIV (8), in processibus causæ *B. Alexandri Saulii...* testes retulerunt, ab eo quotidie Missam fuisse celebratam, prævia pia dispositione et sacramentali Confessione.

Concionatur ingenti cum fructu, in ejus conversione; origo asceterii S. Praxedis, Mediolani.

7 *Continuo munus ei demandatum est verba ad populum faciendi, singulis diebus festis, post decantatas vesperas, in ecclesia S. Barnabæ. Ex mente et consuetudine Instituti sui, per modum concionis explanabat epistolas S. Pauli. Quanto cum fructu datam sibi impleverit provinciam, efficitur ex ingenti fidelium concursu, quorum non pauci melioris vel sanctioris vitæ propositum hauserunt. Huc refertur insignis conversio matronæ, nomine Martha Piantanida. Vidua hæc erat in primo ætatis flore, secun-*

D *das anhelans nuptias, ac propterea vanis sæculi ornatibus deditissima. Cum ad ecclesiam sancti Barnabæ venisset, verba faciente* Saulio, *concutitur, intelligens quam indecorum imo et turpe sit coram Christo, spinis coronato, tam splendido se sistere cum apparatu. Nec mora ingemiscens atque exclamans in mediam projicit ecclesiam vanos capitis sui ornatus. Domum redux, pretiosam divendit supellectilem, pretium in pauperes distribuit. Ast cum primum domo egrederetur, simplici modestoque in habitu, turbatur, erubescit, ac dæmone tentante, ter in limine subsistit, hæsitans quo se verteret; tandem sui ipsius victrix progreditur. Quæ verebatur ludibria, brevi in admirationem vertuntur. Paulo post sociavit sibi pias aliquot puellas, quibuscum, sub ductu Patrum Barnabitarum, Christianæ vitæ sectatur perfectionem. Tandem cum sufficienter probatæ essent, velum omnes de manu S. Caroli receperunt. Atque hæc origo est Asceterii Mediolanensis S. Praxedis, tanto in pretio a sancto Præsule habitum, quodque deinceps non cessavit regularis disci-* E *plinæ florere fama* (9).

Quomodo ad concionandum sese præparabat.

8 *Integro fere biennio concionibus operam dedit* Saulius, *ita tamen ut theologiæ studium minime intermitteret; religiosæ item disciplinæ sanctæque mortificationis amantissimus. Qua die pro concione dicendum ei erat, animum præparabat ardentiori precatione, atque speciali quodam humilitatis et caritatis exercitio, verbi gratia, verrebat ecclesiam, domesticos juvabat in laboribus maxime arduis, ægrotis inserviebat.*

Ticinum mittitur; ejus in hac urbe labores.

9 *Anno* 1557 *clerici S. Pauli Ticinum se contulerunt. Hucusque persliterant in proposito non diffundi Institutum suum extra urbis Mediolanensis mœnia. Ast votis Ticinensium obtemperandum rati, eo mittunt* Saulium *cum duobus sociis. Ille licet omnium ætate minus provectus, totum fere onus inchoatæ domus sustinuit, verbo et exemplo prælucens. Concionabatur, confessiones excipiebat, pueros rudiores docebat, infirmos visitabat, moribundos juvabat. Quibus caritatis officiis omnium sibi animos et existimationem brevi conciliaverat. Unde et datum* F *ei fuit, juxta Congregationis suæ spiritum, Sacramentorum frequentiam et scholarum, ad doctrinæ Christianæ institutionem, efficacissime promovere. Uberes præcipue fructus tulit ex academiæ Ticinensis alumnis, quorum non paucos a vita liberiori revocavit. Ipse quondam narravit cum studiosi numero decem ad eum accessissent, ut in scholis publicis traditas prælectiones privatim sub ejus ductu repeterent, noluisse se opus suscipere, nisi postquam facta confessione ad sacram mensam accessissent,* quo, *ut aiebat,* omnia in nomine Domini fierent.

Institutum Scholarum Doctrinæ Christianæ: illius origo

10 *Inter adolescentes, qui* Saulio *devotos se profitebantur, nominandus speciatim est Joffredus Asinari ab Asti, ex stirpe Sanmarsanorum, linguæ græcæ jam tum apprime gnarus; hic postea Barnabitis adscriptus, assumpto nomine Gregorii, fuit S. Carolo Borromæo in paucis carus. Nec minus allaborabat* Alexander *stabiliendis scholis Doctrinæ* *Chri-*

(1) Gerdil, lib. I, p. v.
(2) Memorie de PP. Barnabiti, lib. VI, cap. III, t. I, p. 308, n. 1.
(3) De Ref., cap. XII.
(4) Loc. cit.
(5) Art de vérifier les dates. In Tabula chronologica.
(6) Ubi supra.
(7) Confer Gerdil ibid. Barelli, lib. VI, cap. III, p. 308 et seqq.
(8) De servorum Dei Beatificatione, etc., lib. III, cap. XXVI, num. 3.
(9) Gerdil, ibid. Barelli loco cit. p. 310.

A *Christianæ. Ad pium hoc opus adjutores habuit plures de clero sæculari viros. Hinc brevi tempore scholæ hujusmodi primum in civitate, dein in tota Ticinensi diœcesi, haud spernendo numero exurgebant. Aliis præerant Patres Barnabitæ; aliis, sed sub horum regimine, clerici sæculares. Institutus quoque fuit conventus generalis, ut, statuto tempore, singularum scholarum præsides inter se consultarent sive de novis adhibendis adjumentis, sive de tollendis abusibus. Episcopus Ticinensis, postea Cardinalis, Hippolytus Rossi (Rubeum e S. Secundi comitibus eum vocat Ughellus)* (1) *operi quam impensissime favens, præfatis patribus concessit ædes, ecclesiæ SS. Sixti et Modesti adjacentes, hac lege ut ibidem conventus generalis ageretur:* Quæ quidem institutio, *ait Gerdilius,* hodiedum adhuc feliciter perseverat, Visitatorem generalem perpetuo habens de numero Barnabitarum (2).

Disciplinæ regularis observantissimus erat Saulius.

11 *Nec interea suos negligebat Vir Dei, inter quos varia gessit munera. Ecclesiam perfecit atque ornavit, bibliothecam plurimum auxit. In censum* B *vitalitium sexaginta aureorum, sponte a patre suo oblatum, obtenta superiorum facultate consensit hac lege, ut integre expenderetur in studiorum emolumentum. Cunctis exemplar erat regularis obedientiæ. Adhuc conservatur Mediolani ad S. Barnabæ epistola, quo veniam petit a Præposito Congregationis Generali, quod ad alterum scripserit, non obtenta prius superioris Ticinensis licentia, additque id numquam antea a se commissum nec umquam in posterum committendum. Dum præerat, illud Christi continue ob oculos habebat:* Qui major est in vobis, fiat sicut minor, et qui præcessor est sicut ministrator. *Cum quadam die nunciaretur ante januas domus currum, frumento, quod illi a patre mittebatur, onustum substitisse, prohibuit advocare bajulos: ut quid, inquiens, non ipsi nos cælestia beneficia in domum propriis humeris portaremus. Nec mora: oneri primus se submittit; quo viso, cæteri haud repugnanter operam quisque suam contulerunt.*

Luc. 22, 26.

Docet Philosophiam et Theologiam.

12 *Visum deinde est moderatoribus ad collegium Ticinense mittere Congregationis suæ alumnos, quotquot studiis incumbendum habebant; unde et* C Alexandro *docendi munus impositum est. Primum philosophicas, tunc etiam theologicas tradidit disciplinas. Multa hoc loco subjicit Gerdilius de ratione quam Beatus noster in docendo secutus est, quæ prætermittenda ducimus. Videsis lib.* 1 *cap.* VII.

Alumnorum consulit valetudini.

13 *Magna cum sollicitudine consulebat Alexander alumnorum suorum valetudini. Ita juveni, optimæ spei, ast parum firmæ sanitatis, petiit ab abstinentia dispensationem, hac nixus divi Bernardi sententia, tanto magis indulgendum, quanto aptius quis prodat instrumentum divinæ gloriæ. Imo ipse, cum solus et philosophiam et theologiam tradendas haberet, superioribus suis significavit fieri non posse ut muneri satisfaceret ac reliquis simul interesset communibus exercitiis, proinde vel liberandum se esse ab onere docendi, vel solvendum ab obligatione chori, matutino saltem tempore. Nec profecto aliunde id in viro tam eximio procedebat, quam ex eo quod perspectum sibi haberet quanti sint momenti studia, ad Dei gloriam et proximi emolumentum suscepta.*

D

Inanes fugit quæstiones; II Tim. 2, 23.

14 *Juxta monitum Apostoli* stultas et sine disciplina quæstiones devitabat. *Hinc in consessu quodam rogatus quid putaret de Salomone, salvusne an reprobus esset? Paucis exposuit quas sibi habere videretur rationes dubitandi de ejus salute. Quumque ex adstantibus aliquis acerbe nec satis urbane exclamasset falsum illud esse, seque aliud prorsus sentire; cessit* Saulius, *id solum pacate reponens, optare se ex totis præcordiis rem, ut ille volebat, se habere.*

favet publicis disputationibus.

15 *Multum quoque favebat publicis disputationibus, quod ardentius se ad illas juvenes pararent, atque ex eis discerent in publicum prodire confidentius. Præterea æquum esse aiebat, ut, priusquam cæterorum quis suscipiat institutionem, doctrinæ suæ edat specimina.*

Fructus quos in docendo tulit.

16 *Uberrimam quoque Dominus laboribus Servi sui contulit gratiam. Ex schola enim ejus prodierunt viri in regulari observantia ferventes, prælati sapientia et zelo insignes, magistratus omni ex parte laudatissimi; qui omnes magistro suo permansere gratissimi atque addictissimi* (3). *Ex quibus Gerdilii verbis liquido efficitur* Saulium *non solum ad suos sed etiam ad exteros prælectiones habuisse.* E

Ibidem, eodem num. 8. Doctoris insignia consecutus est anno salutis MDLXIII. (*Vita Gabutii, cap.* II.)

Doctoris insignia consequitur.

17 *Per id tempus, P. Antonius a Sapientibus de Augusta Prætoria conventualium Sancti Francisci generalis, Ticinum advenit. Uterque, hic quidem dare,* Saulius *vero ejus e manibus recipere, Doctoris insignia gestiebant. Quocirca properandum fuit, quod præfato P. Antonio haud longas fas esset trahere moras. Invaluerat consuetudo subjiciendi candidatos, prævie ad actum publicum, privato examini; ast exceptio facta est in favorem* Saulii. *In publica disputatione disserendum habuit primum de unitate Principii creantis juxta Magistrum sententiarum Petrum Lombardum; dein de Sacramentis in genere. Viri in universitate tam ætate quam doctrina venerandi in palæstram descenderunt, dum moris esset, juniores solos in hujusmodi actis cum promovendo disputare. Diem integrum solebant cæteri præparationi dare,* Saulius *medium tantum adhibuit. Nihilominus omnium plenissime satisfecit expectationi; nec solum ad doctoratus honores admissus unanimi suffragio est, ast insuper aggregatus simul fuit facultati theologicæ. Gesta hæc sunt* 28 *Maii anno* 1563; *deinde anno* 1566 *factus est ejusdem facultatis decanus.* F

Concionatorem ad saniorem reducit doctrinam.

18 *Anno* 1564, *cum sacerdos quidam publice professus esset doctrinam in materia Sacramentorum, quæ fidelibus offensioni esse poterat, de consilio prudentum, convenit* Alexander *concionatorem; ast frustra. Episcopo itaque exhibuit propositiones quatuor, doctrinæ concionatoris oppositas, paratum se dicens, coram præsule et facultate theologica cum contradictore congredi. Ast hic, non sibi fidens, cessit, petiitque ut* Saulius *episcopum placaret, quod libentissimo quidem servus Dei præstitit animo.*

Examinator synodalis et simul Theologalis nominatur.

19 *His aliisque similibus tantum apud Ticinensem præsulem auctus est gratia, ut hic eum et synodalem examinatorem et simul etiam Theologalem esse voluerit. Quin anno* 1565, *eum in conferen-*

(1) Italia sacra, t. 1, p. 1107. Edit. Venetus, 1717. Ubi de Papiensibus seu Ticinensibus episcopis.

(2) Vita B. Saulii, lib. cap. VI.

(3) Gerdil, lib. I, cap. VII ad finem.

tiis,

A *tiis, ut aiunt, clericorum explicandis conscientiæ casibus præfecit. Monuit hac de re Saulius, Præpositum suum Generalem, addens statutum sibi esse procedere juxta methodum Savonarolæ, quod hæc ei et lucida et præcisa videretur, atque nixa sancti Thomæ doctrina.*

Interest Synodo diœcesanæ Mediolanensi.

20 *Cum Ticini ageret* Saulius, *sanctus Carolus Borromeus ad sedem archiepiscopalem Mediolani erectus fuerat, qui cum Romæ aliquamdiu subsistere coactus esset, Vicarium suum designavit Nicolaum Ormanettum, prælatum haud vulgaris doctrinæ et meriti. Hic continuo synodum indixit diœcesanam, cui interesse voluit B.* Saulium.

Post celebratum a S. Carolo concilium provinciale, Ticinum redit Saulius.

21 *Mox Mediolanum venit S. Carolus, primumque celebravit Idibus seu* 15 *Octobris* 1565 *concilium provinciale, cui, qua theologus adfuit quoque* B. Alexander, *ejusque aliquot redegit capitula. Tanti exinde Servum Dei S. Carolus fecit, ut optaret eum Mediolani jam tum retinere ; at cedere oportuit precibus patris illius, Marchionis Dominici Saulii, qui, missis, quas gerebat, dignitatibus, Ticinum se receperat, ut ibidem deinceps, sub ductu filii sui, Deo* B *unice vacaret. P. Bezozzi, pro tempore Barnabitarum Generalis, cui Marchio scripserat, respondit se in ejus ad urbem Ticinensem reditum consentire usque ad proximum Congregationis capitulum, ast nescire quid postea fieret. Duos itaque* Saulius *Ticini adhuc transegit annos, iisdem distentus laboribus, iisdem fungens muneribus.*

Ibidem num. 12 Annum ætatis agens XXXIII, lectus est a Patribus Præpositus Congregationis.

Eligitur in Præpositum Generalem.

22 *Mense scilicet Aprili* 1567, *PP. Barnabitæ in unum convenerunt ad eligendum Generalem Præpositum. Capitulo, qua deputatus collegii Ticinensis, interfuit* B. Alexander ; *ac primum electus in præsidem conventus illius, mox Præpositus renuntiatus est,* anno ætatis, *ut habet Gerdilius,* XXXII, *expleto nempe, inchoatoque* XXXIII. *Atque ita, sicut jam supra, concordant Gerdilius et Gabutius* (1).

Modus regiminis.

23 *Modus regiminis a* B. Saulio *adhibitus, generatim describitur apud Gabutium, cap.* II, *tum etiam in* Annotatis *ex Branda. Pauca tantum addenda hic sunt ex Gerdilio. Constitutiones novitiis* C *proprias composuit, et introduxit, quam olim, superiorum jussu, digesserat, studiorum rationem. Zelo domus Dei flagrans ardenti, sollicite curabat ea omnia, quæ ad sacras cæremonias spectant. Ditavit ornavitque ecclesiam S. Barnabæ, altare majus, quod nunc cernitur, erexit, ab ipso S. Carolo consecratam ; in quo etiam collocatum fuit reliquiarium pretiosissimum, quod ab avunculo suo Pio IV acceptum, sanctus Cardinalis dono dederat* B. Saulio ; *utque perpetuo tanti beneficii teneretur memoria, addita fuit sequens subscriptio.*

Sacrum
Pii IV P. Max.
Ac D. Caroli
Donum.

Cur Gabutius de unione Humiliatorum cum Barnabitis alte sileat?

24 *Post hæc agit Gerdilius de proposita per S. Carolum Humiliatorum cum Barnabitis unione ; de qua Gabutius alte silet, forte quia repugnabat pio* D *scriptori illorum proba commemorare. Cum tamen serio res hæc, ubi Saulius præerat, tractata fuerit, paucis est hic attingenda, Ducem sequemur Gerdilium* (2).

Humiliatorum a primævo spiritu defectio.

25 *Humiliatorum Ordo, probatus ab Innocentio III, anno* 1200 (3), *sæculo* XVI *a primæva disciplina turpiter defecerat. Præposituras habebat omnino nonaginta quatuor, redditusque annuos ad triginta millia aureorum, dum professi numerarentur ad summum centum sexaginta. Splendide dissoluteque vivebant præpositi ; subditi, excusso regularis disciplinæ freno, crapulæ libidinique indulgebant. Hæc ex Gerdilio desumpta non ex omni parte conveniunt cum Hieronymo Tiraboschio nostro, qui peculiari studio res Humiliatorum prosecutus est in opere, tribus comprehenso tomis in-4°, cujus titulum videsis ad imam paginam* (4). *Tomus* I Dissertationes prodromas continet de Humiliatorum Origine, Vicibus, Exitu. *In specie Dissertatio* VIII *inscribitur* de Humiliatorum Extinctione, *ubi num.* 3 *sequentia occurrunt hic subjicienda :* Pessimo itaque loco E medio circiter XVI sæculo Humiliatorum res erant. Ex eorumdem domorum censu anno MDLXX instituto, quem præ manibus habemus, XCVII illæ erant. Ex his XXXIX Commendatæ erant, eorumque redditus XXXII fere aureorum millibus continebantur : in his LX Fratres a Commendatariis alebantur, plurimæ autem incolis carebant. Domus LXVIII reliquæ Præpositos ex Humiliatis habebant. Omnium simul redditus XXVI circiter aureorum millia. Ex his etiam pleræque incolis vacuæ : fratres omnino CII. Itaque CLXII Fratribus, Tironibus ipsis Laicisque, ut aiunt, supputatis, totus Ordo constabat. Redditus universi LX fere aureorum millia. *Ex his videre est Gerdilium in recensendis domibus et redditibus Humiliatorum lapsum. Nec enim est, quo Tiraboschii asserta in dubium vocentur, quum instrumento nitantur authentico, quod præ manibus illi erat.*

Reformatio domus Cremonensis.

26 *Interim Ludovicus Bascapeus (quem Tiraboschius Aloysium a Basilica Petri latine vocat), Mediolani ex antiqua, eaque prænobili stirpe oriundus, quamvis ætatis parum provectæ, nec proinde ita pri-* F *dem Ordini adscriptus, cogitavit de resuscitando primævo spiritu in domo Cremonensi ad S. Jacobum, in qua degebat. Pluries hac de causa Mediolanum veniens, familiariter uti cœpit PP. Barnabitis, institique apud venerabilem P. Morigiam, qui inter novæ Congregationis fundatores numerabatur, ut duos ex suis concederet, quos suscepti oneris adjutores haberet. Annuit venerabilis P. Ludovicus Morigia. Paulatim cœperunt quidam ex Humiliatis Cremonensibus Bascapeo favere ; plures in alias migrarunt præposituras ; rursus alii, sanioris mentis, Cremonam venerunt, pauciores tamen, quam qui exierant numero. Ita regularis disciplina, ex parte saltem, restituta ibidem est, unde domus Observantiæ nuncupata fuit.*

Mens S. Caroli eos uniendi cum Barnabitis.

27 *Hic erat rerum status, cum D. Carolus, Humiliatorum Protector, acrius eorum reformationem urgere cœpit. Inducto Cremonæ capitulo, Bascapeum*

(1) Gerdil, lib. I, cap. IX ab initio.
(2) Lib. I., cap. X.
(3) Barelli, Memorie de' Barnabiti, lib. VI, cap. IV, p. 322.
(4) Vetera Humiliatorum Monumenta Annotationibus ac Dissertationibus prodromis [illegible] quibus multa [illegible] Litteraria [illegible] auctore Hieronymo Tiraboschio Soc. Jesu. Mediolani, 1766

in

A *in generalem eligendum curavit, pluraque edidit decreta sapientiæ plena, ast obstinate a præpositis localibus repulsa. Incidit exinde Sancto præsuli cogitatio uniendi Humiliatos cum Barnabitis. Nec repugnabat Pius V, quin et manifeste consilio favit. Ast* Saulius *aliique graviores e Congregatione viri verebantur ne ex unione immedicabile illi nasceretur detrimentum; atque, explicatis rationibus, S. Carolum consentientem habuere; qui proinde* XXV *Januarii* 1570, *suo in Urbe procuratori rescripsit, rem non ulterius urgendam, ob incommoda ex unione nascitura, tum quia Barnabitæ Humiliatos, numero longe superiores, in officio continere non valerent, tum quod exinde spiritus et procuratio recens natæ Congregationis haud leviter turbarentur. Tandem mense Februario anni* 1570, *Humiliatorum Ordo a Pio V extinctus est, ut habetur ex hujus Pontificis Constitutione:* Quemadmodum sollicitus pater (1). *Ludovico Bascapeo, generali, ut diximus, præposito, facultas facta est transeundi ad Barnabitas, servato Ordinis habitu. Multa cum laude virtutis inter eos hic vixit usque ad obitum suum anno* 1591. *Liceat adjicere verba Caroli a Basilica Petri (Bascapeus), quibus piissimi viri elogium absolvit* (2): Is *(Ludovicus Bascapeus)* deinde post ea perpessa, quæ Anstistitem præcipue, tum bonos Monachos omnes tali rerum conditione pati oportebat, extincto demum Ordine, vestitu suo, in eorumdem Clericorum collegium S. Barnabæ Mediolani receptus, singulari modestiæ patientiæque documento vitæ suæ cursum confecit. Nam neque quod amplis fructibus ablatis, quadraginta aurei annui, quemadmodum ceteris reliqui essent *(deinde tamen ad S. Caroli preces insigni Romana S. Agathæ Præfectura ornatum illum fuisse testatur Oltrocchius)* (3) neque ob deletum Ordinem aliud umquam dixit, quam omnia recte justeque evenisse. Ita quæ invito ac repugnanti castigatio afflictioque exitio facile fuisset, pie ac sapienter accipienti saluti fuit, quemadmodum aliis quoque fuisse putamus (4).

Ordinis extinctio.

B

28 *Interea Cremonenses (quibus PP. Barnabitæ innotuerant, alii quidem in Præpositura Sancti Jacobi, alii quod confessarii essent Angelicarum S. Marthæ), ardebant eos intra urbis suæ mœnia fixos habere. Sanctum Carolum convenerunt, qui utpote novæ Congregationis magnificus ac perpetuus benefactor, eorum votis annuit, et præfatam ad S. Jacobum præposituram clericis Sancti Pauli concessit. Simili modo et altera item Humiliatorum præpositura addicta eis fuit Modoetiæ* (Monza) *nobilis Longobardiæ oppidi, ubi solebat olim Italiæ regibus imponi* Coronea ferrea, *qua hodie imperatores Austriæ solemniter Mediolani redimuntur. Actum quoque eadem tempestate fuit de fundationibus Vercellensi, Casalensi atque Romana; quæ ad exitum ductæ primum fuere, cum jam Aleriensem teneret* B. Alexander *sedem.*

Incrementa Congregationis Clericorum S. Pauli.

C

29 *Stirps Sauliana, in varios ramos distincta, communi nomine tenebat patronatum insignis ecclesiæ collegiatæ, a* Sauliis *vel etiam a Cariniaco dictæ, in urbe sitæ Januensi. Optabat* Alexander *hanc suæ Congregationi conferri, pluriesque hac mente Januam petiit. Ast cum Assistentibus non satis æquæ viderentur conditiones, quibus gens Sauliana collationem innectebat; licet aliud ipse sentire videretur, ne suis contradiceret, rem urgere destitit. Rursus vero de illa actum est, quo tempore* Saulius *promovendus ad episcopatum erat; at tum præcipue obstitit ejus parens Dominicus, ut efficitur ex epistola* B. Alexandri, *Januæ scripta, cum hac in Corsicam navigaturus transiret. Atque sexto post anno iterum Præpositum Generalem monuit, ut novos adhiberet conatus, qui similiter irriti ciciderunt.*

Optat Saulius Congregationi suæ conferri ecclesiam Januæ Saulius nuncupatam; at frustra.

D

30 *Canonicus,* cujus, *inquit Gerdilius* (5), ex caritate tacebo nomen *(vocabatur Amicus Gritti)* (6) *in commendam olim tenuerat præposituram S. Barnabæ quam viginti duobus ante annis, Regularibus S. Pauli, cum eis præesset venerabilis P. Morigia, cesserat, reservato sibi, dum viveret, beneficii titulo et fructibus. Cessionem confirmavit Paulus III Bulla* XXI *Augusti* 1545. *Cum fratrem haberet præfatus canonicus, in sacris constitutum, statuit in hujus favorem revocare donationem, atque subreptitie Bullam impetravit pontificiam. Hinc orta lite, fortiter* Saulius *Congregationis suæ jura defendit, fraudemque revelavit. Ast quantum intuenda justitia acer, tantum fuit erga adversarium caritate plenus. Cum enim isti ob subreptionem immineret proxima ruina, nihil non egit ut indulgentiam obtineret. Sanctus Carolus Borromæus* B. Alexandro Saulio *hac in causa adjutor fuit devotissimus, ut habetur ex epistolis ad Nicolaum Ormanettum, suum in Urbe procuratorem datis.*

Lis de ecclesia S. Barnabæ.

E

31 *Regimen Ordinis non impediebat* B. Saulium *quo minus sacro vacaret ministerio, toto illo triennio quo præpositus illi fuit. Conciones stupendam adducebant pœnitentium multitudinem, pauperum non secus ac divitum. Plures, temporis decursu in republica conspicuos, viros ad pietatem informavit, inter quos Alphonsus Vicecomes (Visconti) et Augustinus Cusani, uterque postea Cardinalis; item Nicolaus Sfondrati, ad summum pontificatum evectus, assumpto nomine Gregorii XIV; Prælatus quoque Cæsar Speziani, cujus Placita de re politica Muratorius edidit ad calcem Philosophiæ Moralis; tandem Jeannes Franciscus Bonhomius Vercellenses inter episcopos clarissimus, qui gloriabatur* Saulii *quondam fuisse filius spiritualis; vir de re catholica universa optime meritus, a quo originem habuit Nuntiatura Apostolica ad Rhenanas provincias, vel ut loquitur Cardinalis Pacca, in Tractu Rhenano (Tratto del Reno) quod quidem luculenter efficitur ex Pii VI ad Bellisomum verbis. Scilicet postquam meminisset Pontifex apostasiæ depositionisque Gebhardi Truchsesii, Archiepiscopi Coloniensis, ita prosequitur:* Hæc causa fuit cur non, ut antea, extraordinarius nuntius solum pro re nata ac temporum necessitate ad eas regiones legaretur... sed ab eo tempore decerneretur, ut in iis regionibus ordinarius nuntius, constituto sibi ibidem domicilio, resideret, qui sua præsentia aut mala præcaveret aut certe nulla interposita mora repararet. Primus qui in hunc modum ablegare-

Fructus a Saulio in sacro ministerio relati.

F

(1) Barelli ubi supra. Magnum Bullarium Romanum, t. II p. 319 et 350, edit. Luxembourg.
(2) Vita S. Caroli Borromæi, lib. II, cap. IV.
(3) Not. in lib. II, cap. XXVII. Vit. S. Caroli, col. 207, not. c.
(4) Tiraboschius, diss., VIII, num. XVI.
(5) Lib. I, cap. X.
(6) Barelli, Opere citato, Memorie de' PP. Barnabiti pag. 319.

tur, fuit Joannes Franciscus Bonhomo episcopus Vercellensis (1).

Varia dirigit Sacrarum Virginum asceteria.

32 *Plura quoque direxit sacrarum virginum monasteria. Regularum restituit disciplinam ad S. Mariæ Ægyptiacæ. Confessiones quoque excepit Angelicarum sancti Pauli, quarum institutum, ecclesiæ Mediolanensi ornamento fuit clarissimo. Cœptum fuerat a Ludovica Torelli, e Comitibus a Guastalla, sub ductu venerabilis Patris Antonii Mariæ Zachariæ, primi clericorum sancti Pauli, vulgo Barnabitarum, fundatoris. Plurimam contulit* Saulius *S. Carolo operam ad reformandas, variis in asceteriis, moniales. Sanctus Præsul clausuram, Angelicis Virginibus usitatam, ubique introductam percupiebat. Ast hinc horrenda in eum concitata est procella, adeo ut dux Albuquerquius, Mediolanensis ditionis gubernatur, monendum virum Dei censeret, ut zelo præter modum ardenti temperaret. Consuluit itaque S. Carolus* B. Saulium. *Hic urgendam dixit præfatam clausuram, quoadusque moniales intemperantius resisterent; quod si remissius agerent, aliquid indulgendum; clausuram præscribendam quidem, ut non cum tanto rigore. Atque tandem res composita est.*

Sanctum Carolum convenit Mantuæ.

34 *Anno* 1568 *S. Carolus Mantuam evocatus fuerat ad tractandum negotium summi momenti. Cum ibidem moraretur statuit dies aliquot sacræ dare solitudini, quod, ut uberiori cum fructu susciperet, rogavit ut aliquis ex cœtu Barnabitarum sibi submitteretur. Ipse accessit* Alexander. *Exinde ardentius perfectam anhelavit Vitam sanctus Archiepiscopus, vitæ interiori sanctæque abnegationi addictus. Quo plus pauperibus elargiri valeret, parcius etiam atque modestius quam antea domesticam ordinavit familiam. Singulo quoque semestri proposuit sibi certum sacris exercitiis impendere tempus.*

Adest Synodo et Concilio provinciali.

35 *Anno* 1568 *interfuit* Saulius *synodo diœcesanæ, sicut et concilio provinciali, quod ordine, sub S. Carolo, secundum fuit. Mense Octobri ejusdem anni* 1568 *atrox in sanctum Archipræsulem patratum est facinus. Cum in sacello palatii sui preces recitaret vespertinas, Humiliatus quidam, clanculo, et mutata veste, ingressus, fistulam in eum explodit ferream. Haud sine miraculo mortem evasit sanctus Præsul. Sequenti die, omnes civitatis ordines gratulatum ei venerunt. Aberat forte tum* Saulius: *ast, accepto, nuntio, Mediolanum continuo properavit, ut et ipse de servata vita ei congratularetur; imo simul in mentem illi vocare non dubitavit, malum illud, Domino permittente, accidisse, quo impensius humilitati studeret, discerneretque, num, si lethali percussus plaga, eo fuisset in statu, ut libens coram supremo judice comparuisset. Gratus hujusmodi monita excepit præsul, et ad tempus Carinіaci ad Carthusianos se recepit.*

Plura ad Vitam S. Caroli spectantia ex Saulio nota.

36 *Exin confidentius cum* Saulio *egit S. Carolus negotia quæque maxime momentosa ei subjiciens. Hinc factum est, ut plura, alias ignota mansura, ad vitam S. Caroli spectantia, innotuerint Carolo Bascapeo, ejus biographo, qui primum Barnabitis annumeratus, factus postea est Episcopus Novariensis.*

(1) Memorie storiche di Monsignor Bartolomeo [illegible] Cardinale, p. 30, edit. Roman. [illegible] Confer etiam Fredericum Reiffenbergii hist. [illegible] Soc. Jesu ad Rhenum Inferiorem, t. I, lib. VII, p. 214 et seqq. Edit. Coloniæ Agripp. 1764; item Ughellum Italia sac., t. IV, col. 814, qui natum [illegible] anno 1536, mortuum an. 1587; [illegible] Cardinale Pacca, qui loc. [illegible] cit. asserit Nuntium in Germaniam venisse, cum jam esset

NOTA 89 ad pag. 814, littera C.

B. Saulius fit Aleriensis episcopus: primi ejus labores.

Ad *Gabutii cap.* III, *num.* 18. Si lectus episcopus ad Aleriensem ecclesiam mitteretur.

Mens Pii V de promovendo B. Saulio ad sedem Aleriensem.

37 *Qui in hanc mentem venerit S. Pius V, ut* B. Alexandrum Saulium *Aleriensi præficeret sedi, ita exponit Gerdilius* (2). *Statuerat sanctissimus ille Pontifex ex cunctis ordinibus viros seligere apprime probatos, quos per orbem universum dispergeret, ut lucem evangelicam longe lateque, ad longinquas etiam nationes, sedentes in umbra mortis, diffunderent. Mandavit itaque clericis S. Pauli ut sibi significarent, quos tali operi idoneos haberent.* B. Alexander, *utpote Congregationi præpositus, respondet Pontificis postulatis, qui lecto ejus nomine, recordatur subito viri, quem olim optime noverat, dum scilicet frequenter illius interesse solebat conferentiis ad S. Barnabæ. Eodem momento, sancti Pontificis memoriæ obversatur ecclesiæ Aleriensis status. Nec jam dubius hæret, quin ei Dominus agrum illum excolendum destinasset. Protinus jubet Cardinalem Alexandrinum S. Carolo rescribere ut ad ordinarias procedat informationes. Allata Mediolanum mandata pontificia sunt* XXIII *Decembris* 1569; *quæ incontinenter sanctus Præsul Barnabitis significanda curavit.*

Frustra tentant PP. Barnabitæ Pontificis consilium mutare;

38 *Vix cognovit* B. Alexander *quid sibi impenderet, cum vehementer tam ipse quam graviores Congregationis patres omnes commoti fuerint. Nec mora supplices S. Carolum conveniunt, deprecantes, ut pro sua in eos benevolentia, tantum malum avertat. Hic, tanto viso mœrore, Ormanetto, procuratori suo apud sanctam Sedem scripsit, ut eorum preces Sanctissimo Domino submitteret.* (*Summam litterarum videsis in Annotatis ad caput* III *Gabutii littera* d.) *Nec interea omiserunt PP. Barnabitæ ad protectorem suum Cardinalem Joannem Antonium Serbelloni, supplices dare libellos. Ast res jam conclusa erat, ut habetur ex epistola præfati Cardinalis, quam in extenso adscribere opus est.*

ut constat ex epistola cardinalis Serbelloni.

39 Placuit SS. Domino Nostro ecclesiam Aleriensem committere D. Saulio, præposito vestro. Quin imo, utpote perspectas sibi habens viri doctrinam et sanctitatem, non judicavit expectandas consuetas informationes; quare, motu proprio, nec ulli prævie communicato suo consilio, publice eum promovit, plaudente sacro senatu universo. Itaque cum litteræ vestræ ad nos pervenerunt, res jam confecta erat. Et vero, etiamsi licuisset, ausus ego vix fuissem tali electioni vel minimum obsistere, cum omni ex parte hæc congruat et meritis præpositi vestri, et necessitatibus illius ecclesiæ. Nihilominus SS. Domino mœrorem vestrum significavi, tum ut ostenderem

[illegible] (*quasi ultra* [illegible]) Epitaphium [illegible] Bonhomi [illegible] Consulat his [illegible] habet [illegible] *Vite de'* P. Aurelius [illegible] *Vescovi di Vercelli. In Milano* 1643, [illegible] 110 et 112 [illegible] S. Nicolai episc., natum dicit Bonhomum an. 1536 [illegible] mortuum vero an. 1587.

(2) Lib. I, cap. XII.

A rem quantum res Congregationis cordi habeam, tum etiam ut SS. Domino manifestius innotesceret quantum abhorreatis vos ab honoribus, quos alii tam ardenter solent expetere. Respondit SS. Dominus, quod prævidebam : notum sibi esse D. *Alexandrum* ; ecclesiam Aleriensem indigere pastore haud minus strenuo quam vigilanti; sibi factam electionem indies magis magisque probari; nec aliud superesse nisi ut ex animo vos subjiciatis. Numquam defuturos, qui Ordini vestro laudabiliter præsint; D. *Alexandrum* jam satis diu Mediolani versatum, hanc vineam ita excultam, ut æquum sit alteram illam spectare, tanti operarii industria maximopere indigentem. Addidit etiam non esse vobis metuendam proximi aliqualem offensionem; nec utique repugnare ut qui mitra insignitus est, humilitatem exerceat et alios doceat; imo id ædificationi potius futurum si dignis honores conferantur ecclesiastici; hacque ratione futurum ut cæteri studeant virtutibus excellere. Tandem D. *Alexandrum*, cum B a Domino, voce Vicarii sui designatus fuerit, submittere se debere, atque libens subire onus, grave quidem, ast alleviandum, si suscipiatur illa cum caritate, quæ pastorem decet. Ego vero, patres dilectissimi, sincero vobis gratulor corde, quod opera vestra virtutesque, pluribus jam nota, tale referant præmium, atque adeo collatum a Pontifice tam æquo tamque sancto; cui proinde vos committatis oportet, atque boni communis potius quam privati commodi amantes, auctores sitis præposito vestro, ut crucem hanc bono amplexetur animo. Romæ 25 Februarii 1570. *Ita Serbellonius Cardinalis, titulo sancti Georgii, Ordinis Clericorum regularium sancti Pauli seu Barnabitarum Protector.*

Consecratur B. Saulius a S. Carolo Borromæo

40 *Interea temporis S. Carolus beatusque* Saulius *sese receperant Cariniacum, in monasterio Carthusianorum, ut meditationibus orationique vacarent; ubi ille nuntium accepit summo Pontifici Pio V fixum ratumque esse* D. Alexandro *sedem Aleriensem committere. Hic tum plane acquievit, aliud jam nihil spectans nisi ut, in sacra solitudine, ad* C *consecrationem suam se præpararet, quæ* XII *Martii* 1570 *facta Mediolani est in ecclesia metropolitana a S. Carolo Borromæo, assistentibus Hieronymo Ragazzono, Bergomensi episcopo, et Hippolito Rubeo (Rossi), Ticinensi. Qua peracta, sanctus Archiepiscopus* Saulio, *cujus nota ei erat pauperies, dono dedit omnem, qui consecrationi inservierat, ornatum sacrum.*

Aleriam versus proficiscitur;

41 *Continuo* B. Alexander *itineri se dedit, quo ad ecclesiam suam properaret, assumptis tribus ex Congregatione sua patribus, scilicet : Vincentio Curtio Ticinensi, Thoma Gambaudio Ferrariensi et Francisco Staulio ex Astensi diœcesi, quos et laborum suorum haberet adjutores, et regularis observantiæ, quam perpetuo servavit, socios.*

Ticini patrem invisit;

42 *Ticino transiens, invisit patrem suum, venerabilem senem. Hic protinus osculatur manus, sacra unctione venerandas, filii sui, qui vicissim patrem reveritus, in genua procumbit, assurgere recusans donec ab eo esset benedictione donatus.*

cogitur Januæ subsistere;

43 *Exinde Januam, cui Corsica subjecta erat, petiit, ubi, sæviente mari aliquamdiu subsistere coactus est. Honoris gratia Reipublicæ Ducem cæterosque magistratus ac viros primarios convenit, qui omnes haud obscure significabant quam grata sibi cecidisset ejus electio, spondentes etiam se ubicumque et quocumque modo possent ac valerent, ipsi auxilio et solatio futuros. Interim identidem pro concione dixit, speciatim duobus in asceteriis sacrarum Virginum, in quibus plures ipsi sanguine junctæ reperiebantur.* D

in Corsicam appellit.

34 *Simul atque per æstum licuit, Janua solvit in Corsicam navigaturus. Vix a terris recesserat, cum certior fit de gravi genitoris sui periculo, simulque nuntiant vehementer illum optare filio suo extremum valedicere. Postquam aliquantisper se collegisset* Alexander, *ad suos conversus :* Fiat, *inquit,* voluntas Domini. Nos cœptam prosequamur viam. *Et vero frustra regressus fuisset, cum ante nuntii reditum occubuisset æger. Tertio die appulerunt Liburnum, exinde Corsicam attigerunt, exeunte mense Aprili. Cumque jam ad præfatam insulam accederent impetiti fuere a piratis Barbaricæ Oræ, qui maria illa infestabant, cunctisque persuasum fuit se periculum ope cœlesti, ob merita Servi Dei, evasisse.* E

Ibidem, num. 21. Squalebat eo tempore diœcesis illa, tamquam sylva inculta (*Gabutii cap.* III).

Notitia Aleriensis diœceseos

45 *Teste Gerdilio* (1) *ab annis centum et amplius, nullus episcopus ibidem resederat; nec unus quidem inter clericos reperiebatur qui vel parum latine sciret. Cum post descriptum Aleriensis ecclesiæ sane miserrimum statum, Gabutius pro more suo, generalia tantum tradat, nec de ordine chronologico sit sollicitus, imo vix ulla in specie recenseat facta, opus erit hic supplere, servata temporis serie, quæ a beato Præsule gesta sunt ab exordio episcopatus sui usque ad seminarii erectionem, a qua Gabutius caput suum quartum auspicatur. Præmittemus sedis Aleriensis notitiam ex Ughelli* (2).

ex Ughelli Italia Sacra.

46 Aleria, in Corsica perantiqua civitas, elapsisque temporibus potens, colonia quondam Romanorum, quam Sylla dictator excidit, cujusque alicubi meminerunt Plinius ac Ptolomæus. Super collem superbe fastigium extulerat, quam undequaque jucundissimus terræ tractus circumdabat; F ejus modo tantummodo spectantur ruinæ. Cathedralis funditus excisa, contuentium videtur lachrymas posse excire. Narrat Antonius Petrus Philippinus Archidiaconus in historia Corsicæ lib. I, hanc civitatem cum aliis Corsicæ sacra Christiana suscepisse temporibus Paschalis I Pontificis, qui missis illuc aliquot sacerdotibus fidem Christianam extendit, ac quinque ibidem episcopatus instituit, qui partim Pisanæ, partim Januensis ecclesiæ arbitrium præstolarentur. Constat tamen, quidquid Philippinus enarret, a Gregorio VII Urbanoque II Pontificibus, hanc Aleriensem ecclesiam, cum aliis duabus Archiepiscopo Pisano fuisse subjectas, atque hoc tempore etiam Pisarum Præsulem suum in illis exercere imperium. Duorum millium scutatorum redditibus hæc ecclesia gaudet, decemque et novem continet plebanias. Atque hoc ipsum est, quod de hujusmodi ecclesia enarrari posse videtur. Etenim defuerunt illi scriptores, qui, quæ digna erant, jacerent in commentarios. Itaque

(1) Lib. II, cap. I.

(2) Italia Sacra, t. III, col. 501.

nisi

A nisi regesta summorum Pontificum, librique Provisionum Prælatorum me juvissent scribentem, pauci, qui in Aleriensi sede fulserunt, emersissent ad lucem. *Hæc Ughellus, quibus ex* Additione *secundæ subjecta editioni sequentia adscribenda sunt* (1).

47 *Aleria* urbs quondam celebris et regum Corsicæ antiqua sedes.... Christiana sacra suscepisse pluribus sæculis ante Paschalem I ex eo patet evidenter, quod a D. Gregorii Magni temporibus proprios habuerit Pastores, eosque, ut asserunt nonnulli, archiepiscopali dignitate fulgentes, licet deinde urbe diruta archiepiscopalis titulus Bastiæ Præsuli sit attributus. Nunc jacet in ruinis, ejusque antiqua cathedralis D. Marcello sacra penitus excisa venerandæ antiquitatis solum præfert vestigia. Aleriensis autem Episcopus Curiæ residet, ubi peramplum satisque commodum exsurgit episcopale Palatium, et pro cathedrali utitur Ecclesia D. Erasmo dicata, cui præter parochum, qui e Capitularium numero B non existit, inserviunt XII Canonici, seu Præbendati, totidemque Distributionarii, qui scilicet præter distributiones nullum alium redditum percipiunt. Hos inter nulla est dignitas, quique electionis tempore, is etiam loco cæteris cedit: adest tamen utraque præbenda Theologalis nempe et Pœnitentialis. Tota Aleriensis diœcesis sexaginta circiter Parochiis coalescit, quarum quælibet suam habet laicalem confraternitatem. In hæc 14 Religiosorum monasteria visuntur, et Clericorum Seminarium. Fructus hujus Episcopatus taxantur in libris Cameræ ad flor. 300, ascendunt autem ad 4000 scuta monetæ Romanæ. *Ex sequentibus videbitur pleraque in* Additione *enumerata, a* B. Saulio *vel erecta, vel constituta fuisse, non quidem Curiæ (Corte) ut habet Italia Sacra, sed in oppido* Cervione *nuncupato. His præmissis, jam ad res ejus gestas ex ordine recensendas procedamus.*

Ingressus diœcesim.

48 *Is itaque (ut in Gabutio) erat diœcesis Aleriensis status, cum eo* B. Alexander *ad finem Aprilis* 1570 *advenit. Obviam ei, ob rei novitatem,* C *accurrerunt catervatim viri et mulieres, puerique, præcedentibus aliquot clericis. Protinus Bastiam se contulit, quo salutaret totius insulæ præfectum, consobrinum suum, cum quo plura de administranda diœcesi locutus est. Habetur ex quadam ejus epistola, 7 Maii data, serio jam tum eum cogitasse de visitanda ecclesia, ast abstinuisse donec recondita messis foret;* crudele, *ratus,* pauperes suos ab agrorum labore avocare, cum aliunde non haberent unde subsisterent.

Curiam reliquit, ipse ad locum Tallone dictum proficiscitur.

49 *Relicta tamen Bastia, Curiam (quæ pagus est diœceseos Aleriensis, ubi deinde, ut infra reddemus, biennio resedit) petiit, ibique festa Pentecostes celebravit; inchoans, ad exemplum Apostolorum, ministerium suum a fractione panis et verbo. Post hæc, quo facilius consuleret gregi, se contulit in locum dictum* Tallone, *duodecim milliaribus Aleria distantem, situ quidem amœnum, ast parum salubrem, piraticisque infestum incursionibus. Antiquam ibidem pretio coemit turrim, quam ligneis interpositis repagulis, in duodecim divisit cellulas,* D *adeo angustas, ut vix lectum mensamque unaquæque caperet. Duas sibi reservavit, reliquas septem comitibus suis addixit.*

Primi ejus labores.

50 *Reparata ornataque loci illius ecclesia, brevi populum confluentem vidit, illectum scilicet sacrarum cæremoniarum splendore. Quotidie pro concione dicebat. Diebus festis pagos circumjacentes adibat, nec raro ad duodecim vel etiam quindecim, solo matutino tempore, percurrebat milliaria, interdum equo utens, frequentius pedibus incedens. Pagum ingressus, incolas, qui numero pauci erant, in ecclesiam convocabat, sacris operabatur, verba faciebat, Sacramenta administrabat. A meridie doctrinam explicabat Christianam, et si quod superesset tempus, dissidia, his in terris frequentissima, componebat.*

et in eis obeundis alacritas,

51 *Tota in diœcesi nec urbs nec oppidum aliquod insignius videre erat. Asperæ viæ; diversoria, alimenta nulla. Atque hinc conjicere licet, quos in visitandis ecclesiis exantlandos inveniret labores. Hilari nihilominus semper vultu erat, suisque identidem repetebat comitibus:* Macti animo sitis, filii; bibamus et hunc calicem, quoniam ipse Dominus nobis E illum paravit. *Cæterum hæc ei perpetua fuit tessera:* Deo serviendum est ubi et prout ipsi placuerit.

Synodus prima diœcesana.

52 *Ultima mensis Augusti die ejusdem anni* 1570, *primam celebravit synodum diœcesanam, ad quam convenerant sacerdotes omnino centum et quinquaginta, quos omnes et mensa et hospitio excepit, proprium etiam suum alteri cedens stratum. Cum ab immemoriali nihil jam tale hisce in regionibus esset visum, spectaculi novitas innumeram convocarat populi multitudinem. Synodum auspicatus est B. Alexander a generali supplicatione totius cleri. Missam deinde celebravit de Spiritu Sancto. Tum causas exposuit convocationis. Triplex nempe scopus erat: exstirpare abusus, stabilire disciplinam, reformare mores. Plura etiam locutus est de sacerdotii dignitate, unde et intulit quam gravem coram Domino contraherent culpam, qui vel negligerent populum sibi commissum, vel offensioni illi essent præpostera vivendi ratione. Multa quoque constituit, dirigendo instruendoque clero aptissima. Cætum tandem dimisit, cunctos monitis firmans salutaribus, stipem ero-* F *gans pauperioribus, quo facilius ad sua regrederentur, alios apud se retinens, ut efficacius ad meliora revocaret vel efformaret.*

ejus fructus.

53 *Nec unus fuit fructus cœptæ visitationis et celebratæ synodi; præcipuus tamen habendus est, introducta consuetudo tradendæ doctrinæ Christianæ. Hunc in finem assumpsit Catechismum S. Caroli, quem novis subjecit typis, adauctum monitis gregi suo speciatim accommodis. Hujus exemplaria ingenti distribuit numero; item in vulgus sparsit coronas, imagines sacras, numismata. Quo vero reliquis occurreret malis, indicem sibi fecit præcipuorum abusuum; notos habebat clericos turpiter viventes; pueros quoque, qui ad studia et pietatem aptiores invenirentur, designari sibi mandavit.*

Singulis annis partem visitat diœceseos.

54 *Tandem persuasum habens morum reformationem fere ex pastoris vigilantia pendere, statuit singulis annis partem diœceseos visitare; nec ullo umquam tempore tam sancto defuit proposito. Quo ipse properare non poterat, eo viros de clero mittebat fideles atque ferventes. Qua in re plurimam operam ci præstiterunt Patres Augustiani et Capucini.*

(1) Italia Sacra, tom. III, loc. cit. edit. Venet. 1717-22.

A

NOTA 90 ad pag. 816, littera B.

Supplentur gesta a B. Saulio in episcopatu Aleriensi; ad sedem Ticinensem transfertur.

Ad Gabutii cap. IV, *num* 26 (*pag.* 816). Donec sacra ministeria apti redderentur.

Monitum. *Hoc rursus capite plura etiam, quam locis jam prætertis, addenda. Vix quidquam in specie tradit Gabutius de iis, quæ plurima, laude sane dignissima, gessit* Saulius, *viginti illis annis quibus Aleriensem gubernavit diœcesim. Nostri proinde muneris est, ejus defectum ita supplere, ut nihil omittatur, quod ad præclaram tanti Præsulis Vitam aliquomodo illustrandam faciat.*

Bastiæ sedem suam ad tempus figit Saulius.

55 *Præter aëris intemperiem summamque incolarum vici*, Tallone *nuncupati, paupertatem, obstabat, quominus suum ibidem* Alexander *erigeret seminarium, quod in circuitu essent malevolorum turmæ, per regionem illam discurrentes; quos ob distantiam 50 fere milliarium a judicum civilium sede, nec coram tribunali sistere, nec vi coercere licebat. Nec præterea alium in diœcesi sua videbat locum condendo seminario satis idoneum. Cum tamen apprime novisset quantæ hujusmodi institutio, statim ab administrationis suæ exordio, esset necessitatis, decrevit extra diœceseos suæ limites, ad tempus saltem, perfugium quærere; intelligens residendi legem in gregis ædificationem, non in ruinam, præsulibus impositam; unde si quando salus populi aliud requireret, de mente Ecclesiæ esse, ut ubi littera occidit, spiritus vivificet. Quapropter Bastiam, totius insulæ metropolim, se contulit, ibique sedem suam ad tempus fixit, obtenta Pii V, adhuc superstitis, dispensatione, annuente Serenissima Januensi reipublica, in cujus ditione tunc Corsica erat, consentiente Joanne Baptista Centurione, nuperrime ad sedem Marianensem* (1), *ad quam in spiritualibus spectabat Bastia, promoto.*

B

C

Seminarii constitutio, administratio.

56 *Protinus cogitavit de erigendo Seminario, cujus omnia ipse solvit expensa. Obtinuit quoque facultatem applicandi bonam partem fructuum beneficii ad illius operis sustentationem. Alumni ab initio fuerunt numero duodecim, postea ad viginti quinque excreverunt, quibus docendis efformandisque ex Italia magistros accersivit. Sancta inter illos vigebat disciplina. Summo mane adibant episcopi sacellum, ubi, recitato officio Beatæ Virginis, semihoram meditationi dabant. Diebus festis conveniebant, ut matitunum dicerent cum sancto Præsule suo, qui dein, statuta hora, solemniter celebrabat, clericis ad altare assistentibus. A meridie præses doctrinam Christianam explanabat, cui B.* Alexander *amplitorem solebat addere explicationem. Frequenter intererat alumnorum exercitationibus, quos id præcipue monitos volebat, ex bonis clericis bonos fieri sacerdotes. Quantum valeret consilio et sapientia elucet ex statutis quæ Seminario præscripsit, ante omnia pro oculis habens, ut sinceram juvenibus in præceptores inculcaret reverentiam. Cæterum schola Seminarii omnibus patebat, ad quam undequaque concurrebant, etiam sacerdotes, ætate jam provecti; his victum et vestitum præbebat* Saulius, *cum eos in suo Seminario non posset hospitio excipere. Atque exinde factum est ut brevi schola in varias classes dispertienda fuerit: grammaticam nempe, philosophiam, casus conscientiæ, Theologiam scholasticam. Hac ratione Doctrina studiorumque beneficium in omnes diœceseos partes manavit, ita ut postea licuerit erigere seminaria variis in locis in quibus successive beatus Præsul resedit* (2).

D

Visitat diœcesim.

57 *Atque hæc quidem suscepta anno episcopatus sui primo, Christi* 1570, *non sine ingenti defatigatione et valetudinis periculo. Nihilominus ineunte anno sequenti* 1571, *cæpit de novo lustrare diœcesim, licet religiosi tres, quos secum adduxerat, tanto labori impares, abscessissent, ut adeo administrationis onus ei totum incumberet. Ast hoc beato Viro gravissimum accidebat, quod percurrendo diœcesim, oculis usurparet miserum sui gregis statum: rerum sacrarum videbat profanationem, clericorum dissolutam vitam, laicorum probra, messem multam, operarios paucos vel nullos. Urgentioribus remedium afferebat malis; præsertim revocando presbyteros simoniacos, vel manifeste incapaces, quibus alios substituebat. Ast non absque discrimine hæc executioni mandabantur.*

E

Tumultus ex destitutione parochi.

58 *Interdixerat* Saulius *parochum publice notatum incontinentiæ. Insurgunt incolæ, sacerdotemque ab episcopo missum ad sacra exercenda ministeria expellunt, sumptis quoque armis in campum descendunt. His in adjunctis cedendum tempori duxit, memor verborum sancti Augustini* (3): Non ergo aspere, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur: magis docendo, quam jubendo; magis monendo quam minando. Sic enim agendum est cum multitudine; severitas autem exercenda est in peccata paucorum. *Ad preces itaque confugit, nec frustra: ita enim et furentes placavit, et ipsum reum pœnitentem supplicemque ad se adduxit.*

Duplex aliud facinus horrendum.

59 *Alias contulerat beneficium alteri ex duobus illud petentibus. Qui spe frustratus fuerat in tantum exarsit furorem, ut competitoris sui fratrem necarit atque ipse dein inter latrones se receperit. Rursus duæ familiæ inveterato sese prosequentes odio, beati* Præsulis *interventu, conciliatæ tandem fuerant, pacemque, præstito coram judice juramento, firmarant. Nihilo secius, pars altera in alteram, nihil tale suspicantem, ruit fœdoque vindictam sumpsit homicidio.*

F

Præclarissima inter hæc viri Dei sensa.

60 *Propter hæc multi suadebant B.* Alexandro, *ut vineam adeo ingratam dimitteret. Quinimo ejus consanguineus Marcus Antonius Sauli sicut et Hieronymus Leonis* (4) *Sagonensis in Corsica episcopus operam spondebant suam obtinendæ translationi ad aliam sedem. Eadem quoque mens erat Præposito Barnabitarum Generali. Ast ex Saulii ad hunc postremum responso,* XIX *Decembris anno* 1571, *discimus quæ ejus animo insiderent sensa:* Sane, *inquit,* multa sunt in hac diœcesi toleranda sive ab incolis sive ab exteris. Malum tanto acerbius est, quod nullum satis præsens videam remedium.

(1) Ughelli Italia Sacra, tom IV, col 1033.
(2) Gerdil, lib II, cap. II

(3) Ep. XXII, al. LXIV, ad Aurel. Ep. Carthag.
(4) Confer Ughellum, Italia Sacr., tom. III, col. 520.

A dium. Attamen quieto sum animo, contentus sorte mea, paratusque portare quamvis aliam, mihi a Domino immissam, crucem. Si vel uno verbo liberandus essem tanto onere, nollem illud proferre. Omnia expecto *non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, sed ex Deo*, cujus ex beneplacito huc veni. Illud timeo solum, ne ex tepore noceam et mihi et misero illi populo. Cæterum quid refert vitam paulo amplius vel paulo minus protraxisse : *sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur* (1).

Joan. I, 13.

Ad Rom. 14, 3.

Secundam celebrat synodum.

61 *Finita visitatione, indixerat in mensem Octobrem (ut ex duabus ejus epistolis probatur) hujus anni* 1571, *secundam synodum, quam quidam censuerunt rejectam in Quadragesimam proxime sequentem. Frequentissimi ad eam convenerunt; cognovitque Vir Dei summo cum gaudio, vix non omnes concubinarios meliora sectatos. Ast zelo simul et prudentia opus fuit in sanandis irregularitatibus ex pristina vita contractis. Tum quoque statuta sua synodalia publicavit; opus præclarissimum, ait Gerdilius* (2), *in tres distributum partes. Prima agit de Sacerdotum obligationibus; altera de Sacramentorum administratione; tertia de ecclesiis harumque statu temporali.* B

Christianos, ex servitute reduces, paterno complectitur sinu.

62 *Hac tempestate contigit celebris apud Echinadas insulas pugna navalis Turcas inter et Christianos, horumque insignis victoria, qua ultra viginti millia fidelium servitute liberati sunt. Hos inter haud pauci numero ex Corsica erant oriundi, qui in patriam redibant seminudi, exhausti laboribus, morbis et miseria. Quos omnes excipiens, paterno sinu complexus* Alexander *est, valetudine afflictos singulari fovens sollicitudine, cæteris victum vestitumque ministrans. Omnes deinde instructos et consolatos, larga insuper addita eleemosyna, ad suos dimisit. Nec cessabant boni illi homines acceptum ubique deprædicare beneficium; unde et populi favor in beatum Præsulem haud parum universam per Insulam auctus est.*

Romam tendit,

63 *Anno sequenti* 1572 *Romam se contulit Servus Dei, cupiens ad amussim antiquam servare disciplinam, vi cujus Italiæ insularumque adjacentium episcopis quovis triennio Urbem adire tenebantur, limina Apostolorum visitaturi, reverentiam et obedientiam Sanctæ Sedi exhibituri. Priusquam mari se daret, curavit ut nautæ omnes, facta exomologesi, sacro reficerentur epulo, tum demum faustam futuram, inquiens, navigationem, ubi ratis peccatorum pondere non premeretur. Nec deinceps inter navigandum eos instruere cessabat. Defuncto,* 1 *Maii* 1572, *S. Pio V, in successorem electus, die ejusdem mensis decima tertia, fuerat Gregorius XIII. Reddita Pontifici diœceseos ratione, supplex petiit expeditionem Bullæ, a Pio V paratæ, qua probabatur in perpetuum cessio trecentorum aureorum in singulos annos facta Seminario ex redditibus mensæ episcopalis. Annuit benignissime Gregorius, et insuper amplissimas ei concessit facultates atque indulgentias* (3). C

ubi S. Carolum convenit, et arctissime se cum S. Philippo Nerio conjungit.

64 *Romæ adhuc tum S. Carolus, quo conclavi adfuturus venerat, morabatur; nec facile dictu est, qua cum exultatione in mutuos ruerint amplexus. Hac præterea occasione* Alexander *arctissimo caritatis vinculo se ligavit cum S. Philippo Nerio, quod vitæ hujus scriptores passim celebrant perdurasse usque ad mortem* B. Saulii. *Frequenter hunc S. Philippus invitabat ut in suo oratorio ad sanctum Hieronymum pro concione diceret; tantoque eum in pretio habuit, ut quoties ageret, quod non raro etiam coram summo Pontifice contingebat, de dotibus, quibus bonus pastor instructus sit oportet, numquam prætermitteret* B. Saulium *tamquam perfectissimum optimi præsulis proponere exemplar.* D

Tertia synodus diœcesana.

65 *In Corsicam redux, tertiam Bastiæ habuit diœcesanam synodum, haud minus quam priores numerosam. In hac publicavit Concilii Tridentini decreta, quibus omnes sese sincere submittentes, professionem fidei ad ejus normam ediderunt. Notant passim scriptores ab hac tempestate perpetuo in Corsica perdurasse maximam erga sacrum hoc Concilium reverentiam, atque inconcussam ejus definitionibus fidem.*

Sedem suam statuit Bastia transferre in Balaniam;

66 *Ex hoc quoque diœcesano conventu perspectum habuit* B. Alexander, *præ cæteris diœceseos suæ partibus incultam remanere, extremam illius oram, quæ a Balania nomen habet. Statuit itaque Bastia eo sedem suam transferre, non sine incredibili incolarum præfatæ urbis mœrore.* E

ibidem seminarium condit, cathedralem erigit.

67 *Est autem Balania, regio ad latus Corsicæ occidentale, quod transmontanum dicitur, inter fluvium* Ostricone *et urbem* Calvi *nomine, habetque in circuitu ad quadraginta milliaria. Ad residendum elegit vicum* Argagliola (*Algarolam vocat Barelli*) (4) *dictum. Ibique et Seminarium condidit, et ecclesiam parochialem reparatam ornatamque in Cathedralem erexit, in qua tres celebravit diœcesanas synodos, tribus annis, quos in districtu illo residens transegit.*

Ad Generalem Barnabitarum scribit, ut quosdam ex suis submittat.

68 *Porro Balaniensis regio squalebat crassissima ignorantia, sicut et stolidis iisque turpibus superstitionibus, odiis prætcrea et vindictis, cum eo ad residendum* Saulius *vix non solus advenit mense Julio* 1572. *Quos enim secum habuerat, Patres Barnabitæ, alius post alium, tantos haud sustinere valentes labores, ad sua redierant. Quin et ipse ejus capellanus, cui quoquo die confiteri assueverat, per id tempus digressus erat in Italiam res suas domesticas curaturus. His in angustiis, tanta in solitudine, litteras dedit Vir sanctus ad Præpositum Generalem, quibus impense viros ex Congregatione rogabat, qui auxilio ei essent; nec tum quidem obtinuit quidquam; tardius tantum ejus votis est satisfactum.* F

Instituit sodalitatem SS. Sacramenti.

69 *Nihilominus manum strenue admovit operi. Præcipuum quo usus adjumento est ad tollendos abusus et inordinationes, institutio fuit Sodalitatis seu confraternitatis a sanctissimo Sacramento nuncupatæ; quæ inaugurata apposite est festo Corporis Christi die, anno* 1574, *optatissimosque non solum pietatis, sed et conciliationis animorum inter se tulit fructus, unde et plurima, in hac regione usitatissima, extincta sunt odia.*

Sacerdotem febre liberat

70 *Hac eadem tempestate innotescere cœpit virtus sanationum, Saulio cælitus immissa. Ardenti ex febri decumbebat, non sine præsenti vitæ discrimine, Joannes Baptista Monti, B.* Alexandro *cæremoniarum, ut aiunt, magister. Sæpius a sancto Episcopo visitatus, die quadam præter solitum animatum se sen-*

(1) Gerdil, lib. II, cap. III.
(2) Ibid. ad calcem.
(3) Gerdil, lib. II, cap. IV.
(4) Memorie de' PP. Barnabiti lib. VI, pag. 348.

tiebat

A *tiebat fiducia. Tum* Saulius *manum capiti decumbentis imponens :* Macte animo sis, *inquit,* febri liberaberis ; *atque simul eodem momento hæc Psalmi* *protulit verba :* Clamabit ad me et ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum. *Illico melius habuit sacerdos; atque sub vesperam plane convaluerat. Postea Romæ dignitatem obtinuit in palatio Apostolico.*

Psal. 90, 15.

Sanationes aliæ.

71 *Cum esset quadam die beatus Præsul in pago cui nomen Savateggio, tugurium ingressus, ficus sibi a paupere illa familia oblatas, cum ipsis manducare cœpit. Quæ supererant distributæ sunt infirmis, quorum nonnulli dicuntur recuperasse valetudinem. Rursus cum convenissent plures sacerdotes occasione alicujus anniversarii, ad prandium invitarunt* B. Alexandrum. *Quo peracto, reliquias portandas curaverunt infirmis, quorum denuo aliqui sanitati restituti sunt.*

Virum apostatam convertit.

72 *Eodem tempore in Balania vir apostata errorum virus spargebat.* Saulius *eum apprehendi jussit. Ast non contentus gregi prospexisse, illum quoque ad saniora reducendum suscepit. Qui cum errorem* B *agnovisset, publice in ecclesia reconciliatus est.*

Occasione Jubilæi Romam peregrinatur;

73 *Anno* 1575 *Romæ celebratum est Jubilæum a Gregorio XIII promulgatum, ad quod accurrisse feruntur exteri ultra ter centum millia.* Alexander, *qui suos primum ad piam hanc suscipiendam peregrinationem hortatus erat, ipse quoque in Urbem secundo se contulit. Postquam Pontifici ecclesiæ suæ statum patefecisset, aliud jam spectavit nihil, quam ut pietati totum se daret. Solitarius vivebat, orationi piæque meditationi vacans. Frequenter conveniebat sanctum Philippum Nerium, in cujus oratorio ad sanctum Joannem Florentinorum bis terve, singulis hebdomadibus, pro concione dicebat. Aliquoties item dixit in Basilica Vaticana, diebus nempe, quibus sanctissimum Sacramentum fidelium venerationi publice exponebatur* (1).

ubi interest supplicationi solemni, cui præibat ipse summus Pontifex.

74 *Ultima bacchanalium die Pontifex Gregorius solemnem indixerat ad septem Urbis ecclesias supplicationem, cui et ipse interesse voluerat, stipatus Cardinalium et Præsulum, quos inter* B. Saulius, *corona. Cum accederent ad sancti Laurentii extra* C *muros, obviam habent alteram supplicationem institutam a sancto Philippo hac mente ut avocaret fideles ab insaniis per memoratos dies tanto cum animarum damno usurpari solitis. Pontifex, salutato sancto Nerio, rogat an non sit, qui possit ad circumfusam multitudinem verba facere. Cui Philippus, Saulium indigitans :* En, Pater beatissime, *inquit,* qui votis Sanctitatis tuæ plane satisfaciat. *Rogatu ergo Pontificis concionem* B. Alexander *habuit, plena tum illius tum aliorum omnium cum satisfactione, atque exinde majori adhuc quam antea Gregorio est habitus in pretio. Quocirca suadebant amici ut aliam peteret sedem, ullum citra dubium concedendam. Ast non hæc erat Servo Dei mens.*

Serio agitur de transferendo B. Saulium ad aliam sedem.

75 *Et re quidem vera, actum jam fuerat anno* 1573 *de ejus ab Aleriensi ad Derthonensem* (Tortone) *sedem translatione ; nec id summo Pontifici displicere manifestum omnibus erat. Quod cum cognovisset* Saulius, *ad S. Carolum scripsit, ut ex eo disceret, quæ esset hac de re Domini voluntas. Nec tunc quidem ulterius est processum. Ast cum* *Romæ esset, rursus de translatione agi cœptum est ;* D *tum, sicut antea semper,* Saulio *persuasum erat se Deo ad Corsicam excolendam fuisse vocatum ; quod lucide efficitur ex ejus ad Barnabitarum Præpositum litteris. Interea temporis Theanensis Episcopus profitebatur gratissimum sibi futurum si liceret sedem suam Aleriensi Præsuli resignare ; noveratque ex Cardinali Sfortia, cujus ope Pontificis mentem exquisierat, Gregorium facile consensurum, modo non nimium repugnaret* B. Saulius. *Hic itaque Sanctissimum Dominum convenit, quo ejus voluntatem cognosceret, moxque percepit Pontificem paratum quidem ad ei conferendam Theanensem ecclesiam ; satius tamen ducere ad sedem eum promovere Metropoli Mediolanensi suffraganeam. Tum rursus exploratur mens Derthonensis Antistitis, num forte inducendus esset ad dimittendam ecclesiam suam. Ast* B. Alexander *intelligens negotium hoc humanis fere tractari consiliis, diserte Sancto Patri significavit optare se Aleriam redire. Consensit Papa ; sed data ei facultate eligendi sibi coadjutorem, quo tamen, ut apparet, numquam usus est* Saulius. *Hæc habe-* E *mus ex litteris Alphonsi Vicecomitis (Visconti) episcopi ad S. Carolum Borromæum* (2).

Barnabitarum in Urbe prima domus : ubi favet S. Philippus Nerius.

76 *Die prima Martii ejusdem anni* 1575 *Romam Patres Barnabitæ, commoraturi in ædibus, haud sane amplis, sed veteri sancti Blasii ecclesiæ, quæ eis concessa fuerat, contiguis venerunt. Atque hæc eorum prima fuit in Urbe sedes. Exin apud illos hospitium habere maluit* Saulius, *quam apud Prælatos Januenses, Romæ commorantes, et speciatim apud Marcum Antonium Sauli, consanguineum suum, qui postea factus Archiepiscopus Januensis imo et S. R. E. Cardinalis fuit. Statim ab eorum adventu, Barnabitas singulari benevolentia colere cœpit S. Philippus Nerius, ut efficitur ex epistola* B. Alexandri *ad P. Generalem Omodeum. Nec hoc loco prætermittendum aliud mutuæ existimationis sanctum Nerium inter et clericos sancti Pauli : qui licet jam per plures Italiæ urbes dispersi essent, nondum tamen Congregatio in provincias distributa erat ; ita quidem, ut quiscumque illi adscribi optaret, sistere se deberet Mediolani ad sancti Barnabæ. At vero præposito sancti Blasii concessa petenti facultas est* F *admittendi novitio, hac nimirum posita lege, ut neminem suis adscriberet, nisi prævie probatum a sancto Philippo Nerio. Atque notat hic Gerdilius* (3) Alexandrum *continuo tres illis adduxisse candidatos, qui brevi tempore in curia Pontificis inclarescere cœperunt.*

Roma discedit. Sedata tempestas.

77 *Post hæc, humiliter salutato SS. Patre, mense Aprili* 1575 *digressus Roma est. Votis generalis Præpositi ut Mediolano iter faceret, non annuit, licet invitus ; verebatur enim diutius extra diœcesim versari. Inter navigandum, cum ad Ilvam (Elbe) insulam pervenissent, horrida ingruit tempestas. Desperabant jam vectores. Quieto animo* Saulius *sacro vacabat ministerio. Tum Cæsar Ferri, in seminario ejus lector, haud parum territus, rogavit ut protinus ad Deum pro omnium salute recurreret. Habita rursus ad adstantes exhortatione, factaque ferventi oratione, manu fluctibus benedixit ; et ecce subito stetit procella, cunctis beneficium in acceptis referentibus sancti Præsulis precationi et meritis.*

(1) Gerdil, lib. II, cap. VI.
(2) Ibidem.

(3) Gerdil, lib. II, cap. VI

A

Gravi laborat morbo:

78 *Vir in Balaniam regressus, diuturno eoque gravi afflictus est morbo. De quo hæc ipse scribit in epistola, data Algarolæ* (*Argagliola*) xxvi *Septembris* 1575. Pluribus jam a septimanis nullas litteras dedi, quia et ego et omnes qui mecum sunt, adversa usi sumus valetudine. Duo elapsi sunt menses, ex quibus laboravi febri quartana admodum acri, ex qua maximopere debilitatum me sentio. Cancellarius, rei domesticæ curam gerens occubuit; vicarius, collato ei beneficio, ut resideret abire coactus est. Cæteri omnes morbo afflicti fuerunt. Itaque solus remansi, ipse infirmus, multis oppressus curis, neminem habens qui solatio foret. Gratias egi et adhuc Domino ago, qui misericors in omnes, benedictus sit in adversa sicut in prospera valetudine. *Ast paucis post diebus in extremum vitæ adductus discrimen est; ut aliquo temporis spatio sensibus destitueretur. Dum neminem apud se haberet sacerdotem satis idoneum in tanto periculo, ex improviso advenit Cæsar Contardi, Sagonensis episcopus, qui sacrum ei*

B

administravit viaticum. Paulo post adfuit etiam Joannes Baptista Centurionus, Marianensis præsul, qui apud eum moratus est, donec sublatum esset periculum. Atque ita habebat beatus Vir v *Novembris anni* 1575.

ad valetudinem reparandam, ad tempus in Italiam proficiscitur;

79 *Viribus fractus metuebat ne muneri suo deesset. Consultis sancto Philippo, et Patre Capucino, in quem magna ferebatur fiducia, summum Pontificem, mediante Cardinali Alciato, rogavit, ut vel liceret sibi sedi renuntiare, vel saltem ad tempus in patria sua ad reficiendas vires morari. Quod posterius Pontifex benignissime indulsit ad quatuor menses, paratus tempus illud, quantum opus foret vel expediret, prorogare.*

ejus ibidem res gestæ.

80 *Initio itaque anni sequentis* 1576 *discessit. Die vero secunda Februarii, Janua scripsit Præposito Generali Timotheo Facciardi, eum monens denuo agi de ecclesia, a* Sauliis *sive a* Cariniaco *dicta, tradenda Congregationi, eique negotium illud serio commendat. Ast, ut jam supra innuimus, nihil conclusum fuit. Mediolanum advenit die præfati mensis decima octava; ibique inter antiquos suos*

C

degens sodales, amissas cœpit continuo recuperare vires. Mense Maio, ruri in villa PP. Barnabitarum mansit usque ad diem decimum quintum. Tum Mediolanum rediit, salutaturus Patres tertii sub sancto Carolo concilii provincialis, per id tempus congregati. Tandem mense Junio ad ecclesiam suam in Algarola rediit, tribus comitatus PP. Barnabitis, inter quos erat D. Ambrosius Rotula (*Rottoli*), *qui deinceps ei perpetuo adhæsit atque a consiliis fuit.*

Solemnis supplicatio, occasione Jubilæi;

81 *Extenderat Pontifex Gregorius Jubilæum ad orbem Catholicum universum. Non omisit* Saulius *tanto uti beneficio in gregis sui bonum. Exorsus est solemni supplicatione, quam deinde imitatus S. Carolus est, ubi mense Octobri fœda Mediolani incubuit pestilentia. Scilicet quo efficacius populum ad pœnitendum moveret, supplicationi præivit sacco coopertus, nudis pedibus, fune ad collum alligato. Juxta incedebant duo Patres capucini; pone sequebatur domestica familia, nudis item pedibus. Hoc modo processerunt ad ecclesiam ruralem, milliari uno ab Algarola dissitam. Ibi pro concione dixit, ingenti cum animorum motu. Tum sudore et pulvere sordidus, cruentis ex via pedibus, populum Algarolam reduxit, atque in templo impertita solemni benedictione dimisit.*

D

alia Jubilæi exercitia.

82 *Sequentibus diebus perrexit, stipatus clericis, visitare in vicinio ecclesias. Multas quoque die transigebat in sacro tribunali horas; infirmos visitabat; domi excipiebat peregrinos undequaque accurentes, eorum pedes lavans, stipem eis erogans. Sub vesperam, ad æris campanæ pulsum, in ecclesia populus conveniebat, ad communem precationem, post quam, brevi habito alloquio, cœtus solvebatur.*

Residet in oppido Curia.

83 *Exeunte anno* 1576 *Algarola transiit beatus Præsul Curiam* (*Corte*) *oppidum in centro fere diœceseos positum, in quo olim suum, ut vidimus, auspicatus erat ministerium. Cum enim careret proprie dicta Cathedrali, ratus est satius esse, variis residere in partibus diœceseos, prout ad majus gregis emolumentum convenire videtur.*

Incolarum in mutuam ruentium necem compescit furorem;

84 *Hoc in tractu non adhuc radicitus extinctæ erant factiones Nigrorum et Rubrorum, in Corsica ab mutuas interneciones notissimæ. Quadam die ecce in campum descendunt mortifero exagitati furore.*

E

Nuntius accurrit Saulio *mensæ accumbenti. Illico exurgit, et crucem manu gestans properat ad locum pugnæ. Jam conseruntur manus. Ast viso beato Pastore suo, paulatim evanescit furor. Denique omnes utrimque in mutuos, sincero animo, ruunt amplexus, ac domum reconciliati inter se redeunt.*

altera similis reconciliatio.

85 *Inveterata erat Corsis opinio necem nece ex piandam. Ex hac duas familias in aciem descendisse audit* Alexander. *Subito accurrit, atque medios inter congredientes in genua provolvitur. Quo viso, arma projiciunt adversarii, atque, inita pace, discedunt.*

Malefactorem ad meliora reducit.

86 *Nec minor animo jura ecclesiæ tuebatur. Virum quemdam auctoritate, qua valebat, abutentem in detrimentum gregis, benigne primum commonuit; at frustra. Tum, quamvis raro admodum ad hujusmodi recurrendum censeret remedia, excommunicationem interminatus est, quam et paulo post fulminare coactus, non tamen pervicacem vicit. Tandem ad Dominum ardentibus precibus confugit, atque exauditus est. Advenit enim reus contrito corde; quem Sanctus paterno suspiciens animo, salutari injuncta pœnitentia, absolvit.*

F

Sedem ponit in oppido Cervione.

87 *Cum annis duobus Curiæ resedisset, alio sedem suam transferendam ratus, se contulit mense maio* 1578 *in oppidum* Cervione, *in tractu Capolorensi* (*Capoloro erronee vel mendose apud Gerdilium scribitur Campo-loro; quod, si idem sonet ac Campo de loro, in districtu jacet Adjaciensi, dum Caporolo in Bastiensi reperitur; vide Dictionnarium infra citatum*) ; *ibique obtenta summi Pontificis venia, tum sibi tum successoribus suis cathedram figere statuit, quod locus et situ commodus esset, et aeris temperie salubris, et agrorum feracitate incolarumque frequentia præstans. Ad trecentas numerabat oppidum familias.* (*Ex geographico Galliæ dictionnario, initio hujus sæculi incolæ recensentur* 1008) (1). *Aderat etiam domus seu conventus Patrum Recollectorum.*

A fundamentis ecclesiam cathedralem aliaque ædificia condit,

88 *Hic itaque a fundamentis erexit ecclesiam cathedralem, sicut et episcopium seu palatium episcopale cum sacello, Seminarium quoque viginti quin-* que

(1) Dictionnaire universel géographique, statistique, historique et politique de la France. Paris, an XIII (1804).

A

que capiendis alumnis aptum; præterea ædes plures canonicorum habitationi destinatas. In palatio, ædificii partem exercendæ hospitalitati deputavit, tantopere ab Apostolo episcopis commendatæ. Addidit hortum, non tam suo quam successorum suorum commodo futurum.

quibus erigendis pauperes annonæ caritate pressos adhibet.

89 *Annonæ caritas, quæ sequentibus annis Corsicam pressit, accelerandæ ædium exstructioni plurimum inserviit. Cum enim famelici magno numero accurrerent, quos viribus valentes videbat, ad laborem statuto pretio conducebat, adhibita quandoque ingeniosæ caritatis industria. Sic cum vir robustus stipem rogaret, petiit ab eo* Saulius, *cur manuum labore victum sibi non compararet. Respondit mendicus se fame adeo extenuatum, ut labori impar esset. Tum Præsul ei panem simul et nummum exhibet, ut alterutrum pro libitu sumat; nummumque arripere paranti :* Itane, *inquit :* non enim vero fame tu laboras. Operarios meos juva; et ego spondeo nec panem nec nummos umquam tibi defuturos.

B

Novis subjicit typis Instructionem pastoralem.

90 *Nec interea minus spirituali ædificio invigilabat. Hac de causa, inter alia multa in bonum gregis saluberrime suscepta, novis curavit edendam typis Instructionem pastoralem, de qua supra jam incidit sermo. Januæ in lucem prodiit, additis pluribus monitis, præcipue ad sacramentum pœnitentiæ rite tum suscipiendum tum administrandum spectantibus, ut videre est ex Præfatione novæ editioni præfixa. Plurimum extollit Gerdilius hanc Instructionem, quam* Thesaurum luminum *non dubitat vocare* (1).

Populi penuriam sublevat mirifice.

91 *Anno* 1579 *rursus Romam versus* Alexander *properavit. Mediolanum pervenerat, cum subito ei affertur nuntius ex improvisa calamitate desperatam esse messem. Continuo Januam redit, vendit rhedas, equos, mutuo accipit pecuniam, aliam obtinet a consanguineis et amicis; vim sibi comparat frumenti, leguminum aliorumque victualium. Quæ navi imposita secum in Corsicam advehit. Spes miseris renascitur ex conspectu optimi Pastoris, qui tanta cum prudentia, quæ secum adduxerat, alimenta distribuit, ut, additis subsidiis Liburno advectis, nemo in universa diœcesi rebus ad vitam necessariis caruerit.*

C

Ingruente epidemia, preces publicas indicit;

92 *Sequenti anno, ex Italia profecta Corsicam invasit epidemia. Ex duabus epistolis beati Præsulis, altera die 3ª Martii, altera die 13ª Septembris data, plurimos constat malo afflictos, nec paucos occubuisse. Tota ejus domestica familia, numero omnino novem, decumbebat. At ipse, utut languidus et viribus fractus, cœpit populum ad pœnitentiam hortari, quam primus, acrius sæviendo in proprium corpus exercuit. Trium dierum indixit jejunium; triplicem haberi mandavit solemnem supplicationem, cui princeps ibat, nigra indutus veste, nudisque incedens pedibus, manibus crucem gestans. Singula die pro concione dicens, cunctos ad placandum Numen ardentissime compellabat. Post hæc prostratus coram altari, decantatis Litaniis, sacris operabatur. Triduo expositum remansit venerabile Sacramentum et Dominica insequenti facta communio generalis est. Diu noctuque insuper visitabat infirmos. Quaque feria sexta fiebat supplicatio, cui unus tantum ex singulis familiis intererat; ac ita procedebant, ut ab invicem justo intervallo dissiti essent, ne scilicet ex contactu luem sibi mutuo communicarent. Qui domi remanserant, mane et vespere ad pulsum campanæ, formulam precatoriam, quam his in angustiis toti indixerat diœcesi, recitabant.*

D

pluribus sanitatem impetrat.

93 *Lues Seminarium quoque invaserat. Territos alumnos et jam prope desperantes confidere jussit, prænuntians, quod et eventus probavit, neminem ex eis malo succubiturum. Astolfo, famulo suo, jamjam animam agenti, peracto Sacro, dixit :* Noli timere; salvus eris; *qui eodem momento surrexit, ac paucis post diebus plane convaluit. Aliis plurimis sanitatem reddidit, manus eis imponens ac recitans hæc Evangelii verba :* Super ægros manus imponent, et bene habebunt. *Undequaque accurrebant viri et mulieres, petentes ab eo benedici, beatosque sese existimantes, si licuisset eum vel videre vel ejus vestem contingere. Exinde passim* Angelus tutelaris *audire cœpit.* Marc. 16, 17.

Cessante plaga, gratiarum indicit actiones.

94 *Tandem plaga cessavit; statimque solemnes indixit gratiarum actiones, celebrarique voluit funebre officium pro iis qui malo occubuerant. Cæterum, quamvis Aleriensis diœcesis alias in Corsica magnitudine superaret, pauciores tamen quam cæteræ numerabat homines lue extinctos. Præterea nullus eorum, nisi exeuntium sacramentis munitus, decesserat. Quæ sane, non sine magna animi voluptate, didicit optimus Præsul; nec minori comperit cum solatio, haud spernendam ex plaga secutam morum emendationem.*

E

Romam petit.

95 *Pacatis in diœcesi rebus, anno* 1581 *Romam, quo ab itinere biennio ante avocatus fuerat, ire acceleravit. Aliud hic Gerdilius* (2) *nihil addit, nisi quod* XXX *mensis Junii Mediolani* Saulius *moraretur. Unde concludere pronum est nihil eruditum scriptorem reperisse, quod speciali mentione dignum, ad secundam illam a beato Præsule susceptam, Romanam peregrinationem spectaret.*

Pluries Januam venire cogitur.

96 *Verosimile est* Alexandrum, *post suum Roma in Corsicam reditum, brevi rursus in Italiam appulisse. Commissum enim ei fuerat a senatu Januensi, ut componeret difficultates non modicas ex morte fratris ejus ab intestato defuncti ortas. Quare non semel Januam venire coactus fuit.*

F

Procellam prænuntiat, pluviamque impetrat.

97 *Huc referri censet Gerdilius eventus nonnullos mirabiles, in actis Beatificationis memoratos absque certa temporis nota* (3). *Quum iter faciens, Sextio (Sestio) appropinquaret navis,* Saulius, *dicendo horas intentus, subito assurgit, navarchumque conveniens, eum monet ut quam citissime ad terram appellat. Ille nihil periculi cernens, ægre mandatis paret; ast vix navi excesserant, cum illico vehemens exoritur turbo, fulmine, tonitru ac grandine cuncta permiscens. Alias ex diuturno pluviæ defectu gravissimum messi futuræ imminebat discrimen.* Saulius *triduanum indicit jejunium et supplicationem ad ecclesiam sancti Francisci extra oppidum* Cervione *sitam. Quo cum, nudis incedens pedibus, pervenisset, habita concione, ferventes coram altari fudit preces. Cœlum, quod sudum hucusque erat, obducitur nubibus, et mox in copiosam solvitur pluviam. Ex eo quod jusserat* Saulius *pro reditu afferri pallium, satis apparet, quam certam obtinendi, quod petebat, fiduciam habuerit; imo plures opinati sunt*

(1) Vita B. Saulii, lib. II, cap. VIII.
(2) Lib. II, cap. X.

(3) Ibidem.

cœlitus

A *cœlitus de eventu fuisse præmonitum. Confer* Annotata *in cap.* v, *Gabutii ad litteram* h. *Subdit hic quoque Gerdilius beatum Præsulem ingenti lapide impetitum fuisse a clerico, quem Seminario ejicere coactus fuerat. Factum narratur in* Annotatis *ad Gabutii cap.* IV, *ad litteram* e.

Catechismum edit.

98 *Anno* 1581, *Ticini edendum curavit catechismum suum.* Monumentum, *ait Gerdilius* (1), pertiosissimum, zeli et doctrinæ *testis. Tanti illum faciebat S. Franciscus Salesius, ut rogatus a suis novum pro diœcesi sua concinnare catechismum, responderet :* Operam enimvero perderem ; sufficerit Aleriensem in linguam nostram vertisse.

Frustra invitatur ad sedem Januensem

99 *Versus annum* 1584 *actum serio fuit ut Saulius daretur in coadjutorem Archiepiscopo Januensi Cypriano Pallavicini, morbo senioque fatiscenti. Facta fuerat, inscio* Alexandro, *petitio Gregorio XIII, qui annuerat hac conditione, ut coadjutor dimidiam partem redditum ecclesiæ Aleriensis, titulo pensionis, retineret. Rem didicerat* Saulius, *mediante Corsicæ gubernatore Cataneo Marini, ad quem litteras dedit* XXX *Maii* 1584, *postulans inducias,* B *quibus Deum precaretur et ter saltem offerret sacrosanctum Sacrificium. Consuluit quoque S. Carolum et patrem Bascapeum. Ille maluisset in coadjutorem Sedi Januensi dari Episcopum Marianensem, Joannem Baptistam Centurionum. Jam non dubius hæsit* B. Alexander ; *oblatam recusavit promotionem, sequentibus ductus rationibus : primum quod ecclesiam suam teneret de manu sancti Pontificis Pii V, quam non demitteret umquam nisi de expresso Sanctæ Sedis mandato ; tum quod vires sibi deessent ad novum suscipiendum onus ; dein tantum aberat ut ambiret ecclesiam Januensem, ut nihil sibi gratius foret quam in sinum Congregationis suæ redire ; addebat Januenses id quidem optare, ast repugnare archiepiscopum ; denique partem redditum reservari non posse, nisi cum ingenti pauperum Aleriensis diœceseos detrimento. Hac de causa* Saulium *Romam ivisse anno* 1585, *ex infra dicendis efficietur. De mœrore Corsorum litterisque cleri ad summum Pontificem, vide in* Annotatis *ad præsens Gabutii cap.* IV *ad litteram* k (2).

Nota in Gabutii chronologiam.

C 100 *Observatu dignum, Gabutium, ubi præsenti capite num.* 30 *et* 31 *agit de hoc negotio, nullam, prout fere continue illi mos est, adjicere notam chronologicam, remque hanc narrare antequam dicat de his, quæ Romæ contigerunt anno* 1575. *Unde pronum foret concludere pium scriptorem autumasse actum de coadjutore Januensi fuisse ante mox dictum annum. Quod si hæc Gabutii mens fuerit, aperto versatur in errore.*

De tentata Algeriensium in Corsicam incursione.

101 *Litteræ Cardinalis Ossati, datæ* 22 *Octobris* 1584, *in quibus narratur piratarum Algeriensium in Corsicam tentata incursio, tempus figunt, quo res hæc, actis* B. Saulii *illata, gesta fuerit. Describitur in* Annotatis *ad cap.* v *Gabutii littera* e. *In oppido* Cervione *tum degens* Alexander *monitus de eorum accessu fuit a gubernatore Corsicæ. Gabutius viginti duas memorat triremes ; Gerdilius, ex cardinali Ossato, duodecim fuisse indicat.* (3)

Auget canonicorum præbendas.

102 *Quo a Pontifice obtineret ne in coadjutorem daretur Archiepiscopo Januensi, Romam properarat* D *anno* 1585. *Atque tum quoque petierat a Gregorio XIII, ut rata haberet capita quædam in gratiam ecclesiæ cathedralis et capituli. Jam enim Cathedralis et Seminarium, sicut et ædes episcopo et canonicis destinatæ ad fastigium pervenerant. At sex tantum erant numero canonici antiquæ Aleriensis ecclesiæ, sancto Marcello dicatæ, quibus in singulos annos decem tantum aurei reddebantur. Petiit ergo* Alexander *ut liceret ducentos quadraginta aureos a mensa episcopali ad Capitulum transferre, dandos per modum distributionum pro præsentia. Annuerat Pontifex, sed morte præventus* (11 *Aprilis* 1585) *rescriptum non ediderat. Sixtus V, electus* 24 *præfati mensis, rem perfecit, quinimo concessit, ut canonici, quibus ad tempus daretur beneficium cum cura animarum, quamvis non residentes, participes forent distributionum quotidianarum. Hæc constant ex Bulla, Kalendis Maii data anno* 1585, *quam in extenso habet Ughellus* (4).

Mensæ episcopalis status.

103 *Supererant mensæ episcopali in singulos annos aurei mille ter centum, qui utique sufficientes erant.* E *Cæterum fructus ex decimis proveniebant. Cum itaque multo pacatiores, ex* B. Alexandri *monitis et zelo, facti essent Corsi, consequens erat, ut ampliori agris impenso labore fructus ex decimis percipiendus accresceret.*

Novos sex creat canonicatus.

104 *Sex Canonicis jam existentibus totidem alios addidit beatus Præsul. Quo autem sex novas illas constitueret præbendas, mensæ capitulari adjunxit aliquot beneficia simplicia, annuos ducentorum et quadraginta aureorum ferentia fructus ; accepta rursus a Sixto V facultate, ut efficitur ex Bulla* VIII *Kalendas Novembris* (25 *Octobris* 1586), *ab eodem Ughello recitata.* (5) *In hoc etiam sollicite incumbebat ut viros omni ex parte dignos Capitulo suo deligeret. Thelogalem instituit P. Scipionem Raimondi, ex Ordine Prædicatorum. Capitulo ita constituto numquam non beatus Præsul choro intererat, statutis temporibus pontificalia peragens ; ut omnia hac in cathedrali ad pietatem et populi ædificationem maxime facerent.*

Jubilæum a Sixto V concessum.

105 *Mense, suam secuto exaltationem, Sixtus V generale indixit jubilæum ; quod Aleriensis Episcopus celebrandum curavit haud minori cum zelo, quam* F *prius illud, de quo supra diximus.*

PP. Franciscanorum reædificat conventum

106 *Eadem tempestate reædificandа suscepit ecclesiam et monasterium Patrum Franciscanorum juxta oppidum Cervione sita. Quum opus lento procederet passu, dubitareque videretur Guardianus an umquam ad fastigium duceretur ; perficiendum prænuntiavit* Alexander *antequam ille officio defungeretur. Rem probavit eventus, pluribus submissis subsidiis, quin unde illa venirent, umquam innotuerit ; quæ proinde meritis Beati viri adscribenda nemo dubitavit.*

Altera annonæ caritas.

107 *Anno* 1586 *tanta incubuit annonæ caritas ut, qui nomine Januensis reipublicæ Corsicam administrabant, rescriberent messem non sufficere ad alendos populos per tres menses. In eumdem sensum scripsit* Saulius *ad uxorem sui fratris Blancam :* Ex trecentis, *ait,* familiis quibus oppidum istud (*Cervione scilicet*) componitur, ad summum quinquiginta sunt, quibus annona sit usque ad exitum anni

(1) Lib. II, cap. X, ad calcem.
(2) Confer Gerdil, lib. II, cap. XI ; item Barelli, Memorie de' PP. Barnabiti, lib. VI, cap. V, pag. 351 et seqq.
(3) Lib. II, cap. XI.
(4) Italia Sacra, tom. III column. 506 et seqq.
(5) Ibidem, col. 508 et seqq.

A anni. Plerique jam nunc vescuntur ficis, uvis, castaneis. Quod si hæc deficiant, quo me vertam nescio. *Atque hæc quidem ita scribebat; ast, sicut jam antea fecerat, annonam undequaque advehendam curavit; quæ prudenter distributa omnium necessitatibus, quantum satis erat, occurrit.*

Ecclesiam ædificat Aleriæ.

108 *Urbs Aleriensis, ex continuis bellis tum intestinis tum exteris, eo redacta erat, ut jam ibidem nihil præter arcem et tuguria aliquot circumsparsa videres. Ecclesia nulla, oratorium nullum. Milites Arcis præsidiarii, non secus ac alii loci incolæ, quo diebus festis sacrum audirent, ad tertium quartumve lapidem progredi cogebantur. Ædificavit ergo* Alexander *oratorium, constituto aureorum quadraginta beneficio sacerdoti, qui Missam celebraret, doctrinam Christianam explanaret, Sacramenta administraret. Atque ita rursus providit, ut qui viribus valentes erant, sæviente penuria, non torperent desides.*

Profugos quosdam piscatores paterne fovet.

B

109 *Cymbæ numero sexaginta* (1), *septuaginta habet Gabutius, singulæ decem duodecimve ferentes viros, sancto Bonifacio solverant ad piscanda coralia. Promontorium Aureum* (Capo dell' oro) *prætergressæ impetuntur a piratis. Territi vectores, relictis cymbis, ad terram prosiliunt. Discurrentes primum per vicinos pagos, ad Capolorum (Capoloro) ubi* Saulius *tum morabatur, accedunt. Postquam curasset parari mensam, obviam eis procedit, ac prius in ecclesiam deductos, paratæ jubet accumbere mensæ. Vidisses bonos illos piscatores stupore attonitos, vix ausos attingere escas. Ast hilari vultu animos addit optimus Pater, eosque apud se retinet tota illa die noctuque sequenti, nec dimittit nisi præmisso Bastiam Thoma Georgio canonico, qui necessaria illis ad victum hospitiumque pararet; qui refert a* Saulio, *hac occasione, expensos fuisse farinæ medimnos omnino viginti tres, præter magnam casei vinique copiam. Confer Gabutium cap.* VI, *num.* 59.

Furem convertit et sanitati restituit.

110 *Ad hunc item annum* 1586 *refert, teste Gerdilio* (2), *scriptor aliquis Vitæ* B. Saulii, *virum, nomine Bartholomæi Muncanzio, oratoriæ Sanctæ Crucis, quod aliquamdiu procuraverat, subtraxisse scutata centum; nec quisquam illa audebat repetere.*

C

Vir iste ex diuturno piscationis labore adeo obriguerat, ut non nisi fulcris innixus loco moveretur. Quondam obvius beato Præsuli factus: Si vis, *ait,* Bartholomæe, sanus fieri, restitue ablata. *Commotus hac voce, nummos reddidit, ac dein* Saulio *peccata sua est confessus; acceptaque Eucharistia, brevi convaluit, ut omnes miraculum clamarent.*

Iter Romanum.

111 *Ineunte vere anni* 1588 *Romam ire parabat, juxta disciplinam, a Sixto V de novo confirmatam, qua, ut jam dictum est, quoquo triennio, Italiæ Insularumque vicinarum episcopi in Urbem vocabantur* Ast viæ se dare prohibitus est ob adventum in Corsicam *Visitatoris Apostolici. Tum rursus discessum aliquamdiu distulit, donec æstivi cessarent calores. Romam tandem delatus, pro more suo, ad sancti Blasii Barnabitarum divertit. Præpositus illa tempestate Congregationi erat P. Carolus Bascapeus, diversus a Ludovico Bascapeo, quem supra diximus, exstincto Humiliatorum ordine, ad Barnabitas transivisse. Ille ergo (quia tunc adhuc Generalis Mediolani sedem suam habebat)* Saulium *rogavit, ut vice* D *sua ac nomine, sancti Blasii domum visitaret.*

In reditu plures invisit Italiæ urbes: quæ in singulis gesserit.

112 *Urbe discessit* XXV *Octobris* 1588. *Laureto primum transiit, augustissimum Sanctuarium Beatæ Mariæ Virginis, cujus a pueritia filius fuerat devotissimus, veneraturus. Aliquot dein dies moratus est Cesenæ, apud parentes Patris Rotulæ (Rottoli) confessarii sui. Hinc Venetias venit, ubi plurima sive vasa sive vestes aliaque sacra in ornatum suæ Cathedralis coemit, ad duo millia aureorum expendens. Divertit apud illius urbis Patriarcham, Joannem Trevisanium, venerabilem senem, qui tanti Virum Dei fecit, ut monitus ab eo, acriori utendum esse vigilantia in gregem, non modo non offensus sed gratus fuerit. Hinc Mediolanum digressus est, ubi degebat soror ejus Lucia Visconti, quæ propriis manibus varios confecit ornatus sacros, quibus non magis quam ædificiis a se erectis, apponi passus est insignia suæ gentis, nihil hæc ad pietatem facere dicens. Invisit quoque Archiepiscopum, sancti Caroli successorem; fassusque est se non sine intimo mœroris sensu palatium, tanto orbatum præsule, ingressum esse.* E *Urgentibus de causis, Mediolani subsistere coactus est usque ad exitum Januarii anni sequentis* 1589; *ac primum redux in Corsicam fuit versus Quadragesimam.*

Alphonso Vice-comiti, Pontificis Nuntio, pecuniam submittit.

113 *Eodem currente anno, Cardinalis Augustinus Cusani Prælatum Alphonsum Vice-comitem (Visconti)* Saulio *(erat is utrique sanguine junctus) commendavit, enixe rogans ut illi aliquid pecuniæ, in bonum religionis impendendæ, submitteret. Fuerat nempe Alphonsus deputatus ad Imperatorem Rodolphum II a Pontifice Nuntius; discimusque ex hujus epistola ad B.* Saulium, *avunculum suum, Pragæ, ubi tum degebat Imperator, missa* XXV *Julii, votis illum annuisse, pecuniamque, præfato adhibitam scopo, haud spernendos tulisse fructus.*

Conclusio et monitum.

114 *Atque hæc sunt præcipua a B.* Saulio, *dum Aleriensem tenuit sedem, gesta. Præclarissima sane, quæ virum produnt præstanti præditum ingenio, excelso donatum animo, eximia venerandum sanctitate. Agendum nunc est de ejus ad Ticinensem ecclesiam translatione, a qua Gerdilius librum suum tertium auspicatur.* F *Longe pauciora hic Gabutio supplenda erunt: tum quod, integro vix expleto anno, beatus Vir, novæ suæ sedi morte ereptus fuerit; tum quod paulo plura, confuse tamen nec ullo fere servato temporis ordine, Gabutius ad hunc locum notaverit. Pro more, a nobis hucusque servato, ejus verba, ad quæ proxime accedit nostra narratio indicamus.*

Ibidem (cap. IV) *num.* 34. Romanus Pontifex... eum ad regendam Ticinensem ecclesiam revocavit anno MDXCI, VI Idus Maji.

Gregorius XIV B. Saulium ab Aleriensi ad Ticinensem transfert ecclesiam.

115 *Anno* 1590 *id singulare accidit* (3) *ut tres successive Pontifices Sedem Romanam tenuerint. Obiit Sixtus V* XXVII *Augusti, cui suffectus Urbanus VII dies tantum tredecim in summo Pontificatu transegit; electus tum fuit quinta Decembris, Cardinalis Nicolaus Sfondrati, dictus Gregorius XIV, B.* Alexandri *quondam discipulus, illique singulariter gratus, quod magnos sub ejus ductu in Christianæ virtutis via habuisset progressus. Itaque defuncto Romæ,* XXVIII *Aprilis* 1591, *Cardinali*

(1) Gerdil, lib. II, cap. XIII.
(2) Ibidem, ad finem.

(3) Gerdil, Vita Beati Alexandri Saulii, lib. III, cap. I.

Hippolyto

A Hippolyto Rubeo (Rossi), Episcopo Ticinensi seu Papiensi, statuit Pontifex B. Saulium subrogare, nihil utique tale suspicantem, sicut et ei contigerat cum olim a Pio V Aleriensi datus est sedi. Hinc advenientibus Ticino legatis, qui Præsulem sibi peterent, respondit Gregorius se daturum ipsis Angelum in carne humana. Paucisque post diebus, in Consistorio, cui præsentes aderant legati, Aleriensem Episcopum transtulit ad ecclesiam Ticinensem. A Gregorio XIV, ait Ughellus (1) ad hanc (Ticinensem) ecclesiam translatus est anno 1591, die x mensis Maji. Rem didicit Saulius ex litteris Cardinalis Pauli Sfondrati, quibus quam promptissime in Urbem, de Pontificis mandato evocabatur.

Mœror Aleriensium,

116 Quanto translatio hæc Ticinensibus gaudio, Aleriensibus tanto fuit mœrori, quos consolari adnisus optimus Parens est pastorali epistola, paterni amoris plena. Numquam sibi in mentem venisse testatur aliam ambire sedem; nihil non se facturum spondet quo summum Pontificem a proposito abducat. Recruduit mœror cum discedendi tempus adfuit. B Lacrymis perfusi, usque ad littus longo eum agmine sequebantur, nequidquam eo tentante, projectis etiam nummis, illos avertere seu retardare. Navem conscensurus populo valedixit, data benedictione. Nec ullus a littore discessit donec oculis erepta esset navis.

dum Romam properat beatus Præsul.

117 Decimo quinto die in Urbem delatus, festa scilicet Corporis Christi luce, non obstante longa laboriosaque navigatione, Sacris ad sancti Petri interesse non omisit. Sequenti die summum Pontificem convenit, enixe eum precatus ut mentem mutaret. Ast Gregorius: Nihil dubites, fili, novo te subdere oneri. A Domino vocari, certo scias. Sanctus ipse Spiritus hanc nobis indidit mentem. Ex epistola B. Saulii ad Bascapeum, data XXIII Junii 1591, constat frequenter eum cum Sanctissimo Patre egisse, eoque ante omnia spectasse, ut vacanti Aleriensi ecclesiæ optime provideretur. Post seriam deliberationem designatus fuit Antonius, Octavium vocat Ughellus, (2) Belmostus, Januensis, postea Cardinalis, Tituli S. Blasii ad Annulum Barnabitarum (3).

Plures Judæos convertit.

118 Interea temporis contigit ut beatus Præsul quodam die adesset concioni, quæ, ex voluntate Ponti- C ficum identidem haberi in alma Urbe solet ad Judæos. Ex altiori loco dicebat ad populares quondam suos sacerdos, a judaismo conversus ad Christi fidem. Cum nihil efficeret, Cardinales, qui præsentes erant, Saulium rogarunt ut verba faceret. Nec frustra. Plures eum secuti protinus sunt ad S. Blasii, profitentes sincere se optare meliora sapere, id unum se rogare, ut conversis, quæ absque ullius injuria sibi comparaverant, retinere liceret; si secus fieret, ad omnimodam redigendo sinopiam. Obtenta summi Pontificis facultate, votis eorum annuit, atque exinde eos ad Baptismi gratiam præparare non destitit.

Roma discedere properat.

119 Cupiebat Gregorius beatum Præsulem Romæ permanere usque ad proximum autumnum; nec dubium est ea id mente proposuisse, ut manifesta suæ benevolentiæ signa daret viro, a quo vitæ spiritualis prima rudimenta didicerat, cuique præterea affinitatis vinculo conjunctus erat. Ast alia spectabat Saulius; tantumque effecit ut XXVIII Junii discesserit, dies non amplius quindecim Romæ moratus.

120 Septima Julii Januam appulit, ubi moram aliquam trahere coactus est, tum quod febri laboraret, tum quod eo loci varia tractanda negotia haberet. Cum Clerus Senatusque Ticinenses eum salutatum venissent, respondit quoniam Sanctitati suæ placuit aliam sibi deputare sedem, gratum sane sibi contigisse ut Ticinensi præficeretur. Tum caput de ordinanda domo et familia cogitare. Qua de re Romam jam scripserat ad patrem Bascapeum, nihil se habere velle, quod fastum saperet; cum hujusmodi non decerent Episcopum, vitam regularem quondam professum. Orta quoque dissidia hæredes inter defuncti præsulis et episcopatus œconomum, eidem mandavit Bascapeo ut rem componeret, etiamsi aliquale exinde oriretur damnum. Nihil enim magis nocere prælatis dicebat quam si vel levissime tenacitatis suspicentur; quod si obtineat, nec si signa faciant, dictis populos audientes habebunt.

D Januæ subsistit per aliquot dies, ubi varia disponit;

121 Janua Mediolanum venit, in cujus suburbio, in villa ad Barnabitas spectante, cum eodem patre Bascapeo aliquot dies orationi dedit. Tum rursus inter se egerunt de ordinanda domo, quam non aulæ sæculari, sed cœtui regulari similem volebat. Plurimum ibidem se sollicitum ostendit de eligendo Vicario, quem virum esse debere dicebat pium, peritum et firmum. Ardebat exin quam primum Ticinum properare; distulit tamen adhuc, ex Ticinensium votis solemnem optatissimo præsuli suo cupientium disponere ingressum. Hæc tamen prætulisset ille in pauperes expendi.

item Mediolani. E

122 Obviam itaque Mediolanum usque venerunt civitatis primores aliique de civium numero. Substitit primum in celebri Ticinensium Carthusianorum monasterio. Die, ingressum in urbem præcedente, pernoctavit in suburbio apud PP. Augustinianos; atque hic nuntium accepit de morte Gregorii XIV, XV Octobris vita functi. Noctem in oratione transegit, et sequenti die sanctum obtulit sacrificium pro anima defuncti.

Ticinum accedit.

123 Die octobris decima nona, vigesimam ponit Ughellus, (4) anni millesimi quingentesimi nonagesimi primi ingenti cum pompa urbem ingressus est. Cum ad ecclesiam cathedralem propinquaret, insolito prorsus visus est modo se recolligere; in exstasim raptum dixisses. Ad se reversus exclamavit: Quam vani sunt mortalium triumphi! Annus non præteribit, quum tanta hæc lætitiæ exultatio in funebrem verteretur luctum! Vox quidem illa audientes parum tunc movit; cum vero Saulius XI Octobris sequentis anni obierit, multis in mentem venit cælitus Virum Dei de morte sua præmonitum fuisse.

Ingressus in Urbem. Mortem suam prænuntiat. F

124 Mox post ingressum suum, binas dedit Litteras Pastorales; alteras civitati diœcesique Ticinensi inscriptas, alteras clero. Ex illis manifeste eruitur et spiritus quo ducebatur, et modus, quem in administrando sectabatur. Typis prodiere Ticinensibus anno 1591 in 4°. Ast, inquit Gerdilius (lib. III cap. 3), difficile putem hodiedum exemplar aliquod nancisci impressum: ego quidem aliud non vidi nisi manuscriptum. Utriusque synopsim videre est apud laudatum scriptorem. Clero visitationem nuntiat, synodumque indicit.

Binas scribit litteras pastorales.

125 Prima Dominica, post suam in cathedram ascensionem, pontificaliter celebravit et concionem ad populum habuit, misericordiam in pauperes omni-

Concionem habet de eleemosyna;

(1) Ughell. Italia Sacra, t. I, col. 1069.
(2) Italia Sacra, t. III, col. 511
(3) Gerdil, Vita B. Sauli, lib. III, c. p. 1.
(4) Italia sacra, tom. I, col. 1091.

bus

A *bus enixe commendans. Teste Antonio Maria Spelta Ticinensi, annis* 1590 *et* 1591 *per totam Italiam grassabatur sæva penuria. In præfata concione, coram Deo et populo, spopondit solemniter se quam parcissime victurum, quo amplius in egenos erogare posset. Monuerat quoque se de eleemosyna dicturum, rogavitque viros in civitate primarios quatuor, qui oblatam a singulis in ecclesia post concionem, in mensa ad hoc parata, pecuniam exciperent. Exemplo præivit Vir sanctus, centum aureos suo nomine deponi curans. Nec spernenda collecta summa est; quæ continuo distributa fuit hospitiis, orphanis, infirmis, cæterisque vere pauperibus.*

ejus in pauperes incredibilis beneficentia.

126 *Cæterum nusquam egenorum neglexit habere curam; quorum necessitatibus paterne invigilabat, opera utens virorum fidorum, atque per universam diœcesim dispersorum. Quum Balthasar Landini, vir pius et beneficus, quem idcirco B.* Alexander *solebat adhibere ad eleemosynas, quas secreto distribuebat, metueret, ne, quod frequentius accederet, importunus fieret:* Nullo modo, *inquit* Saulius *eum* B *amplexans;* mihi tanto gratius feceris, quanto impensius pauperibus te devoveris. *Cum idem Landinus ab eo impetrasset inopi cuidam verecundo duo scuta, quæ œconomus dare recusabat, nisi prius Episcopum convenisset, jussit hic non jam duo sed quatuor numerari. Altera vice idem œconomus tria præbere renuerat scuta monialibus sancti Francisci, capucinis nuncupatis; quod cum ægre ferret beatus Præsul, respondit iste,* illa die nihil pecuniæ se habuisse quod daret. Quam vero nunc habes, *intulit ille?* Sex, *inquit œconomus,* ducatos. Nunc ergo omnes mitte ad moniales — Ast jam nihil supererit rebus domesticis comparandis — Nihil refert, *ait Præsul*; Dominus providebit. *Cum quidam ejus consanguineus hortaretur ut unum saltem conclave aulæis obduceret:* Non exiget Dominus, *ait*, rationem an parietes vestierim, bene vero an pauperes. *Et rursus, cum monerent ut aliquam pecuniam apud se retineret; respondit id sibi nec qua religioso convenire, utpote voto paupertatis ligato, vi cujus licitum quidem est expendere pecuniam in usus quotidianos, non vero depositam servare; nec* C *qua Episcopo, qui numquam rectius bonis ecclesiasticis utitur, quam dum illa in pauperes distribuit.*

Visitat diœcesim, incipiens a Cathedrali

127 *Initio Adventus visitare cœpit diœcesim inchoans a Cathedrali sua. Cum tenuiores justo comperiret Canonicorum præbendas, eas auxit, unitis huic in finem beneficiis simplicibus numero quatuordecim, quo scilicet omnis negligentiæ tolleretur prætextus. Reformavit quoque, audito Capitulo, officium sancti Syri, civitatis Patroni, quod et Romæ approbandum curavit. Quotidie choro intererat. Festis Natalitiis, domo, ad primum æris campanæ pulsum, exiens, januas ecclesiæ clausas reperit. Genua flexit in solo, nive obducto, donec illæ aperirentur, nec ullam seu indignantis seu quærentis protulit vocem. In id omnem intendit operam, ut capita Concilii Tridentini de Reformatione ad amussim in diœcesi servarentur. Frequenter adibat nosocomia et scholas, quas ut plurimum fundarat, in quibus Doctrina tradebatur Christiana, quam ipse pueris non raro explanabat.*

Quem in correctione sequeretur modum.

128 *Quam adhiberet normam in correctione facienda fraterna, elucet ex sequentibus ejus verbis:* Quando, *inquit,* accidunt episcopis corrigenda, D plus agat benevolentia quam severitas; plus cohortatio quam comminatio; plus caritas quam potestas; cum nemo nostrum sine reprehensione aut sine peccato vivat. Nam si Dominus Petrum statim post primam correctionem judicasset, non tantum fructum ex eo percepisset.

Edit alteram Instructionem Pastoralem.

129 *Mense Novembri, Instructionem edidit de servanda fide orthodoxa, typis mandatam inter Statuta Diœceseos, in qua regulæ et adjumenta præscribuntur, ut fideles ab errore serventur immunes.*

Neptem suam febre liberat.

130 *Hippolyta de Brivio, neptis B.* Alexandri, *nupta primario viro Ticinensi, Petro Antonio Gonfalonieri, acuta laborabat febri, ut sensibus destitueretur. Illam, monitus a marito, invisit* Saulius, *die sancto Joanni sacro. Dum accederet, uxori dixit Petrus:* Ecce avunculus tuus, qui te salutatum venit. *Ad hæc verba sensus colligit infirma. Confestim ei administrat Præsul exeuntium sacramenta. Denique illam signans:* Confide, *inquit,* filia, in Dominum. *Attamen animadvertens maritum ex his verbis nimium sperare de salute conjugis, medicos advocari jubet, quorum judicio melius quidem habe-* E *bat ægra, sed nihilominus febri æstuabat. Tandem paulo post, præter solitum illam oppressam reperiens:* Bono, *inquit* Saulius, animo jam esto, filia: festo Purificatæ Virginis, lecto surges. *Atque ita res habuit, ut solemniter testatus est Gonfalonierius.*

Pastorales litteræ ad Sanctimoniales, alteræ litteræ de sacris cæremoniis. Instructio pro Ordinandis.

131 *Mense februario anni* 1592 *tertias, seu potius quartas edidit litteras Pastorales, plenas salutaribus sapientissimisque de religiosa perfectione monitis et doctrina. Diriguntur ad civitatis ac diœceseos Sanctimoniales. Postrema ejusdem mensis die alias rursus dedit Litteras de veneratione locis sacris et sanctis cæremoniis adhibenda. Litteræ istæ insertæ fuerunt deinde ab Alexandri successoribus libro, cui titulus:* CÆREMONIÆ ECCLESIASTICÆ, *singulis annis in ecclesia prælegendæ. Indicem quoque composuit sciendorum ab iis qui ad sacros promovendi sunt Ordines: opus tam examinatoribus quam ordinandis perutile; cujus bina misit pater Bascapeo exemplaria:* non quod scriptum, *inquit,* istud tua dignum sapientia existimem; sed ut quidquid a me exaratum est tibi communicetur.

Inter concionandum sensibus abripitur.

132 Postremo, *inquit Gerdilius* (*lib.* III, *cap.* 5), F Bacchanalium octiduo, *assidue interfuit sacris cæremoniis in ecclesia Barnabitarum, quas ipse olim ibidem instituerat, preces nempe publicas, Adorationem SS. Sacramenti solemnem. Quotidie pro concione dicebat. Nec prætermittendum hic est quod assumptis in thema verbis Baruch:* O Israel! quam magna est domus Dei et ingens locus possessionis ejus, *protinus sensibus abreptus ac in extasim actus videretur, oculis in cœlum levatis, corpore stans immoto. Posthæc verba faciens, thesauros divino ex lumine haustos in populum effudit.*

Ejus per Quadragesimam exercitia.

133 *Per Quadragesimam pro more suo jejunium servavit severissimum, unica refectione contentus* (*non enim collationem adhibebat*). *Nec alio utebatur cibo, quam pulte orizæ, aqua decoctæ et modico sale conditæ. Præterquam quod choro et concioni interesset, ipse non raro per urbis ecclesias verba faciebat, aliorum defectu, sive valetudine sive alia quacumque ex causa impeditorum. Hebdommade Majori, illa præstitit in cathedrali sua, quæ per Bacchanalia in Barnabitarum ecclesia obeunda susceperat. Primo triduo, quo Adoratio, ut dici solet, quadraginta ho-*

rarum

A *rarum habebatur, vix non perpetuo coram Sanctissimo erat, ab oratione haud desistens, nisi ut verba faceret ad sodalitia variosque civium ordines, qui ad ecclesiam statutis conveniebant horis. Reliquis diebus, perstabat eodem modo coram Sacra Hostia in sacello, prout assolet, asservata.*

Monasteria visitat.

134 *Elapsis festis paschalibus, per civitatem monasteria visitavit. Idque monendo, instando, supplicando effecit, ut in nonnullis deinceps regularem disciplinam perfecte restituerit.*

Ingenti fluminis, divina ope, eripitur periculo.

135 *Ineunte Junio ejusdem anni cœpit perlustrare diœcesim, juxta modum in Corsica adhibitum, plurimum laborans, parcissime vivens, nec passus cuipiam se oneri esse. Initium duxit ab oppidis* Cairate *et* Sesto *nuncupatis, quæ licet Mediolanensi inserta diœcesi, quoad spiritualia ad Ticinensem spectant. Sextio Papiam versus per Ticinum amnem rediens, ingenti periculo divinitus eripitur. Vide Gabutium num.* 44. *Retulit Nicolaus Boerius (Boeri) e domestica* Saulii *familia, qui præsens aderat, sibi nec in mentem venisse de periculo sollicitum esse;* B *ratus non passurum Dominum, navem, qua vir tam sanctus vehebatur, quassari. Addit omnes salutem suam miraculi instar habuisse; nauclerumque diserte affirmasse certæ ruinæ objectos, nec integros nisi ob merita beati Præsulis evasisse. Redeunti tota civitas Ticinensis, quo nuntius de eventu jam pervenerat, obvia turmatim accurrit.*

Urbes et vicos cis citraque Padum visitat.

136 *Paulo post percurrit urbes vicosque cis citraque Padum disseminatas, sicut et fertilitate insignem provinciam Lumellinam. Licet viribus debilitatus, infirmaque utens valetudine, non destitit consuetis Visitationis vacare muniis et laboribus. Cumque moneretur ut sibi parceret, non negabat aliquid forte hac in parte præstandum; nec tamen præstabat.*

Ticinum redit ad festa celebranda Assumptionis et Nativitatis B. M. V.

137 *Ticinum rediit ad celebranda festa Assumptionis et Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis in ecclesia cathedrali. Omni enim tempore, singulari tenerrimoque amore sanctissimam prosecutus est Dei Matrem. Duplici concione filios suos hortatus est, ut inconcussa fiducia magnaque cum devotione ad eam recurrerent. Atque postrema hæc fuere verba, quæ Ticini ad populum habuit. Die Assumptionis Octava* C *majus consecravit altare ecclesiæ sancti Michaelis.*

Seni membrorum usum restituit.

138 *Interruptam exinde resumpsit visitationem. In oppido Bassinianensi (Bassignano) Ordinationem habuit, feriis quatuor temporum. Haud procul inde jacet vicus* Pietro di Marazzi *dictus. Hic degebat vir quidam, nomine Franciscus Longhi, membrorum usu tum ex diuturno morbo, tum ex senio destitutus. Qui cum audisset de adventu Episcopi, jussit ad ecclesiam se deferri, firma spe nixus recuperandæ valetudinis: nec vana fuit expectatio. Accepta namque beati Præsulis benedictione, illico vires a tot jam annis amissas, recepit integras. Rem testatus juridice est vici parochus, Cæsar Clarius. Atque ultimum id fuit sanationis beneficium a* Saulio, *dum in vivis erat, cœlitus collatum.*

Monitum.

139 *Antequam Gabutius de sanctissima beati Præsulis morte tractet, duobus capitibus,* V *scilicet et* VI, *præcipuas ejus laudat virtutes. Cum nil, quod his addamus, occurrerit, sequentem notam capiti* VII *affiximus, ubi paulo latius, quam apud Gabutium, dicendum erit de extremo beati Viri morbo et obitu.*

(1) Gerdil, lib. III, cap. VI.

D

NOTA 91 ad pag. 827, littera D.

B. Saulii morbus et sanctus obitus.

Ad *Gabutii cap.* VII. *num.* 71. Spiritum Deo reddidit, Quinto Idus Octobris, Dominico die, hora circiter sexta decima, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, ætatis vero suæ duodesexagesimo.

Caleti visitationem auspicatur

140 *Ex Bassiniano, quod quidam tradunt esse antiquam* Augustam Batienorum (1), *ultima Septembris die se contulit B.* Alexander *Calotium (Calozzo) quod oppidum est munitum provinciæ Astensis (Asti) feudum celebratissimæ Rubeorum (Roveri) familiæ. Comes Hercules Roverus, loci toparcha, studiis incumbebat Ticini, cum ibidem versaretur* Saulius *in inchoata, ut diximus suo loco, Barnabitarum domo. Herculi a confessionibus tum fuerat, et morbo laborantem paterne foverat. Advenienti* E *itaque beato Præsuli obviam ille processit, enixe rogans ut apud se diverteret. Abnuit Episcopus, quod fixum ei esset inter visitandum parochorum contubernio uti. Primam Octobris diem impendit consuetis Visitationis ministeriis: concioni, catechismo, administrando Confirmationis sacramento, lustrandis ecclesiæ et altaribus, audiendisque eum convenientium sive querelis sive postulatis.*

Ingruente morbo, defertur ad ædes comitis Herculis Rovert.

141 *Noctu laborare podagra cœpit ex pede dextro, non sine febri, ita ut sequenti die lecto exsurgere non valeret. Ne ergo molestus nimium foret parocho, urgente etiam Hercule Comite* (Carolum *vocat Gabutius; ast standum potius videtur Gerdilio et Barellio* (2), *qui uterque* Herculem *scribunt) in hujus ædes se transferri passus est. Ejus conjux, Carola, Andreæ Roveri Calotiensis comitis filia, matrona pientissima summo cum gaudio Sanctum excepit fovitque hospitio.*

Invalescit morbus, multo cum cruciatu.

142 *E lecto doloris ad Dominum sine mora clamavit, jubens largas eleemosynas distribui tum ecclesiis tum pauperibus Ticinensibus, precesque publicas indici.* F *Medicus artis suæ haud gnarus, venam aperuit mandavitque ut copiosius quam solebat cibo uteretur. Licet invitus paruit tamen* Saulius, *non obstante mali, quod ex infausta illa præscriptione sentiebat, incremento. Alius accersitur medicus. Hic rectius quidem, sed nihil felicius morbum aggressus est. Quarta Octobris die, quæ Dominica erat, sacram recepit ex devotione communionem. Interim febris ardentius urebat; atque præter podagræ cruciatum, ingentes persentiit toto corpore, quod undequaque intumuerat, dolores. Nihilominus in patientia possidebat animam, divinæ subditus voluntati, identidem exclamans:* Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Rom. 7. 24

Generalem instituit confessionem.

143 *Aberat P. Rotula (Rottoli) ejus confessarius et comes individuus, adversa valetudine tunc prohibitus Calotium accedere. Ast P. Gregorius Asinari, ex Barnabitarum quoque familia, cum in sancti Marsani pago, unde nobilis Asinariorum stirps cognomen habet, casu tum degeret, non omisit ad sanctum Præsulem properare. Quem cum cum vidisset* Sau-

(2) Gerdil, ubi supra. Barelli, lib. VI, cap. V, pag. 360

lius

A lius, *eum tenerrime amplexatus :* Deo gratias, *exclamavit :* Moriar saltem in sinu alterius ex fratribus meis. *Vix effatus hæc erat, ecce ex improviso adest et ipse P. Rotula. Itaque beatus Episcopus generalem totius vitæ, quam nulla umquam gravi maculaverat culpa* (1) *instituit confessionem.*

condit testamentum; 144 *Potestatem ei fecerat Gregorius XIII condendi testamentum. Plura donavit semper sibi carissimæ Barnabitarum Congregationi, sicut et domesticæ suæ familiæ; tum etiam seminario Aleriensi et ecclesiæ Ticinensis pauperibus. Cum se inhumandum mandasset in ecclesia cathedrali, rogatus quo loco, respondit : non alia, quam ubi cæteri fideles condi solent et quidem promiscue cum illis. Confer Gabutium num.* 73, *ubi enucleatius de legatis in testamento agit. Nec prætermittenda hoc loco sunt, quæ habet Benedictus XIV in hanc ipsam rem* (De servorum Dei Beatificatione) *Postquam enim dixisset* (2) in causa Papiensi tunc Servi Dei, nunc B. *Alexandri Saulii* et in citata Patavina Cardinalis Barbadici revisa
B fuisse testamenta ab eis condita, *inferius* (3) *addit:* Memini in causa B. *Alexandri Saulii* ex Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ad Aleriensem, deinde ad episcopatum Papiensem (*seu Ticinensem*) assumpti, dum Promotoris officio fungerer, duplicem, et quidem non modicam, excitatam fuisse difficultatem : alteram, quod, licet Regularis, testamentum condidisset, et hæc fuit de medio sublata per exhibitionem facultatis testandi ipsi concessæ a summo Pontifice Gregorio XIII; alteram, quod non servasset modum in facultate præscriptum, et hæc quoque de medio sublata fuit a Postulatoribus, qui ostenderunt conditum ab eo fuisse testamentum ad causas pias, servatis ad amussim quoad substantiam et quoad modum præscriptis in Indulto Gregoriano.

viaticum accipit; 145 *Sabbato, qui Octobris decimus erat dies, petiit instanter Viaticum, ad quod hora integra meditationi data, se præparavit, rursusque peccata confessus est patri Asinario. Tum per mediam ferme horam de excellentia divinæ Eucharistiæ disseruit. Fide tenerrimaque devotione plena erant ejus verba, adstantes, haud exiguo numero, ad lacrymas moven-*
C *tia et singultus.*

famulis suis valedicit, et extrema donatur Unctione. Job. 14. 14. 146 *Versus noctis medium, rogatus a comite Hercule quo se haberet modo :* Expecto, *inquit,* donec veniat immutatio mea. *Illuscescente die, Extrema postulavit muniri Unctione. Convocatis dein famulis, ultimum benevolentis animi exhibuit testimonium ; blande eos consolatus, lætumque se mori professus, quod in obeundo munere pastorali id sibi contingeret, veniam ab eis petiit, si quando tristitia affecisset, vel alias offensioni fuisset, singulis monita dans saluberrima. Tandem impertita eis, inter fletus et gemitus, benedictione dimisit. Recepta dein Unctione sacra, recitari a P. Rotula voluit Animæ Commendationes; quibus respondebat, invocans sanctissimum Jesu nomen ; seque ipse signans in fronte et pectore.*

Sanctissime moritur. 147 *Gratias præterea agebat, quod mentis plene compos moreretur. Denique P. Rotulam rogavit, ut Dominicam prælegeret Passionem ex Evangelio sancti Joannis : qua ad mediam fere partem recitata, sustulit in cœlum oculos, atque leniter spirans, animum Creatori suo reddidit, undecima Octobris die anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, ætatis suæ quinquagesimo octavo.* D

Corporis status. 148 *Continuo vultus ejus, morbo fractus convaluit, et miro veluti splenduit decore; quod indicium adeptæ jam gloriæ interpretabantur. Protinus cœperunt singuli aliqua ex iis, quæ sancto Viro usui fuerant, sibi vindicare ; et nominatim canonicus Bellingerius, Ticinensis ecclesiæ pœnitentiarius, retinuit librum de Imitatione Christi, quem B.* Saulius *secum ubique ferebat, et qui sub pulvinari morientis repertus est.*

Audita ejus morte, fit populi concursus. 149 *Vulgata beati Viri morte, ingens illico fit concursus, ut januæ non solum arcis seu ædium comitis Roveri obserandæ fuerint, sed portæ etiam oppidi. Nihilominus ingressi plures sunt, manus ejus pedesque osculaturi. Paulo post, pontificali in ornatu, exponitur funus in præfatæ arcis conclavi, quo per vices conveniunt sacerdotes et clerici, officium defunctorum recitantes. Sequenti die, defertur ad oppidi ecclesiam, ubi stupendum inter populi concursum,* E *justa funebria solvuntur.*

Sacrum corpus deponitur in parochiali ecclesia Calotii; 150 *Dessecto corpore, inventum est jecur tumidum et induratum, pulmo exulceratus. Viscera composita Calotii in parochiali ecclesia, ad quæ exinde fideles perpetuo confluxerunt, nec pauca patrata sunt miracula. Sacrum corpus delatum est usque ad Tanarum fluvium, atque inde cymbæ impositum, Papiam versus devectum. Addit Gerdilius cymbam impegisse in Molendinas, juxta Alexandriam, sed absque detrimento ; Ticinum appulit* XIV *Octobris.*

hinc Ticinum transfertur : exequiæ. 151 *Depositus primum beatus Præsul in ecclesia a S. Bartholomæo dicta, atque recognitus a Vicario et Archidiacono, præsentibus viris ex clero et civitate primariis ; sub noctem sequentis diei delatus ad cathedralem est. Transiit pompa funebris sub porticu tum adhuc integra, ubi die ingressus sui in urbem, prænuntiaverat populi jubilationem, priusquam præteriret annus, in luctum esse vertendum. Elucescente die, quæ erat* XVI *Octobris, exequiæ celebratæ sunt, sub quibus P. Carli, ex Barnabitarum familia, orationem funebrem habuit, non sine ingenti lacrymarum imbre. Tumulatum corpus ibidem est in majori navi, ad imos gradus, quibus in sanctuarium ascenditur. Primum sequens apposita est inscriptio :* F

ALEXANDER SAULIUS EPISCOPUS PAPIENSIS
HIC JACET.

Ast brevi post alteram composuit P. Mazzenta, qui et Vitam illius scripsit. Quam vide apud Gabutium, in Annotatis *ad cap.* VII *littera* c. *Confer etiam ibidem num.* 72-75.

NOTA 92 ad pag. 832 littera F.

Miracula post mortem B. Saulii patrata.

A*d Gabutii caput ultimum, num.* 100 *ad calcem. Sub* Additamenti *nomine, operi suo subjicit, ex P. Petro Grazioli, Barnabita, qui* B. Saulii *Vi-*

(1) Gerdil, lib. III, cap. VI.
(2) Lib. II, cap. XXVI, num. 3.
(3) Lib. III, cap. XXXV, num. 11.

tam.

A *tam, quo tempore hic in numerum Beatorum relatus fuit, edidit, plura miracula, a sancto Præsule post mortem patrata atque juridice declarata in processu Beatificationis. Hæc itaque hic ex gallico in latinum versa adscribenda sunt ; suppressis tamen paucis aliquibus, quæ Gabutius habet, scilicet cap.* VIII, *num.* 82, 83, 86, 87, 88, 89, 95, 97, *ubi Gerdilius habet, non ut Gabutius Daria de* Regibus, *sed* di Leggi, *item num.* 99, *quod secundo loco refertur de Antonia Succia.*

Ruricola ex paralysi convalescit.

I. *Anno* 1613. *Stephanus Gesuala, agricola Calotiensis, tanto laborabat toto corpore cruciatu, ut jam septimo mense immotus lecto affixus jaceret. Quadam die, reptando potius quam incedendo ecclesiam petit. Quod videns matrona Carola Rubea (Rovera) uxor toparchæ, cum hortata est ut in lapide, sub quo condita erant* B. Saulii *viscera, sese collocaret. Paruit ille, cœpitque coronam B. M. V. devote pervolvere. Dicta media ejus parte, a plantis usque ad renes convaluit; absoluta corona, perfecte sanus ad suos rediit.*

Mulier a gangræna sanatur.

B II. *Anno* 1619. *Catharina, Hieronymi Farsinæ, civis Novariensis, uxor alteram tibiam gangræna fœde tabidam habebat, præterea acri æstuabat febri. Frustra, integrum per annum, medicos adhibuerat. Desperata vocat confessarium suum, P. Leandrum Boniperti, ex Congregatione Barnabitarum, hic illi auctor est, ut ad* B. Saulium *confugiat, spondens, si sanitatem recuperet, oblaturam se ad ejus tumulum argenteam tibiam, ac curaturam ut sacrum in ejus honorem celebretur. Protinus sublatum est malum, et sequenti die votum solvit.*

Altera, abortum passa, convalescit.

III. *Anno* 1659. *Margarita Cajetta Ticinensis, cum gravida esset, ex scala cadens abortum passa est. Accedente febri, summos inter dolores ad extremum redigitur. Jamque moribunda beati Præsulis veste (Rochetto) signatur, quod ipsa dein magna cum fiducia ad sinum sibi applicans, illico convaluit.*

Ischias depulsa.

IV. *Anno* 1672. *Angela Camilla Bruni acutissima divexata ischiade, jam lecto exsurgere non valebat. Nocte quadam quum præter solitum cruciaretur et vix non desperaret, apparet ei* B. Saulius *in pontificali ornatu atque miro splendore coruscans: bene sperare jubet, preces aliquas ei dicendas præscribit, ac demum eam signans ex oculis sublatus disparet. Eodem momento mulier sanitati restituta est.*

C

Frater laicus ex Barnabitis, ex febri morti jam proximus sanatur;

V. *Mense Augusto anni* 1674. *Laurentius Maria Obez, Frater laicus in collegio Patrum Barnabitarum Ticinensi septuaginta annos natus, ex febri, quam purpuream vocant, desperatus jacebat. Præsentibus patribus, recitantur animæ commendationes, ac tandem signatur moribundus beati Præsulis veste linea seu, ut dici solet, Rochetto. Nec mora sanus assurgit, ita ut medicus, chirurgus cæterique, quibus notus erat, eum deinceps* mortuum resuscitatum *vocarent.* Atque hoc alterum ex duobus miraculis est a S. Congregatione, in Ordine ad Beatificationem, probatis.

aliud simile.

VI. *Teresia Valle animam agens, eadem veste linea signata, protinus sanitatem recuperat.*

Canonicus pœnitentiarius a febre liberatus;

VII. *Joannes Persiloni, Canonicus pœnitentiarius Cathedralis Ticinensis, anno* 1676 *perniciosa correptus febri, morti jam proximus obversabatur. Facta confessione generali, S. Eucharistiam, ob vomitum continuum, recipere non poterat : at quoties oculos haberet clausos, videbatur sibi videre aliquem ex Barnabitarum familia. Exin in spem erigitur recuperandæ valetudinis per intercessionem* B. Saulii, *rogatque signari memorata veste linea ; illico obdormit, febris evanescit, ac sequenti die sanus et integer Sacrum celebrat in gratiarum actionem.* D

mulier item a tumore.

VIII. *Anno* 1678. *Apollonia Capucci, medicum expectabat qui tumorem, quo laborabat, incideret. Magna interea cum fiducia tres suas mittit filias ut ad tumulum* B. Alexandri *orent : redeunt illæ, nihil matri sua opitulatæ ; secundo illas mittit, nec meliori cum successu ; tertio tandem accedunt ; et ecce eodem momento mater obdormiscit ; cumque experrgefieret, evanuerat tumor, ut medicus integram beneque valentem reperiret.*

Miles ex paralysi convalescit.

IX. *Carolus Bertol inter equites optio (caporal) jam diu paralyticus, ardendi corripitur febri, qua quidem, Beati Rochetto signatus, liberatus fuit. Ast paralysi obnoxius remanens, ad tumulum deferri voluit, in quo, cum aliud non posset, jacuit prostratus, ferventi animo invocans beatum Præsulem ; nec frustra, subito enim soluta paralysis est : surrexit, atque Cancellarium Episcopi conveniens, rem prout gesta erat, aperuit ; nec posthac umquam id genus malo laboravit.* Hoc alterum est miraculum a S. Congregatione probatum. E

Puellulæ manus læsa integra restituitur.

X. *Apollonia de Bonis, annos nata duos cum dimidio manum apposuerat thecæ, cujus sublevatum erat operculum ; quod subito lapsu in manum incidit. Avus perterritus præceps ad tumulum beati Præsulis accurrit, spondens argenteam se palmam oblaturum, si puellula sana foret. Domum rediens manum reperit integram.*

Civis Ticinensis, bis aquis immersus, salvus evadit.

XI. *Anno* 1613. *Stephanus Campeggi, civis Ticinensis, cymba per Padum vectus, ab inimico gladio in caput percutitur : nec utique illæsus abiisset, ni eodem momento conversus, ferrum illi eripere allaborasset. Ast inter hæc capite deorsum in flumen lapsus est : quem illico alter pedibus arripiens, aquis immersum tenuit, nec dimisit donec interemptum crederet. Eo loci, ut postea compertum est, aquæ ad altitudinem octo hexapedarum ascendebant. Ad* Saulium, *quo licebat modo, Stephanus confugiens atque erectus, quasi innixus solo esset, adversoque incedens fluvio, pectore tenus fluctibus tantum immersus, ad cymbam pervenit. At rursus duplici in caput feritur ictu, nec hic stetisset adversarii furor, ni præceps alter in aquas sponte se dedisset,* Saulio *rursus se commendans. Denuo veluti solo innititur ; aquis non ultra pectus ascendentibus, processit, atque ripam attigit salvus ; ubi alligata ejus vulnera sunt ; ipse vero gratias, de duplici accepto beneficio, egit beato Præsuli.* F

Juvenis a venenato morsu sanatus.

XII. *Antonius Sancti, ex morsu ad oculum venenato, morti proximus decumbebat. Votum faciunt parentes* B. Saulio, *et eodem fere momento salvum recipiunt filium.*

puella a cæcitate,

XIII. *Claro Boeri decennis puella, immedicabili laborabat cæcitate. Pater ejus bina beato Episcopo vovit Sacra, et illico cæcitas disparuit.*

alter ab hernia

XIII. *Paulus Hieronymus Sacchi, Bassinanensis, annos natus quinquaginta sex, hernia, incredibiles inter cruciatus, afflictabatur. Invocato* B. Saulio, *pluriesque visitato ejus sepulcro sanus factus est.*

Mulier, ex puerperio paralytica, convalescit.

XIV. *Antonia Arriani, ex vico haud procul Ticino, ex puerperio membrorum usu ex parte corporis sinistra, jacebat jam ab anno et amplius destituta. Spondet se adituram Beati tumulum, et Sacrum*

A

crum in ejus honorem celebrandum. Cum fratrem haberet sacerdotem, hic fidem datam solvendam suscepit; Ticinum venit, ad tumulum accessit, Missam celebravit. Nocte sequenti talem audiit Antonia vocem: Evigila; sanata es. *Et re quidem vera, paralysi soluta, fratri suo redeunti læta obviam processit.*

Medicus sanatur.

XV. *Joannes Petrus de Trevis, medicus Novariensis, anno* 1617, *immedicabili ex morbo morti proximus decumbebat. Adfuit ei supra nominatus P. Leander Bonperti, hortatusque eum est, ut* B. Alexandrum *invocaret. Quo facto, hora qua febri corripiendus acrius erat, convaluit.*

Infans monstro similis editus, immutatur.

XVI. *Angela Olivieri partu infantem edidit monstro quam homini similiorem. Pater ad Beatum confugit, votum ei vovens. Protinus forma immutatus infans est, atque ita permansit.*

Monialis morti proxima sanitatem recuperat.

XVII. *Martha Ludovica Confalonieri, monialis ex familia S. Augustini, jam exhalabat animam. Mater ejus, promittit se iconem argenteam ad tumulum beati Episcopi allaturam. Eodem momento melius habuit filia, brevique viribus restituta est.*

B

Puer tabe,

XVIII. *Joannes Baptista Tibaldi, puer decem et octo natus menses, tabe diffluebat. Mærens pater ad sepulcrum* Saulii *accessit, tabellamque, si exaudiretur, appensurum se promisit. Domum redux puerum dormientem invenit, qui mox evigilans bene valens surrexit; tamen rursus infirmatus est: pater enim votum solvere neglexit. Tum enimvero is fidem solvere non distulit; quo facto, filius convaluit.*

monachus hemicrania liberati.

XIX. *P. D. Marcus Antonius Bellani, monachus Benedictinus Ticini ad S. Salvatoris, vix non amens factus erat ex diuturna intolerabilique hemicrania. Cum quadam die præter solitum cruciaretur, quo potuit modo sepulcrum petiit, ac fiducia plenus opem Beati imploravit. Nec frustra, stetit illico malum, nec deinceps afflictus illo umquam fuit.*

Infans reviviscit.

XX. *Valeria Porziani, horrendos perpessa dolores, infantem edidit mortuum. Pater,* B. Saulio *devotissimus, ad eum recurrit; cumque perseveraret orans, nec tamen infans ullo signo vitam proderet, jamjam sepeliendus is erat. Ast ex improviso oculos aperit, respirat, movetur; paulo post, dato ei beati Præsulis nomine, baptizatur.*

C

fluxus sanguinis cessat.

XXI. *Andreas Torni, tertio jam decimo die sanguinis laborabat fluxu, nec ullo juvabatur adhibito remedio. Tumulum visitavit orans; atque in perpetuum liberatus est.*

Paralysis gradatim soluta.

XXII. *Aurelia Del Re, quinquennio paralytica, a medicis desperata jacebat. Audiens miracula* B. Saulii, *petiit ab eo ut saltem hoc sibi obtineret, ut nullo juvante, lecto se movere posset. Quo impetrato, rogavit ut strato exurgere valeret, quod et obtinuit. Ast cum nec stare nec incedere absque fulcris posset, nova erecta fiducia, ad tumulum accessit, ardentes fundens preces, ut vires recuperaret integras; illico exaudita est, relictisque in testimonium fulcris, domum rediit.*

Mulier sanata.

XXIII. *Hippolyta Catharina Papazzoni, conjux Petri Francisci Imberti, graviter decumbens, a medicis derelicta, morti obversabatur proxima. Votum* B. Saulio *vovit vir ejus. Exin melius habuit, atque paucis post diebus plene sanata est.*

Bos resuscitatus.

XXIV. *Lucina seu Francisca Pozzi, rustica pauper, ex Valbona, haud procul Ticino, præter bovem,*

(1) Lib. II, cap. XXI num. 2, item cap. XXVII, num. 14, et lib. III, cap. XXVII, num. 3 et alibi.

D

annis jam fractum læsumque, habebat nihil. Hunc, quadam die domum redux, mortuum reperit, culicibus jam undequaque impetitum. In genua procumbit mulier, invocatoque B. Saulio, *Sacrum in ejus honorem dicendum promittit, si bos reviviscat. Nec mora, assurgit integer vegetusque, et, juvenilis tauri instar, ad prata properat.*

Mulier sana fit mente et corpore;

XXV. *Anno* 1624. *Clara Biancha, maligna impetita febri, in frenesim acta, jamjam exhalabat animam. Apparuit ei* B. Alexander; *protinus mulier sana et corpore et mente exstitit.*

altera mulieris sanatio;

XXVI. *Antonia Borrona Obradora, in extremum adducta discrimen, Rochetto Beati signata, convalescit. Anno id contigit* 1667.

idem viri.

XXVI. *Valerius Gandinus, periculose decumbens, Beatum invocat, ejusque itidem signatur Rochetto; confestim viribus integer assurgit, stupentibus medicis.*

Adolescens adjutus.

XXVII. *Carolus Franciscus Barca, ab infantia laborare cœpit stranguria, Cum ad annum ætatis decimum quartum pervenisset, censuerunt medici calculum per sectionem eximendum. Pridie adivit adolescens* B. Saulii *tumulum, enixe rogans ut forti constantique animo dolorem tolerare valeret. Optimo cum successu sectio facta est quidem; ast ingruente postea febri, ab ea ejusdem ope liberatus est.*

E

Religiosus ex febri convalescit.

XXVIII. *P. D. Nicolaus Corrani, ex Barnabitarum familia, ad extrema redactus e maligna prorsus febri, visitaturum se spopondit Beati tumulum, ac brevi sanitati est redditus.*

Mulier parturiens adjuta.

XXIX. *Mulier, Dominica nomine, triduo jam ingenti cum cruciatu parturiebat, non sine proximo mortis periculo. Signata reliquiis beati Præsulis, filium enixa est.*

Vir febri sanatur.

XXX. *Anno* 1651. *Franciscus Persillonus, diu jam quotidiana æstuabat febri; quadam die, quum acrius illa corriperetur, Beato se commendans; subito convaluit, nec exinde quidquam ex ea passus est.*

NOTA 93 ad pag. 833, littera B.

F

Alexandri Saulii Beatificatio.

Veneratio post mortem Saulio exhibita.

Gerdilius, *Vitæ* B. Saulii *lib.* III *cap.* VIII, *historiam texit cultus ejus memoriæ redditi, donec solemniter a Benedicto XIV, die* XIII *Aprilis* 1741 *in numerum Beatorum relatus est. Multa etiam de eodem argumento disputat præfatus Pontifex in opere suo de* Servorum Dei Beatificatione (1), *sicut et Barelli in Memorialibus* (2). *Ex his quæ ad rem nostram faciunt, hic subjiciemus. Luctui ex ejus obitu oborto, successerunt signa venerationis haud dubia. Preces fundebantur super tumulum, non calcabatur lapis quo is coopertus erat; atque videre erat episcopum, clerum et fideles, dum supplicatio in ecclesia fiebat, utrimque recedentes, ubi ad gradus, quibus in sanctuarium ascenditur, pervenerant, ne super sacrum depositum transirent. Ejus quoque sanctitas testimonio confirmabatur virorum eximiæ dignitatis et sapientiæ, quorum memoria in benedictione est: Caroli inter alios Bascapei (de Basilica*

(2) Memorie de' PP. Barnabiti, lib. VI, cap. VII, t. I, p. 393 et seqq.

Petri)

A *Petri) Novariensis episcopi et Cosmi Dosserii* (1) (*Gerdilius scribit Dossene*) *Derthonensis* (*Tortona*) *præsulis : uterque Barnabitarum secuti erant institutum, uterque* B. Saulium, *dum inter mortales degeret, noverant. Bascapeus diserte pronuntiabat se eum ut sanctum habere ; Dosserius non dubitabat beneficia per ejus intercessionem cælitus collata, conferre cum miraculis ad invocationem S. Caroli Borromæi patratis. Eadem sentiebat venerabilis Petrus Georgius Odescalcus, Alexandrinus primum postea Viglevanensis seu Viglebanensis* (*Vigevano*) *episcopus, cujus Vitam Actis nostris inseruit Papebrochius, Propylæo Maii, ante* Conatum critico-historicum. *Ille quondam rogavit P. Bellarinum, virum ex Barnabitarum familia ab eminenti doctrina scriptisque libris longe notissimum, quid causæ esse ipse crederet, cur Deus, post S. Carolum, tantis fulgere vellet* B. Saulium *miraculis ; qui respondit ita se existimare : Dominum ostendere voluisse, per S. Carolum, quemadmodum tam vitæ quam regiminis austeritate ; per* B. Saulium *vero, quemadmodum* B *mansuetudine morumque suavitate ad sanctitatem perveniatur. Refert Bellarinus Odescalcum probasse ejus sententiam et addidisse sibi id certum, Deum probare etiam voluisse quo loco haberet recens natam Congregationem, cui tantæ virtutis et meriti dederat alumnum. Octavius quoque Belmostus, qui proxime* B. Alexandro *in Aleriensi sede successerat, et postea Cardinalibus annumeratus fuit, pictam apud se ejus tenebat imaginem, nec ullum patiebatur transire diem, quo eum non invocaret tum sibi tum gregi suo. Clerus Algarolensis elevare jussit ejus Cathedram ; ornatus vero sacros, supellectilem, litteras, quas colligere licuit, Reliquiarum instar habuit. Postea Decius Justinianus, Ordinis Prædicatorum, Aleriensis item episcopus, anno 1621 luculentum exaravit testimonium de heroicis* B. Alexandri *virtutibus, qui zelo indefesso universam reformarat diœcesim, cujus fructus feliciter perseverant ; addit memoriam illius per omnem Corsicam summa in veneratione esse, ejusque invocatione patrari miracula. Testimonium in extenso dat Barellius* (2).

Ejus cultus Calotii;

2 *Calotii conclave, in quo vita functus erat, religiosissime custodiebatur, fuitque saluti puellæ adversus effrenem viri libidinem. Dudum jam conatus nequidquam erat illam seducere. Ast quadam die eam* C *reperit in præfato conclavi, clausoque ostio, vi opprimere parat. At illa, invocato beato Præsule :* Vide, *exclamat,* quo locus simus : hic vir Sanctus spiritum Deo reddidit. Vide ne polluas locum hunc sanctum, ne cœlestem in caput tuum concites vindictam. *Perculsus juvenis meliora sapit, facinus horret, egreditur ; et quod majus est, libidinis stihorret, egreditur ; et quod majus est, libidinis sti- Nec prætermit-mulis deinceps non fuit exagitatus. tendum Carolam, Comitis Herculis toparchæ conjugem testatam esse, singulis annis ad diem* XV *Octobris in arce Calotiensi celebratum fuisse ejus festum cum prævio jejunio.*

ex miraculis [illegible]

3 *Anno* 1610 *aucta in Beatum est veneratio et fiducia ex miraculis haud paucis per ejus invocationem patratis. Itaque cancellis circumdatum est sepulcrum, ad quod undequaque ferebantur donaria. Ast Joannes Baptista Bilius, Ticinenssis episcopus, quamvis* Saulio *imprimis devotus, ratus tolerandum haud esse cultum, a Sancta Sede nondum probatum*

D *qua persuasione, qua auctoritate illum inhibere tentavit. Auferri itaque donaria et votivas tabellas jussit. Cum nihil proficeret, imo vero populus accurreret ardentius, obserari ad tempus ecclesiæ cathedralis januas præcepit, ast haud feliciori cum eventu. Brevi vulvæ obductæ erant votivis tabellis, cereis aliisque id genus. Clausa permanserat Cathedralis a Dominica in Albis seu* Quasimodo, *usque ad Ascensionem Domini. Tunc enim vero, urgente Capitulo, aperiendæ fuerunt : timendum enim erat, ne furente populo, effringerentur valvæ. Exin infinitus factus ad sepulcrum concursus est. Supplicationes ex variis pagis accedebant densissimæ. In vulgus spargebantur* Saulii *effigies, aureola circumdatæ, atque* Beati *titulo inscriptæ, prout jam a populo dictus erat.*

Sententia Bellarmini.

4 *Atque ita factum est usque ad annum* 1614, *quo episcopus informationes ad Urbem mittendas curavit. Sacræ Rituum Congregationi præerat Venerabilis Cardinalis Bellarminus, cui cum exhiberetur effigies aureola donata :* Ipse est, *exclamavit ;* noveram : amicus mihi erat : vir vere sanctus : ipsi debetur hæc corona. *Tum facta ad Paulum V relatione, Episcopi Ticinensis oratoribus declaravit,* E *mentem Sanctissimi Patris non esse impedire cultum, illumque optare ut in acta referantur miracula quæ deinceps patrarentur, ne eorum memoria excideret. Addenda hic veniunt ex Benedicto XIV* (3). *Definito casu excepto ex permissione S. Congregationis Rituum, quem in eo consistere dicit, ut Congregatio vi jurisdictionis sibi datæ per bullam Sixtinam, ex se permittat, ut alicui Servo Dei aliqua cultus publici species exhibeatur (quod tamen notat jam non fieri post Urbani VIII decreta), addit :* Pertinere videtur ad casum exceptum ex Permissione S. Congregationis, quæ contigerunt in causa Servi Dei Alexandri *Saulii,* licet hæc postea processerit per viam non cultus... Venerabilis Dei Servus Cardinalis Bellarminus hortatus fuit, ne cultus in honorem *Alexandri* prædicti introductus interrumperetur ; atque adeo ut continuaretur, monuit. *Quievit exin antistes ; cultusque beati* Saulii *non solum per totam Longobardiam obtinuit, sed et montes transcendit, atque in Sabaudia, Gallia et Germania invaluit. Anno* 1615 *S. Franciscus Salesius beatum Præsulem ex altiori loco laudavit, eximiam ejus celebrans sanctitatem ; commemorans* F *etiam eum S. Carolo Borromæo a confessionibus quondam fuisse, virtuteque miraculorum donatum, tum ante, tum post obitum.*

Quid post editum Urbani VIII

5 *Anno* 1625 *editum est decretum Urbani VIII, inhibentis cultum reddi Servis Dei, nisi sint canonizati vel beatificati. Hinc dubitatum an legitime deinceps* Saulius *coleretur. Theologos et canonistas consuluit Fabricius Landrianus, qui tum Ticinensem tenebat sedem ; omnes una voce responderunt, non comprehendi* B. Alexandri *cultum sub Urbani decreto, qui formaliter excipiebat cultum tolerantia sive Sanctæ Sedis sive Ordinariorum innixum. Id quoque testatus est anno* 1645 *alter Ticinensis Antistes, Joannes Baptista Sfondratus, addiditque devotionem erga* B. Alexandrum *ita late esse propagatam, tamque alte animis inhærere, ut non sine periculo sive tumultus sive offensionis parvulorum tolli posset. Denique delata causa S. Rituum Congregationi est, atque Beatificationis processus juri-*

(1) Ughelli Italia Sacra, t. IV, col. 652. — (2) Loco cit pag. 391. — (3) De Serv. Dei Beatif., l. II, c. XXI, n. 1 et 2

dice

A *dice instructus. Quo clariora hæc fiant, audiamus iterum Benedictum XIV* (1) : Aliquando, *inquit*, dubitatum fuit, an in causa Beatificationis et Canonizationis, in qua Fidei Promotor ostenderit, non fuisse statim paritum decretis *(Urbani VIII)*, vel post eorum promulgationem retentas adhuc in altaribus Imagines Servi Dei neque beatificati neque canonizati, vel votivas adhuc tabellas ad ejus sepulcrum appensas superfuisse, novumque post eadem decreta cultum publicum introductum ; an, inquam, hac in causa imponenda sit pœna negationis audientiæ, ita ut non sit in posterum permittendus ad ulteriora progressus, licet Postulatores plene porro demonstrent, dictum cultum sublatum fuisse. Verum hodie quælibet cessat difficultas, tum quia pœna hæc non fuit absolute et simpliciter in decretis expressa, tum quia decretorum violatio eatenus impedimento est causæ progressui, quatenus de cultus amotione nulla exhibetur certitudo : hæc enim est natura pœnæ, quæ imponitur pro contumacia, non
B pro crimine, ut ea scilicet cesset, cessante contumacia... Re vera plurimæ sunt Beatificationis et Canonizationis causæ, in quibus non aliam ob rationem probatus fuit non cultus, progressusque ad ulteriora factus fuit, quamvis in eis decretorum de non cultu violatio præcessisset, nisi quia quo tempore facta fuit petitio approbationis sententiæ de eodem non cultu, ipsa jam decretorum violatio de medio sublata fuerat. Quapropter nunc stat pro regula, quod cultus præteritus, dummodo tempore lationis sententiæ non adsit, vel si quidem adsit, amoveatur tamen, antequam sententia ipsa super non cultu confirmetur, minime impediat approbationem ejusdem non cultus et subsequentem ad ulteriora progressum. Ejusmodi nempe fuerunt causæ Gebennen. S. Francisci Salesii.... Papien. Servi Dei, nunc Beati Alexandri *Saulii*... In his quippe omnibus et compluribus aliis ideo approbatus fuit non cultus, quia cultus, qui adfuerat, ante judicium de non cultu de medio sublatus erat. *Quæ cum adeo fidenter asserat Benedictus XIV, qui in causa* B. Saulii *præ-*
C *cipuas partes habuit, locus dubitandi non est, tempore opportuno ejus cultum interruptum fuisse. Atque ita interpretandus Gerdilius est ; secus a vero aberrare dicendus erit.*

Scriptorum ejus revisio.

6 *Quod ad scriptorum ejus revisionem spectat, sequentia tradit idem Benedictus XIV* (2). Constat aliquando vel ex titulis vel Historicis opera fuisse a Dei Servis conscripta, quæ tamen reperiri non possunt. Porro in hoc rei eventu id S. Congregationi est exponendum ; quæ, si opera sint extra Urbem, dare consuevit litteras Episcopis locorum, ut vel ipsi exquirant libros, de quibus agitur, vel perquiri faciant a suis Vicariis Generalibus, cæterisque personis in Ecclesiastica dignitate constitutis. Ita autem, ut cætera prætermittantur, factum fuit in causa Papien. Servi Dei nunc B. Alexandri *Saulii*, uti colligitur ex decreto edito die xv Maii 1694. *Et alibi* (3) : Denique cum debeant Revisores (quemadmodum et paulo antea monuimus) operum relationem scriptis mandare, ut id statuta ratione peragant, oportet, ut in ea exprimant Operis titulum, sub- D stantiam et divisionem, Auctoris consilium indicent, nec non propositiones, si quæ sint, censura dignas ; difficultates, si quas habent, excitent, nec omittant earum solutiones ac responsiones subjicere, si aptas judicaverint ; et tandem suum proferant *votum consultativum*, relationem proprio charactere, proprioque nomine subscribendo, et omnia reverenter submittendo judicio Sacræ Congregationis, summique Pontificis.

Ex decreto quoque Sacræ Congregationis mox referendo debent illud Revisores in relatione operis exprimere, si typis impressum sit, Excusoris nomen et locum impressionis ; nec non, sive impressum sit, sive manuscriptum, indicare debent numerum capitulorum ac paginarum. Cum enim aliquando Servi Dei plura conscripserint opera, et aliquorum quidem habeatur notitia, non autem aliorum ; prudenter introductus mos fuit, ut prædicta omnia exprimantur, quo sciatur quæ postea adinveniuntur, fuerint, necne, revisioni subjecta. Item cum plures sint unius operis editiones, quarum una aliquando ab alia differt, re- E cte statutum fuit, ut non omittatur aut nomen excussoris aut locus impressionis, et hoc ipso semper in comperto sit, quænam sit editio, quæ fuit revisa. *(Subsequitur decretum* I *Octobris* 1661, *quod vide loco citato, num.* 13.)

Ante hujus decreti editionem fiebat quidem operum revisio ; sed cum eadem verbis generalibus exprimeretur, dubitatum fuit, utrum ipsa suffragare posset causis, quæ adhuc absolutæ non sunt, an potius ad novam revisionem procedendum esset.... Semper tamen in Sacram Congregationem recepta fuit opinio novam operum revisionem exigens ; quamquam, quod attinet ad factum, non unus fuerit ejus modus, sed varius, juxta varias casuum differentias... In causa Papien. Servi Dei, nunc Beati Alexandri *Saulii*, in qua facta fuerat operum revisio sine indicatis explicationibus seu *specificationibus* usque ab anno 1657, et ideo ante sæpe memoratum decretum, deputatus fuit alius Revisor : tum ponderata ejus relatione omnia opera comprehendente, dictum fuit, quod progressus fieret ad ulteriora, quem- F admodum habetur ex decreto in causa edito, die XII Septembris 1705.

7 *Præter Imperatorem aliosque in Brevi Benedicti XIV nominatos, institit apud summum Pontificem pro obtinenda Servi Dei Beatificatione Cardinalis Kollonitzius, Viennæ in Austria Archiepiscopus, datis ad Præfectum S. Congregationis Rituum, Cardinalem Sfondratum, litteris, quibus manifestat quam ardenti non solum ipse sed etiam fideles suæ diœceseos in* B. Alexandrum, *Corsicæ Apostolum, ferantur devotione ; quare optat, ut quam primum Beatorum Albo adscribatur, tam ad fidelium ædificationem quam ad hæreticorum confusionem.*

8 *Itaque Benedictus XIV, qui causam* B. Saulii *plurimum promoverat, ipso die suæ exaltationis generalem indixit Congregationem, quæ haberi solet antequam Beatificationis Decretum edatur. Notatu dignum est Benedictum ab illa indictione Pontificatum suum auspicatum esse. Denique die* XXIII *Aprilis* 1741 *Servus Dei in numerum Beatorum relatus est. Videatur Breve in Opere ad calcem.*

(1) De Serv. Dei Beatif., cap. XVI, num. 4. — (2) Ibidem, lib. II, c. XXXIV, n. 1. — (3) Ib., c. XXXII, n. 12, 13 et 14.

AUCTARIUM

AUCTARIUM

AD ACTA SANCTORUM

TOMI VI OCTOBRIS.

ADDENDA AD DIEM XII OCTOBRIS.

NOTA 1 ad pag. 1.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

S. Pantaleemonis Nicomediensis medici et sociorum *martyrium ad diem* XV *mensis Babe, qui nobis est* XII *Octobris, recolunt Coptitæ, ut patet ex Synaxario ecclesiæ ipsorum Alexandrinæ, quod Em. Cardinalis Angelus Maius inter codices arabicos Bibliothecæ Vaticanæ recenset* (1), *et cui consonant tum Synaxarium Copticum, cujus latinam versionem ms. habemus, factam Romæ anno* 1633 *a Simone Moysis Maronita, tum etiam indices tres Martyrologii Coptici, quos Majores nostri olim nacti fuerant. Etsi vero in variis hisce documentis nomen varie scriptum est, nempe* Bentlaimun, Panthalemonis, Panataleonis, Neptelemonis, *certum tamen est eumdem designari Sanctum cum sociis Martyrem, qui in Martyrologio et Breviario Romano* Pantaleon *nuncupatur ad diem, quo etiam nostro Operi insertus est,* XXVII Julii.

S. Marcellus Episcopus et Martyr *Officio trium lectionum colebatur in Breviario Bellovacensi anno* 1554 *edito, ut nobis liquet ex Kalendario quod inde descriptum habebant Decessores nostri nobisque adhuc ad manum est. Sed quum ipso illo Breviario careamus, et Sanctus is a recentioribus Kalendariis Bellovacensibus absit, ignoramus idemne an alius sit ac Apamiensis in Syria episcopus ac martyr, quem hodie in nonnullis Fastis sacris memorari notant Decessores nostri inter Prætermissos, monentes de eo apud nos actum esse ad diem* XXIV Augusti.

SS. Alpii, Alexandri, Zosimi, Nigonii, Neonepi, Heliodori et Marci Martyrum Antiochiæ in Pisidia *memoriam hodie ab Armenis agi, discimus ex Kalendario quod Joseph Simonius Assemani tomo III suæ Bibliothecæ Orientalis ex libro* Aismavurg *seu Lectionario Armeno descripsit. In nostro Opere de Sanctis illis actum fuit ad diem, quo Martyrologio Romano moderno inscribantur scilicet,* XXVIII Septembris.

S. Antonius Meldensis episcopus *in Breviario Meldensi anni* 1650 *ponitur hoc die, dum S. Sanctinus Meldensis item episcopus inibi scribitur die proxime superiori, ad quem de utroque simul apud nos actum fuit,* XI Octobris.

Sanctæ Dommæ et Varosii et sex monachorum *ad hunc diem meminit liber* Aismavurg *seu Lectionarium Armenum, ac duo priores etiam nominantur in* Donazuiz *seu Ordine perpetuo juxta ritum Armenorum, ut in Bibliotheca Orientali Assemaniana tom. III pag.* 648 *et* 653 *videre est. Nihil nobis de iis Sanctis præter hanc annuntiationem rescire contigit.*

SS. Carpus episcopus et Papylus diaconus *hoc die in Fastis Armenis occurrunt, in Græcis die sequenti, ut ibi in Prætermissis pag.* 162 *notarunt Majores nostri.*

(1) Script. vet. nov. Collect., tom. IV, pag. 97.

A S. Agapeni Martyris *Officium ritu duplici recitatur hoc die in diœcesi Catanensi in Sicilia, sed sine lectionibus propriis, ita ut Sanctus nomine dumtaxat notus esse videatur.*

Mobius *cognomento* Clairineach, *id est,* claudus, *sequentem ad hunc diem annuntiationem habet in Martyrologio Tamlactensi :* Mobii Clarenachi, filii Beoani, de Corcutra in Lugnia Connaciæ. Uanfinnia sive Bronfinnia ejus mater fuit. Idem est ac Berchanus abbas de Glasnaidhen. *Et in Dungallensi :* Mobius Clarenachus abbas de Glasnaidhen in Galvegia ad ripam fluminis Life versus septemtrionem; et Berchanus aliud nomen ejus. Decessit ejus anima anno Domini 544. *Commemoratur etiam in Martyrologio Anglico anno* 1761 *edito* (1), *et inter adjectitios ad Calendarium Hibernicum Vitis Sanctorum Butleri anno* 1813 *subjunctum* (2). *Colganus se de eo acturum ad diem* XII *Octobris promiserat; sed nobis idem præstare non licet ob rationes quas Decessores nostri allegant in Prætermissis ad hunc*
B *diem pag.* 6, *ubi de* Moveo abbate in Scotia *ob Greveni annuntiationem loquuntur : quem* Moveum *ipsi quidem a* Mobio Clarinacho *haud diversum arbitrantur, sicut nec a* Moveano *abbate in Ferrarii Catalogo generali ad diem* VIII *Septembris memorato ; quamquam nobis probabilius apparet tres esse vel saltem duos viros inter se distinctos. Cæterum de* Mobio Clarinacho *consulatur Lanigan* (3) *et ea ad quæ is scriptor remittit Colgani loca.* D

Diermetus episcopus, Silnatanus filius Crinæti, Nennidius de Inis-cais, Brecanus, Baithenus, Begus, Foilanus, Aidanus *hodie cum Fieco Sleptensi ejusque filio Fiacrio episcopis et Mobio abbate Fastis Hibernicis inserti leguntur ; quod hic notasse sufficit.*

B. Hermannus Martyr, *frater laïcus Sangallensis in Helvetia, vir probatæ pietatis, legitur* (4) *hac die circa annum* 925 *capitis decollatione vitam pro Christi fide posuisse. Indubie indigitatam volunt invasionem Hunnorum, qui reapse anno* 925 *Sangallense monasterium vastarunt. Verum in hujus invasionis historia nulla de occiso fratre laïco mentio*; *adeoque Ildephonsus von Arx* (5), *qui diligentissime res monasterii sui et pagi Sangallensis perscrutatus est, aperte testatur, præter S. Wiboradam inclusam, neminem in visitatione illa hostili vitam cum sanguine profudisse. Cæterum nil de ejus cultu obviam habuimus.*

B. Gerardi Coloniensis, eremitæ in Ægypto, *cujus vita legitur in Historia B. Lidwinæ, memoria annuntiatur hodie a Gelenio* (6), *quoniam hac die, anno* 1426 *eum ex hoc sæculo transivisse docta fuit ab Angelo B. Lidwina. Ejus gesta vide maxime in posteriori S. Lidwinæ Vita* (7); *nam, quum* B. Gerardus *cultum non habuerit, eum prætermittere cogimur.* E

(1) Memorial of ancient British piety, pag. 143.
(2) Lives of the Fathers, etc., tom. XII, p. 247 Edit. Lond. 1813.
(3) Ecc. hist. of Ireland, t. II, p. 778, 120, 223, 226 et 227.

(4) Murer, Helvetia Sancta, pag. 200.
(5) Geschichten des Kantons S. Gallen, tom. I, pag. 214.
(6) De Coloniæ Magnitudine, pag. 730.
(7) Act. Sanctorum, t. II Aprilis, p. 350 et seqq.

DE S. REMIGIO MARTYRE.

IN MONASTERIO S. URBANI IN HELVETIA

C

SYLLOGE

Certus cultus, incerta nobis reliqua omnia.

Anno 1148 *in ea pristinæ diœcesis Constantiensis parte, quæ pago Lucernensi capiebatur, initium datum monasterio Cisterciensi S. Urbani* (1); *quod non ita pridem universæ Ecclesiæ catholicæ dolore impiorum machinationibus et violentia dispersum est. In eo colebatur die* XII *Octobris ritu duplici secundæ classis* S. Remigius *martyr ; atque hæc de eo, tamquam patrono (ut videtur) secundario, recitabatur oratio :* Deus, qui per beatum Martyrem tuum Remigium ecclesiam tuam mirabiliter illustrare dignatus es : concede nobis famulis tuis, ut quem patronum nostrum veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per. *Sed quis ille* S. Remigius *Martyr? Ad quod quæsitum ab aliis responderi velim, quum in nullo omnino Martyrologio* S. Remigius *Martyr mihi occurrat, quumque diligentissimus Murerus in sua Helvetia Sancta nullum verbum de eo habeat. Quinque quidem sunt S. Remigii seu Remedii, optime noti ; adeoque in Opere nostro ad diem* XIX *Januarii jam actum est : de S. Remigio Rotomagensi archiepiscopo ; de S. Remedio episcopo Vapincensi ad* III *Februarii ; de S. Remigio seu Remedio Tridentio et S. Remigio Remensi ad* I *Octobris ; et ad* XXVIII *ejusdem mensis dicendum erit de S. Remigio Lugdunensi. Sed hi omnes Confessores. Anno* 1141 *detectæ fuere Bononiæ S. Remigii cujusdam reliquiæ* (2); *et jam ante, nempe anno* 1124, *ad synodum Vesontionensem delatum fuerat ex Besuensi monasterio S. Remigii cujusdam brachium* (3), *quod forte sæculo* IX *Isaac Lingonensis episcopus illuc detulerat ; quum, ut loquitur Besuensis Chronographus* F

(1) Cfr Jongelinus, Notit. abbat. Cisterc., lib. II, p. 96; Gallia. Christ., tom. V, col. 1086.

(2) Act. SS., t. II Oct., pag. 168.
(3) Ibid., tom. III Oct., pag. 347 et 371.

graphus

A *graphus* (1), rediens ex Aquitania beatissimi Prudentii Martyris corpus huic loco intulit et cum aliis multis Sanctorum pignoribus ad exorandum Deum pro se et pro nobis, ut decuit, collocavit. *Sed an hic Remigius Besuensis, seu an ille Bononiensis Martyr fuerit, nuspiam proditum reperio. Quid ergo? Quum religiosissimi S. Urbani monachi nunc dispersi sint, neque proin litteris adiri queant, satis habemus S. Remigium Martyrem, qui certissime cultus fuit, ab oblivione vindicare, quin plura de eo asserere queamus quam de plerisque Hieronymianis.* D

(1) Chron. Besuense, apud Dacherium Spicileg., t. II, p. 408 Edit. in fol

DE S. OPIONE SEU OPILIONE

PRESBYTERO,

BITURICIS IN GALLIA.

B

SYLLOGE

Ex Martyrologiis.

INEUNTE SÆCULO IV.

De S. Opione *seu potius* Opilione *permulta collegit Byeus, quæ inter Prætermissos ad* XII *Octobris reponenda esse arbitratus fuit, quoniam, (ut autumabat) de hujus Sancti cultu non constabat satis. Sed, ni fallor, aliter statuisset, si præ oculis habuisset Breviarium Bituricense, quod Fredericus Hieronymus de Roye de la Rochefoucauld, Bituricensis archiepiscopus, anno* 1734 *pro hujus ævi more renovari et in lucem edi jussit. Ad dictam enim diem* XII *præcipitur ibidem* commemoratio *fieri* sancti Opionis Bituricensis presbyteri. *Cultus itaque certus est. Ast nullum aliud ex hoc Breviario lumen; omnia quippe de Communi, adeoque nulla lectio propria; in Kalendario tamen aliquod vestigium historicum deprehenditur, nempe* S. Opionem *circa sæculum* IV *floruisse. Unde vero id erutum? Nil dubito quin id deductum ex ætate Martyrologii Hieronymiani. Re quidem vera Florentinius alio charactere excudi voluit* S. Opionis *annuntiationem; sed non videtur ambigendum eam reapse ad genuinum textum pertinere.* C *In codice enim Ms. Antverpiensi seu Epternacensi, quem sæculo* VII *scriptum esse in Opere nostro sæpius dictum, luxatis his verbis,* S. Opilio *annuntiatur* (1) : Beturi Casi Pilionis, *id est* Beturicas S. Opilionis; *similiter codex Florentini Lucensis* (2) : Beturicas sancti Opionis presbyteri; *et Corbeiensis apud Florentinium* (3) *atque Dacherium* (4) : Bituricis sancti Opionis. *Autissiodorensis vero sæculo* XI *scriptus* (5) : Bituricas S. Opilionis presbyteri; *Gellonensis apud Dacherium* (6) : Biturcis Opinionis ; *Autissiodorensis S. Germani* (7) : Bituricas Opionis : *vetustus Tuaonensis* (8) : Bitr. Opinionis; *Richenoviensis* (9) : Bituricas, Opinionis presbyteri; *Augustanus* (10) : Bitur. Opinionis; *Labbeanus* (11) : Bituric. Opionis; *adeoque haud scio an vel unum codicem reperire sit, qui passim integer videatur et* S. Opilionem *omittat. Quis porro ambigat an hic Sanctus ab initio Hieronymianis laterculis inscriptus fuerit?* E

Ipsi Martyrologio Hieronymiano

2 *Neque tantum in Hieronymianis Fastis prodit hic Sanctus, sed et in antiquissimo Libello annali Domini Bedæ presbyteri* (12) *legitur* : Apud Bituricas S. Opionis presbyteri et Martyris. *Re quidem vera omittitur ab Adone, Rhabano, Nothkero, Wandelberto et Usuardo, quos classicos martyrologos appellari solemne est; quæ res tantæ admirationi est Byeo, ut asserat id factum vel quod hunc Sanctum non satis habuerint notum, vel quod arbitrati fuerint id nomen Hieronymianis apographis adjectum fuisse non ob venerationem, qua gauderet, sed tantum ob famam quamdam sanctitatis. Verumenimvero quid non expungat hoc argumento plerosque sanctos Martyres, Hieronymianis laterculis inscriptos? Quis scilicet ignoret plerosque a* classicis *Martyrologis prætermitti? Verum id ab eis non fieri ob alterutram a Byeo assignatam rationem, sed quod codicibus Hieronymianis usi non fuerunt manifestum est. Cæterum non diu abfuit* S. Opilio *ab his Martyrologiis : etenim in Auctariis* (13) *Adonis recensetur* Opion Presbyter ; *item in plerisque Auctariis Usuardi* (14), *ubi sæpius* Epion *dicitur, adjecto fere* presbyteri *titulo, et in editionibus Lubeco-Coloniensi, Belini, Greveni et Molani verbo* confessoris; *et demum in Auctario Barberiniano ad Martyrologium, quod sub Bedæ et Flori nominibus ediderunt Decessores, habes* (15) : Biturice S. Opinionis presbyteri. F

et multis aliis Fastis sacris inscriptus fuit S. Opio,

3 *Atque his præmissis, quæri potest primo quod hujus Sancti fuerit nomen.* Opio *et* Opinio *parum placent,*

(1) Florentinius, Martyrologium Hieronym. pag. 139.
(2) Ibid., loc cit.
(3) Ibid., loc. cit.
(4) Spicilegium, tom. II, pag. 20
(5) Ap Martene, Vet. Script ampl. coll, t. IV, col 72.
(6) Martene, Thesaurus Anecd. t. III, col 1561.
(7) Spicilegium, tom II, p. 35.
(8) Ibid., col. 1590.
(9) Apud J. B. Sollerium, pag 790
(10) Ibid pag 799
(11) Ibid, pag 808.
(12) Apud Martene, Veter Script. ampliss. coll, tom. VI. col 647
(13) Martyrol. Adonis, Appendix Edit Georgii, p. 641
(14) Edit Sollerii, pag 598
(15) Act. SS., t II Martii, p xxxiv

A *seu potius Opilio, presbyter et martyr Bituricensis ineunte sæculo IV.*

placent, utpote vix aut ne vix quidem usitata; Epion *rarum est, atque solum in Auctariis Usuardi Bituricensi Sancto tribuitur; restat ut probabilius habeamus* Opilionem *ejus fuisse nomen, vulgare satis et quod codices plures exhibent. An vero* presbyter *dicendus? Nemo dubitabit, qui mente recollegerit passim in codicibus hunc* S. Opilioni *tribui titulum. An* confessor? *Non putem, quum in solis recentioribus libris ita appelletur, nequaquam vero in Mss. Dein, quum ostenderimus* S. Opilionem *pertinere ad genuinos Hieronymianos laterculos, quibus soli fere adscribuntur Martyres,* S. Opilionem *Martyrem quoque censendum esse palam est. Tertio demum eum in Libello Annali Venerabilis Bedæ* presbyterum et Martyrem *dici vidimus. Ast quo ævo vixit? Crediderim ineunte sæculo* IV: *tum quod plerique Martyres, ex Hieronymianis Fastis cogniti, in persecutione Diocletiani vitam cum* D *sanguine pro Christo fuderunt; tum maxime quod ultimo loco in iisdem venit. Cæterum Biturigibus oblivioni diu datus fuit* S. Opilio; *nulla quippe de eo mentio in Patriarchio Bituricensi* (1), *nulla in Martyrologio abbatiæ S. Laurentii Bituricensi* (2), *nulla in collectione elogiorum Sanctorum Bituricensium* (3) *A Nicolao Catherinot in Sanctuario Bituricensi brevem aliquam de eo memoriam fieri jam monuit Byeus. Festum ejus seu potius commemorationem ab anno tantum* 1735 *a Bituricensibus factam esse, certum est. Libros enim rituales Bituricenses, ab anno* 1493 *ad* 1676 *editos sedulo prescrutatus R. P. Alet, Societatis Jesu presbyter, nuspiam invenit de* S. Opinione *seu* Opilione *vestigium Ex novo Proprio, Romæ nuper probato, exsulat iterum hic Sanctus. Verum, ut spes est:*

Multa renascentur, quæ jam cecidere.

(1) Apud Labbeum, Bibliotheca Mss., tom. II, pag. 3 et seqq.

(2) Ibid., pag. 704.

(3) Ibid. p. 343 et seqq.,

B E

DE S. MONA, EPISCOPO MEDIOLANENSI

IN INSUBRIA.

NOTA 2 ad pag. 14, littera B.

De S. Monæ mortis anno, sepultura et prima translatione.

P*ostquam Henschenius suum* S. Monæ *scripsit Commentarium, examinarunt iterum complures nonnulla quæ ad hunc Sanctum pertineant; quocirca et nobis videntur aliqua retractanda. Imprimis consignat Henschenius* *S. Monas obiit anno 249 aut 251;* *anno* 249 *mortem* S. Monæ; *Papebrochius* (1) *anno* 248; *Saxius* (2) *autem anno* 251. *Ne vero molienda mihi sit ab integro episcoporum Mediolanensium chronotaxis, animadverto imprimis inter Saxium* C *convenire et Papebrochium de anno mortis S. Calimeri, quem* S. Monæ *immediate præcessisse uterque consentiunt; statuunt autem S. Calimerum mortuum anno* 191, *et quidem depositum pridie Kalend. Augusti, et sedem vacasse sesquiannum. Porro* S. Monæ *biographus et vestustus catalogus, illustratus a Papebrochio, annos* LIX *sedisse hunc Præsulem testes sunt; hos vero incompletos pro more accipiendos esse res certa videtur; quocirca si S. Calimerus exeunte Julio obiit, oportet ut* S. Monas *episcopus ordinatus sit exeunte Januario anni* 193 *et ut exeunte Martio* (VIII *enim Kal. Aprilis depositus legitur*) *diem obierit anno* 251. *Verum hæc non conveniunt cum altero biographi asserto, nempe* S. Monam *vita functum anno Philippi imperii septimo, et proin ante medium mensem Octobrem anni* 249, *quo ipse Philippus occisus est* (3). *Huic notæ temporis maluit inhærere Henschenius et Papebrochius* (*quem enim annum* 248 *loco* 249 *ejus scriptio refert, typothetis adscripserim*); *Saxius vero catalogum potius secutus est. Quæ tutior via sit alii judicent; nullus vero dicat cum Saxio nihil ad Papebrochii firmandam sententiam apud eumdem exaratum legi. Jam de* S. Monæ *sepultura et translatione prima; de quibus nonnihil quoque disceptatum.*

2 S. Monæ *biographus num.* 12 *scribit de ejus funere:* Tollunt patroni funus recens, et illud prædecessorum ejus tumulis adjungunt; QUI LOCUS USQUE NUNC MORTALIBUS MANET INCOGNITUS. *primum sepultus est in polyandrio Caii;* *Ex quibus postremis verbis manifestum est et diu latuisse* S. Monæ *sepulchrum et tempore scriptoris illius traditionem Mediolanensem tulisse eum in tumulis prædecessorum conditum fuisse. Hos autem tumulos polyandrium Caii fuisse affirmat Oltrocchius* (4); *quod scilicet tempore S. Caii Mediolanensis episcopi a Christianis constructum fuisse in hortis Philippi tradit idem ille biographus* (5), *quodque postea Consilia Sanctorum seu S. Naboris templum et dein S. Francisci dictum fuit* (6). *Verum ne hinc ansam arripias Oltrocchii asserti repellendi, quod nempe incredibile sit eumdem scriptorem novisse sanctum* Monam *sepultum fuisse in Polyandro Caii, idque polyandrium in hortis Philippi exstitisse, et tamen ignorasse locum, in quo fuisset depositus. Ast quoties etiamnum evenit ut probe sciatur Sancti alicujus reliquias in templo quodam quiescere, quin ipse locus accurate cognoscatur? Nec aliud vult biographus, quum de* S. Monæ *sepulchro disserit; et quidem alibi tradit S. Anatalonis, primi*

(1) Exegesis de episcopis Mediolanensibus ante tom. VII Maji, pag. LVIII

(2) Mediol. Antist. hist. tom. I, pag. 31.

(3) Art de vérifier les dates, tom. I, pag. 379.

(4) Ibid., pag. 703.

(5) Opusculum de situ civitatis Mediolani, ap. Muratori Script. tom. I, part. II, pag. 210

(6) Oltrocchi, pag. 68, 194 et 195, etc.

Medio

A *Mediolanensis episcopi, depositionem celebrari ad Consilia Sanctorum, quod illic certe olim sepulturam esset nactus, et tamen addit* (1) : Nam de sacratissima ejus corporis gleba, quia nihil certi usque ad præsens tempus comperi, Dei solius, cui cuncta patent, relinquo notitiæ. *Certum itaque habeamus biographi tempore satis innotuisse* S. Monam *in S. Naboris templo jacuisse ; ubi vero, id fugisse homines.*

ubi deteguntur ejus reliquiæ circa annum 1000, atque hinc in ecclesiam S. Vitalis transferuntur anno 1030.

3 *Latuerunt hoc modo illa pignora sanctissima usque ad Arnulphi II tempora, qui secundum Saxium* (2) *anno* 998 *Mediolanensem sedem adiit, anno autem* 1018, *diem obiens, vacuam reliquit. Arnulphus enim, Mediolanensis historicus suppar, et rerum patriarum longe peritissimus, aperte scribit* (3) : De reliquo Arnulphus sacerdotaliter suam regebat ecclesiam... Illius tempore sancti Confessoris Monæ revelatæ sunt reliquiæ (in ecclesia S. Vitalis juxta S. Naborem.) *Ad quæ verba animavertas : primo, quæ uncinis ab editore includuntur, apertam esse interpolationem ; sensit id Muratorius, ma-* B *nifestum vero fecit Oltrocchius* (4), *duos codices Mss. Ambrosianæ bibliothecæ allegans, in quibus id additamentum omnino desideretur : cæterum ex dictis non in S. Vitalis, sed in S. Naboris æde quiescebat* S. Monas ; *animadvertendum est secundo non adstrui a Mediolanensi historico* S. Monæ *reliquias ex S. Naboris templo alio translatas fuisse, sed nude* revelatas. *Heriberti enim tempore facta est translatio illa, prout testis est (ut recentiores omittam) catalogus quidam Ms. episcoporum Mediolanensium, quem excitat Oltrocchius* (5). *Quum autem Heribertus anno* 1018 *Arnulpho II successerit et Mediolanensem tenuerit cathedram usque ad annum* 1045 (6), *intra hoc temporis spatium* S. Monæ *corpus ex æde S. Naboris ad S. Vitalis delatum fuisse perspicuum est; quin etiam annum et diem designat Saxius* (7), *annum nempe* MXXX, IV *idus Octobris. Hinc in Catalogo episcoporum Mediolanensium et in libello, cui titulus :* Commemoratio Sanctæ Mediolanensis ecclesiæ episco- D porum, *legitur* (8) : Sanctus Monas sedit ann. LIX. Depositus VIII Kal. Aprilis ad Sanctum Vitalem, *non quod* S. Monas *statim post mortem depositus fuerit ad S. Vitalem (secus enim esse satis superque ostensum est) ; sed quod hic quiesceret, quum denuo confectus est ille episcoporum Mediolanensium catalogus : cujus quidem primam partem (quantum ad annos et dies attinet) antiquissimam esse extra controversiam est ; ast sæculo* XI *aut etiam tardius oppositam fuisse designationem locorum, in quibus singuli episcopi quiescerent, palam fecit Oltrocchius* (9). *Atque hæc cum conjecturis Buei, quas num.* 9 *Commentarii prævii habes, satis convenire facile cernetur.*

NOTA 3 ad pag. 17, littera A.

De Parochiis Mediolanensibus.

E

Quo magis exaggerata sunt quæ de parochiis Mediolanensibus traduntur, eo liberius ea rejicere licet. Sed accedit hoc argumentum doctissime versatum fuisse ab aliquot Cisterciensibus monachis ex Longabardia, qui ostenderunt disciplinam Mediolanensem aliam non fuisse quam quæ universim obtinuit usque ad annum Domini 1000, *nempe in nullis civitatibus episcopalibus (si forte Romam, Alexandriam et Antiochiam exceperis) ecclesias parochiales fuisse præter cathedralem. De hac re fuse dixit Marius Lupus, brevius R. D. Binterim in Memorabilibus Ecclesiæ Catholicæ ; quorum vestigia secuti, et nos aliquid conati sumus in Examine historico et canonico de regularium et sæcularium clericorum Juribus et officiis. Quod autem ad Mediolanum in specie pertinet, legenda præ omnibus dissertatio vigesima eorum, quos dixi. Cisterciensium* (10).

(1) Opusculum, de situ civitatis, etc. ap. Muratori, tom. cit., pag. 207.
(2) Mediolan. antistit. hist. tom. II, pag. 384 et 396.
C (3) Arnulphi hist. Mediol., lib. I, cap. XX, ap. Muratori, Script. rer. Italic., t. IV, pag. 13.
(4) Eccles. Mediol. hist. Ligustica, p. 703.
(5) Ibid., pag. 703 in notis.

(6) Saxius, Mediol. Antist. hist., tom. II, pag. 398 et 416.
(7) Ibid., tom. I, pag. 14.
(8) Apud Muratori, Script. rerum Italicarum, tom. II, part. II, p. 229.
(9) Eccles. Med. hist. Lig., pag. 702 et 703.
F (10) Antichit. ... Longob. ... Milanesi, t. III, p. 225 et seqq.

A D

NOTA 4 ad pag. 22, littera F.

DE SS. HEDISTO, NERONIS FAMULO, PRISCO PRESBYTERO. THERMANTIA UXORE, CHRISTE FILIA ET VICTURIA ANCILLA MARTYRIBUS

ROMÆ AD VIAM LAURENTINAM.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B **Horum Sanctorum Martyrum palæstra Romæ seu Laurenti, non Ravennæ ponenda.**

Plures antiqui codices S. Hedistum Romæ ad Viam Laurentinam, plures recentiores martyrologi Ravennæ assignant;

E*x his, quæ Byeus de* S. Hedisto *disserit, manifestum est non convenire inter se martyrologos de loco, in quo vitam pro Christo posuerit sanctus Martyr: cujus discordiæ causa posita est in lectionibus variis Martyrologii antiquissimi, cui vulgo Hieronymianum nomen. Antverpiensis etenim codex habet* (1) *:* Romæ natalis Hedisti.... Romæ natalis Cælesti, Saturi; *antiquissimus S. Germani Autissiodorensis* (2) : Romæ Hedisti; *pervetustus Turonensis* (3) : Romæ Edisti; *Richenoviensis* (4) *:* Romæ Eclisti et Cœlesti et Saturi; *Augustanus* (5) *:* Romæ Eclisti, Saturi; *Labbeanus* (6): Romæ Hedisti, Saturi. *Contra Corbeiensis et Lucensis* (7) : In Ravenna via Laurentina, natalis sancti Edisti. Romæ via Aurelia Cælesti, Saturi. *Adeoque hoc inter Hieronymianos codices discrimen est, ut sex* S. Hedisti *palæstram* C ROMÆ *signent, duo* RAVENNÆ. *Ex hac porro parte stant Romanum Parvum, Ado, Wandelbertus, Usuardus, Maurolycus, Martyrologium Romanum Baronii, Ferrarius, Sollerius* (8) *atque hic Byeus. Romæ vero favet Rabanus; Notkerus Romæ simul et Ravennæ, quum scribat* (9) *:* Apud Ravennam sancti Edisti... Romæ natalis sancti Hedisti Martyris. *Unde si lis finienda sit ex numero recentiorum scriptorum, vincet procul dubio Ravenna, quæ et* S. Hedistum *cultu publico celebrat; sin autem ex numero antiquorum codicum, melior erit causa Romana.*

pro Roma standum videtur.

2 *Quid ergo? Nullus dubito quin* S. Hedistus *Ravennæ sit abjudicandus, tribuendus vero Romæ. Etenim in Hieronymiano texto* viam Laurentinam *notatam fuisse non tantum manifestum est ex codicibus Corbeiensi et Lucensi, verum etiam ex Adone et Usuardo, qui eadem verba in Romano Parvo reperant. Quæstio itaque exsurgit utrum, quum prius scriptum esset :* Romæ via Laurentina, natalis S. Hedisti. Romæ via Aurelia Cœlesti, Saturi, *in priori memoria vox* Romæ *in* Ravennæ *mutata fuerit ab amanuensi, qui admiraretur bis* Romæ *scribi; an contra quum auctor scripsisset* Ravennæ via Laurentina natalis S. Hedistii. Romæ via Aurelia Cœlesti, Saturi, *librarius vocem* Ravennæ *in* Romæ *converterit. Verosimilior sane prior mutatio posteriore, quantum prima specie judicare licet. Ast strictius rem definiamus: videlicet quis negarit Romam esse retinendam, si Romæ via Laurentina fuerit, nulla vero Ravennæ? Atqui apprime ita est: Roma viam Laurentinam habuit, nequaquam Ravenna; quod jam demonstrandum est.* E

3 *De via Laurentina, quæ olim Romæ erat, licet nobis brevibus esse: quis enim non norit Ovidii* (10) *distichon :*

maxime quia ibi Via Laurentina fuit.

Est via quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanico regna petita duci.

Quis geographus, de Laurente agens, prætériit hæc P. Servilii Consularis Censorini apud Valerium Maximum (11) *verba :* Illud tantum scio, cum occurrisset mihi Laurentina via iter facienti, admodo angusto loco, equo descendere noluisse *? De hac ipsa via dixere complures, nullus vero post Holstenium accuratius, quam Vulpius noster in continuato opere cardinalis Corradini de Vetere Latio Profano. Sic autem ille* (12): Via fuit in agros Laurentes ab Roma tendens, sectoque lapide instrata, quem ex consularibus sive militaribus unam antiquitus fuisse accepimus. Quod Laurenti oppidi celebritatem quondam designat. Nonnisi enim ad celebriora Latii oppida ejusmodi viæ primis reipublicæ Romanæ sæculis sternebantur. Hanc ex Ostiensi, paulo ultra secundum lapidem, lævorsum deflexisse Holstenius (13) tradidit; ac transisse per locum vulgo *Decimo* dictum; qui haud dubie olim decimus lapis fuit in ipsa Via Laurentina; ut ex intervallo nunc etiam apparet. Inde hanc mare versus procurrisse, inter loca nunc *Porcigliano*, quæ Porciliæ gentis villa fuit, F

(1) Florentinius, Martyrol. Hieron., pag. 913.
(2) Martene, Anecdota, tom. III, col. 1561.
(3) Ibid., col. 1590.
(4) Apud J. B. Sollerium, pag. 790.
(5) Ibid., pag. 799.
(6) Ibid., pag. 808.
(7) Ap. Florentinium, p. 913 et seq.
(8) Usuardi Martyrol., pag. 537.
(9) Lect. Canisii, editionis Basnagii, tom. II, part. III, pag. 180.
(10) Fast., lib. II.
(11) Lib. 8, cap. 5, n. 9.
(12) Vetus Latium Profanum, tom. VI, pag. 38 et seq.
(13) Annot. in Ital. Cluverii, p. 173.

et

A et *Capo Cotta*, quæ Plinii Junioris, ut aliquibus visum; juxta Silvæ Campum, *Campo Selva*; et recta Laurentum devenisse, nunc *Paterno et Toro di Paterno*. Eamdem in Ardeatinam quoque incidisse nostro de Ardeatibus libro significavimus.

nulla vero Ravennæ,

4 *Ravennæ vero quis vestigium Viæ Laurentinæ umquam reperire potuit? Jacet enim Ravenna ad mare Adriaticum, Laurentum ad Mediterraneum, intermedia Roma: unde si via, qua Ravenna Romam atque hinc Laurentum ibatur, nomen suum mutuata fuisset a loco ad quem ducebat, Romana certe fuisset dicta, nequaquam Laurentina. Præterea Marcus Fantuzzi, qui sex tomis vetera documenta Ravennatensia* (1) *edidit, ad uniuscujusque voluminis calcem apposuit indicem topographicum, quo recensentur omnes viæ Ravennatenses, de quibus in diplomatibus aliisque monumentis fit mentio: at-qui ne hilum quidem de Via Laurentina aut simili. Sed Cæsaream dici potuisse* Laurentinam *seu* Lauretinam, *quod ad Lauretum quoddam duceret, ait* B *post Rubeum Byeus. Ast, pace tantorum virorum, non quæritur quid fieri potuerit, sed quid factum sit. Potuit enim Via Cæsarea vocari quoque* Sacra: *an propterea ubi legimus:*

Ibam forte Via Sacra....

subibit in mentem poetam tunc Ravennæ constitutum fuisse, non vero Romæ? Sit itaque certum fixumque per Viam Laurentinam *definiri rectam esse lectionem eorum codicum Hieronymianorum, qui* Romæ *habent.*

ubi nunc quidem colitur, sed non ita pridem;

5 *Sed Ravennates celebrant officium* S. Hedesti *tamquam popularis. Verum quidni doceatur quanto abhinc tempore id fiat? Si quid vero video, cultus iste non valde antiquus sit oportet. Hieronymus enim Rubeus nihil de eo habet. In Monumentorum Ravennatum Fantuzzii copiosissimis indicibus nulla indicatur ecclesia, nullum oratorium, nulla capella, nullus locus, cujus patronus esset* S. Hedistus *seu* Hedistius. *Litanias conventus presbyterorum parochialium civitatis Ravennæ adjecit ad calcem sui* C *operis Rubeus* (2); *ast ne vestigium ibi* S. Hedisti *nominis. Quæ omnia suadent* S. Hedisti *apud Ravennates cultum ortum esse post editum Baronii Martyrologium Romanum; neque id singulare, quum ab hoc tempore tot Officia particularia concessa fuerint de Sanctis, quorum ibidem nomen legeretur. Sed quidquid id est, nullum umquam proferent Ravennates documentum antiquius Passione sanctorum Martyrum* Hedesti *et* Prisci *presbyteri et sanctarum sociarum: quam equidem non dixerim coævam sanctis Martyribus, sed certe ante deletum Laurentum conscriptam, aut saltem quum ejus adhuc haberetur certa memoria. Quocirca hujus oppidi fata brevibus perstringenda sunt.*

præterea ex Laurenti fatis

6 *Celebre olim oppidum fuisse Laurentum non procul a Lavinio latet neminem. Ejus situm curiose investigavit Vulpius* (3), *ostenditque pristinam ejus sedem eo in loco fuisse, non ubi nunc vicus* S. Lorenzo, *seu* Torre di S. Lorenzo *(ut complures credidere) sed ubi* Paterno *et* Torre di Paterno; *Lavinii vero, ubi* Patrica *seu* Pratica. *Postmodum tamen (ut fit) aliter alii sensere; sed his inhærere nil opus. Jam vero posterioribus sæculis, Romanaque jam collapsa republica, ex utroque oppido, Laurento nempe atque Lavinio, unum, seu magis proprie, ex utriusque oppidi incolis unus populus coaluisse videtur: ab Lavinio, jam pene exciso ac devastato, Laurentum, ipsum quoque a populo valde destitutum, translatis incolis: quibus* Lauro-lavinates, *sive* Laurentes-lavinates *nomen; oppido autem* Lauro-lavinium *fuerit tributum.* Hæc nos lapides, *inquit Vulpius* (4), quam plurimi veteres, proximis duobus elapsis sæculis effossi, litteris suis docuerunt. Scriptores quoque nonnulli, post Vespasiani imperium florentes, Lauro-lavinii nomen usurpavere. Quamquam vero bellorum civilium calamitosis temporibus contigisse id ex Lucani (5) versibus colligi posse videatur; posteriorem multo nihilominus utriusque populi conjunctionem E fuisse censemus, quum Lauro-lavinii mentio ante Vespasiani tempora facta ab Latinis scriptoribus non legatur. *Hæc ille. Id novum oppidum sæpe postmodum nude* Laurentum *appellatum fuit; unde quum Lauro-lavinium, non secus ac reliqua Latii oppida* (6), *suum haberet episcopum, hic dictus est* Laurensis *seu* Lorensis *episcopus; qua appellatione concilio Romano Felicis III anni* 487 *inscriptus legitur Petrus* (7).

ostenditur Passionem, in qua Laurenti passus traditur, esse valde antiquam.

7 *Ast post id tempus nulla amplius (quod sciam) Laurenti memoria. Quæ enim Anastasius Bibliothecarius* (8) *de mansis in agro Laurentino seu prope civitatem Laurentum habet, ad sæculum* IV *seu ad S. Silvestri tempus pertinent. Unde et crediderim sæculo* V *exeunte seu* VI *ineunte Laurentum non secus ac alia Latii loca vastatum omnino. Quocirca ut ad propositam quæstionem redeam, sæculo* VI *aut destructo Laurento antiquiorem esse* S. Hedisti *et sociorum Passionem omnino autumo; quin immo forte ad tempora multo remotiora referenda est. Eam quidem nullius frugis esse æstimavit Byeus, quod* S. Priscus *presbyter,* S. Thermantia, Christes *et* F Victuria *in ea prodeant, nomina in nullis signata Martyrologiis, nullisque historicis cognita. Verum si mihi detur a decessore dissentire, plane profitebor id mirum mihi non videri, quum Laurentum tam diu ruinas traxerit, pratisque et paludibus fecerit locum. Nolim tamen hæc Acta omnino sincera dicere; hanc enim speciem omnino non habent, nec carent locis difficilibus. Ast si ea propter has sperneremus causas, quot Martyrum agri Romani Acta Operi nostro inserere liceret? Paucissima utique tam bona sunt quam hæc* S. Hedisti. *Adde, quum cæterum fere nihil de Christianæ religionis apud Laurentes fatis innotescat, documenta etiam minus genuina negligenda non esse in tanta notitiarum penuria. Quocirca omnino non hæreo quin hæc non tantum typis credam, sed et annotatis illustrem, quibus pateat ea fuisse conscripta, quum veterum Laurenti rerum et sacrorum adhuc exstaret memoria.*

(1) Monumenti Ravennati de' secoli di Mezzo per la maggior parte inediti. Venezia, 1804.
(2) Hist. Ravennates, ap. Burmannum, t. VII, col. 887 et seqq.
(3) Vetus Latium, t. VI, pag. 5 et seqq., pag. 29 et seqq.
(4) Ibid., pag. 24.
(5) Pharsal., lib. 7.
(6) Georgius, Hist. diplom. cath. episc. Sabinæ, pag. [illegible] et seqq.
(7) Harduinus, Concil., t. XI, col. 762.
(8) Vit. Summ. Pontif. S. Sylvester, ap. Muratori script. rer. Ital., t. III, part. 1, pag. 108 et 109.

Passio

PASSIO

Sanctorum Martyrum Hedisti et Prisci presbyteri et sanctarum sociarum, IV idus Octobris.

Ex codice S. Germani 461.

S. Hedistus cum Nerone, cui erat ab obsequiis in Laurentum;

In diebus illis pergente Nerone imperatore ad Laurentum civitatem, ut sacrificaret dæmoniis, quia hoc ipsi præceptum fuerat a sacerdotibus suis ut ibidem victimas offerret *a*; in qua civitate multum tempus moratus est, quia gens surrexerat adversus eum *b*, et propterea ibidem multis temporibus morabatur. Et dum frequentissime ad exercendum se extolleret, veniebat ad aram Dianæ *c* in quodam loco, ubi tres cuniculi nimpharum emanabant. Et ibidem vacabat venationibus et vectationibus cum suis militibus et proceribus; inter quos erat armiger famatissimus nomine Hedestus, natu Romanus, pulcher aspectu; qui frequenter ante conspectum Neronis suum officium observans gratus habebatur. Hic baptisatus fuerat a Beato Petro apostolo, et erat occulte Christianus *d*. Eodem tempore, quo Nero in Laurentum vacabat, audiens Hedestus quemdam Sanctum Thimoteum presbyterum *e* . . . . Et dum non inveniret, contristabatur, et jejuniis ac vigiliis et orationibus interpellans Dominum Jesum Christum, precabatur ut mereretur eum videre.

ibi venit in cognitionem S. Prisci presbyteri, ejus uxoris Thermantiæ, Christis filiæ et Victuriæ ancillæ

2 His autem dictis, dum frequenter Hedestus perquireret ubi missa Domino Jesu Christo celebraretur, descendente Nerone ad aram Dianæ cum paucis tribunis et sacerdotibus suis, ecce Hedestus simul descendens cœpit curiose et sollicite quærere presbyterum; et cum diutissime perquireret, invenit quandam puellam sedentem cum ancilla sua et nentem lanam. Hanc cum vidisset Hedestus, cognovit eam in corde suo, quia non tantum specie erat pulchra, sed et corde. Quam cum interrogaret diutissime cum casta voluntate, qua natione orta divulgaret, intrepida respondit : Filia sum Prisci presbyteri Christiani. Cui Hedestus cum gaudio dixit : Quo nomine vocaris? Quæ ita intrepida sicut docta fuerat a patre Prisco et a matre Thermantia, se ad martyrii palmam venire, hoc respondit : Nomine Christes vocor. Hæc autem *f*. . . . . Quæ cum audissent Christes et Victuria, venerunt ad Sanctum Priscum presbyterum, et ad uxorem ejus Thermantiam et dixerunt ei : Homo juvenis electus vidit nos et multis precibus rogans vult, desiderio Christi, videre te. Cui pater ita respondit : Et si dignus sum et ego coronari cum servis ejus, tamen qualis aspectus ejus est? Christes dixit : Ornatus specie, vultu decorus, in equum ornatum. Et ait Priscus presbyter : Si nos vocat Dominus, eamus; et venerunt ad Hedestum.

quibuscum deinceps familiariter et pie agit, noctuque Missæ interest in arenario

3 Et dum vidisset eum Hedestus, cecidit ad pedes beati Prisci presbyteri, et cum lachrimis ita ajebat : Domine, Jesu Christe, qui me non fraudasti desiderio meo, ut ego non longe sim a sacrificio virtutis altissimi, gratias tibi. Quem interrogans beatus Priscus, ubi baptismum percepisset, respondit ei Hedestus se a beato Petro baptisatum. Tunc Priscus presbyter misit se et amplexatus est eum, et ab eodem die cœpit Hedestus una cum presbytero et uxore ejus Thermantia et Christe et Victuria una vita communicare, et eis de suo alimoniam et victum ministrabat, et ibidem ad aram Dianæ in quodam harenario *g* occulte missas Deo et hymnos offerebant, et attenuabatur jejuniis et vigiliis. Una autem nocte ipse recitabat se per visionem vidisse beatum Petrum Apostolum sibi talia monita prædicantem, dicens : Hedeste, serve Domini nostri Jesu Christi, cujus ego Apostolus sum, ne deseras Priscum presbyterum, quia per eum coronam accipies. Tunc recitavit hæc monita beato Prisco presbytero.

de macie ex jejuniis orta interrogatur a Nerone:

4 His autem dictis, astabat ante conspectum Neronis : quem cum videret Nero pallidum, et nimis macie confectum, dixit ad eum : Hedeste? Qui respondit : Adsum, Cæsar. Dicit ad eum Nero : Multum te pallidum et nimis video attenuatum. De qua re utere medico, et noli cruciare corpus tuum. Hedestus respondit : Ego quidem, Cæsar, utor medico firmo, qui non in medicaminibus aut herbis medicinam impendit hominibus, sed tantum verbo curat. Nero dixit : Ergo utere eo diutissime, quem probasti in sensu tuo. Respondit Hedestus et dixit : Ipso utor, pie Cæsar. Et subtraxit se a conspectu Neronis. Veniens autem ad beatum Priscum presbyterum, narravit ei omnia quæ cum Nerone gesserat. Dicit ei beatus Priscus : Tu enim accipies gloriam, qui eum laudas, qui et creator et medicus esse cognoscitur ab his, qui eum creatorem suum prædicant in hoc sæculo.

cautelæ multæ adhibitæ ne locus sacer palam fieret; sed coram servo Christianum prodit S. Hedistus;

5 Frequenter autem Hedestus ascendens equum regalem, de Laurento civitate veniebat ad aram Dianæ, ubi erat harenarium, in quo harenario beatus Priscus fecit altare, et ibi missas et sacrificia Domino Jesu Christo offerebat. Et in eodem loco frequens erat Hedestus ipse tantum, et inveniebat ad iter positas Christem et Victuriam, quas presbyter subornabat, ut, dum viderent eum venientem, nuntiarent beato Prisco presbytero. Unus autem ex servis Hedesti, dum videret eum omni nocte hymnis et orationibus vigilare, dixit ad conservum suum : Dominus noster non manducat, neque bibit et minuitur; nam et nocte frequenter cum equo subornato procedit. Hoc consilium nisi Cæsaris non est, quia ad aram Dianæ pergit Una autem nocte, sicut consuetudo erat, evigilans beatus Hedestus pergit ad beatum Priscum presbyterum; et dum in equum necdum ascendisset, aggreditur eum servus suus nomine Florus dicens ei : Quo pergis sine servo tuo et sine armis militiæ tuæ? Respondit ei Hedestus et dixit

A xit ei : Ibi pergo ubi salvetur anima mea. Dixit ei Florus : Quare et mea non simul salvatur? Dicit ei Hedestus : Potens est Dominus Jesus Christus, qui dignatus est servi formam accipere et salvare omnes infirmos. Hoc cum audisset Florus de Domino Jesu Christo, indignanter suscipiens, maledixit dominum suum, et dixit in conspectu ejus : Tu autem, ut video, non salvari evigilas, sed hoc desideras cum illis, quos aliquando reis qui christicolæ appellantur cruciari festinas. Dissimulato autem servo suo, Hedestus pergit, et egit Domino gratias, sicut consuetudo erat ei. Et accepto corpore Christi et sanguine ejus, a beato Prisco presbytero, reversus stetit ante conspectum Neronis in officio suo.

thermis construendis præponitur; h

6 Ibi autem in Laurento civitate jussit Nero ut thermæ *h* ædificarentur sub celeritate. Et dum diutissime adesset Hedestus ante conspectum Neronis, præcepit Nero Hedesto, ut philosophi, qui dictabant fabricam thermarum, sine consilio Hedesti nihil facerent, ut omnia Hedestus Neroni divulgaret. B Ita tamen cum ejus consilio et lapides et omnia ante conspectum Hedesti compaginabantur. Factum est autem dum harenaria foderentur *i*, ventum est usque ad harenarium quod est ad aram Dianæ, ubi missas sanctus Priscus cum beato Hedesto celebrabant. Omnes autem clarificabant, quia magna arena erat in eodem loco. Hoc cum audisset Hedestus jam tribunus interdixit ut nullus in eum locum ingrederetur. Tunc Philosophi et omnes artifices timore tacuerunt. Ille autem, sicut consuetudo erat, omni nocte ibidem cum beato Prisco presbytero et Christe et Victuria missis et orationibus insistebant.

a servo de his quæ nocte agat interrogatur.

7 Servus autem ejus Florus occulte noctu secutus est dominum suum et vidit eum cum virgine Christe a longe loquentem. Differens autem factum venit ad mansionem in civitate. Hoc non sensit beatus Hedestus. Sec dum in prandio epularetur, dixit ad dominum suum Hedestum Florus : Domine, ecce dum in servitio tuo sum anni sunt decem, nunquam consiliorum tuorum divulgator accessi; C tamen si cognovisti, vindica, si tibi placet. Quare nunquam mihi divulgare dignatus es de puella, quæ in animum tuum floret, et in pectore tuo requiescit? Tunc Hedestus dixit cum lachrimis : Ista puella, quam tu dicis, fides mea est, nam non est causa libidinis, sed pudicitiæ, et amor Domini mei Jesu Christi. Dicit ei Florus : Ego te vidi cum puella elegantissima et nimium pulchra; quare ipsa ad te non venit et servit desiderio tuo quam tu ei magis servire cognosceris? Increpavit autem beatus Hedestus eum dicens : Si hoc ex ore tuo aliquando protuleris, fustibus te interfici jubeo; et conticuit. Dolus autem erat in corde servi.

ab eo detegitur et denuntiatur:

8 Eadem nocte surrexit secundum consuetudinem suam beatus Hedestus et pergit ad beatum Priscum presbyterum; et ecce servus a longe, et vidit quomodo introivit in harenario, et occulte intellexit omnia mysteria nostræ fidei, sed ut accusator existeret; et pergit ad quendam Liberium sacerdotem dæmoniorum, et indicavit ei D omnia quæ vidisset. Tunc Liberius renuntiavit omnia Neroni secundum relationem Flori. Hoc audito, Nero exarsit dicens : In eodem loco ubi inventus fuerat in harenario, ibidem vivus obruetur, et omnis facultas ejus proditori tradatur; si autem falsum fuerit dictum, ipse, qui falsum dixit, partibus extinguatur. Et ecce nocte secundum consuetudinem suam beatus Hedestus pergit ad sanctum Priscum. Servus autem nuntiavit Liberio.

jubetur a Nerone obrui in arenario cum sociis.

9 Hoc cum audisset Liberius, cœpit ante diseta Neronis dicere voce clara : Sacratissime imperator, ecce Hedestus, tribunus tuus, deseruit Deos immortales, et sequitur errorem contra salutem reipublicæ. Tunc Nero eadem hora præcepit ut in eodem loco vivus cum quibus inventus fuisset obrueretur *k*. Et cum hoc super Sanctos Dei factum fuisset, beata Victuria fugit; quam, cum fugeret, tenuerunt in medio ambitu silvæ ibidem juxta aram Dianæ, et gladio eam interfecerunt. E Beatum vero Priscum presbyterum et beatam Thermantiam et beatam Christem et sanctum Hedestum in eodem harenario obruerunt juxta iter Viæ Laurentinæ sub die quarto iduum Octobrium, Nerone quater consule et Cornelio *l*. Regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria in sæcula.

ANNOTATA.

a *Neroni a sacerdotibus indictum fuisse sacrificia Laurenti esse offerenda non tradunt veteres; verumtamen nil occurrit hoc Passionis loco quod verisimile non sit. Quum enim anno Domini* 59 *post cædem Agrippinæ, suæ matris, plura, quæ prodigii rationem viderentur habere, passim accidere intelligeret Nero et facinoris sui conscientia urgeretur, jussere vates ab eo sacrificia humana litanda esse, nisi vellet ad perniciem suam devenire; quæ tamen avertit Seneca, suggerens per hæc tamen tolli non posse qui ei succederat* (1). F *Sepositis itaque hostiis humanis, deos aliis sacrificiis quin placare tentarit non videtur dubitandum.*

b *Anno* 60, *quo* S. Hedistus *mortem oppetiisse in hac Passione traditur, nondum gentem Romanam a Nerone aversam fuisse objicit Byeus. Verum ex Dione Cassio animadvertit Tillemontius jam tunc temporis plures libere de Nerone locutos; atque hunc æstimasse e re sua esse dissimulare potius, quam pœnis famam augere. Unde nil mirum, si aliquamdiu Roma Laurentum secessisset, sperans per absentiam sedatum iri dicteria.*

c *Agitur hic vel de Aricino Dianæ nemore, vel de Annæ Perennæ nemore, quod Laurenti ad fontes Numici fluminis erat. Anna enim Perenna non secus ac Diana lunæ videtur fuisse simulacrum* (2). *Præplacet posterius, quum et hinc intelligantur tres* cuniculi nimpharum. *Silius enim, libro* VIII *Annæ Perennæ fabulam paucis referens, hæc suggerit :*

(1) Cfr Tillemontius, Histoire des Empereurs, *Néron*, art. XI, tom. I, pag. 118, Bruxellis, 1732.

(2) Cfr Biographie univ. Mythol. verbo *Anna Perrenna*; Vulpius, Vetus Latium tom. VI, pag. 90 et seqq.

A Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus.
Labitur, et leni per valles volvitur amne.
Huc rapies, germana, viam tutosque receptus;
Te sacra excipient hilares in flumina nymphæ,
Æternumque Italis numen celebrabere in oris.

d *De aulicis Neronis Christianis satis nota S. Pauli verbo:* Salutant te qui de domo Cæsaris sunt.

e *Vetustate hic exesi sunt duo versus; quibus, ut ex consequentibus manifestum est, dicebatur* S. Timotheus *sacris Christianis illic aliquando operari; quam ob causam ille ipse inquisitus fuisse a* S. Hedisto.

f *Et hic supplendus integer versus, nempe* S. Hedistum, *his intellectis, petiisse ejus patrem videre.*

g *Viam Laurentinam cum Ostiensi et Ardeatina communicasse atque ad has arenaria esse partim jam supra dictum* (1), *partim aliunde notum* (2). *Quum vero hæc arenaria inter se subterraneis colligarentur* B *cuniculis* (3), *sub Via Laurentina arenaria fuisse manifestum est, Verumtamen hæc Romæ propinquiora erant, quam ut de his hic agi videatur. Sermo enim hic est de arenariis ad aram Dianæ, quam verisimiliter non procul ad Nimici fontes sitam diximus. Erant enim arenaria quoque a reliquis divisa.* D

h *De his thermis nulla apud Vulpium memoria.*

i *Satis notum de arenariis seu catacumbis varia esse systemata, quæ (ut librum satis obvium citem) indicata habes in opere R. D. Gaume* Les trois Rome. *In illa controversia non negligendus sane hic locus.*

k *His opponit Byeus Neronem non cœpisse sævire in Christianos ante annum Domini* 64. *Dabo facile ab eo ante id tempus motam non fuisse quam vocamus persecutionem. Verum ab eo ante id tempus nil in singulares aliquot Christianos actum ex libidine quadam et ira omnino non constat. Certe qui mente perpenderit qua se gereret ratione Nero post matris suæ interimentum, nemo mirabitur tale ab eo datum fuisse jussum, quale hic describitur. Propterea tamen vadem me non constituo omnium sermonum, quæ hic recitantur: Passionem enim coævam non esse patefit verbis aliquot hoc ævo non usitatis. Verum in rebus ipsis aliquid subesse falsi facilius assereretur quam probaretur.* E

l *Consules fuere Nero Augustus IV et Cossus Cornelius Lentulus anno Domini* 60.

(1) Vide Comment. præv num 3
(2) Cfr Libri de Roma Subterranea.
(3) Marchi. Monumenti delle arti cristiane primitive, pag. 72.

DE S. MAXIMILIANO EPISCOPO

MARTYRE

NOTA 5 ad pag. 25, littera E.

De origine ecclesiarum Galliæ et Germaniæ.

C *Argumentum de originibus ecclesiarum Galliæ et Germaniæ in Opere nostro versatum fuit sæpius. Adhæserunt diu Decessores nostri traditioni, qua origines complurium sedium episcopalium ad Apostolorum tempora referebantur; postea mutata fuit sententia, et sæculo* III *annexum plerarumque antiquarum sedium initium. Ex quo tempore nos ad Acta Sanctorum illustranda accessimus, ea de re sæpius jam fuit dicendum; et quidem ex professo de ea actum est tomo VIII Octobris in Commentario de S. Florentio Trevirensi. Atque ibi non secus ac aliis in locis conati sumus stabilire religionis exordia facile ad Apostolorum ævum pertinere; initio tamen non videri fuisse episcopos stabiles, sed potius (quos vocamus) regionarios: quæ sententia nititur argumentis aliarum, et simul caret earumdem incommodis.*

NOTA 6 ad pag. 38, littera F.

De SS. Ruperti et Maximiliani ætate.

De S. Ruperti mortis anno sedulo quæsitum fuit ad diem XX *Octobris in Commentario de S. Vitali, ejusdem successore; adeoque ibidem ostensum omnia eo collimare ut vita functus dicendus sit S. Rupertus aliquot annis post annum Domini* 718; *ita tamen ut et ipse et qui ejus locum occupavit S. Vitalis diem obierint ante annum* 731. — *Collectionem Vitarum Butleri auxerunt RR. DD. Rass et Weis et secundum eos R. D. De Ram novo labore de* S. Maximiliano. *Initio referuntur ibidem complurium opusculorum tituli de hoc argumento, sed D. A. Berthodi Commentarius, absque controversia lucubratio præclara, silentio prætermittitur; hinc nihil mirum, si in nova illa Vita videas* S. Maximiliani *episcopatus initia ad annum circiter* 257, *ejusque mortem ad annum* 283 *aut* 285 *relata. Quæ omnia jam plane dejecerat Berthodus. Melius respondetur ibidem in annotato ad argumenta, quibus V. H. Winter, aliquando professor et pastor sancti Judoci in Landshut, anno* 1805 *contendit probare sanctum* Maximilianum *nec episcopum, nec martyrem fuisse; videlicet* 1° *non convenire inter recenti-* F

ores

A *ores* quando *et* quamdiu S. Maximilianus *episcopus fuerit, Quid inde? Simili argumento quarta saltem historiæ pars expungenda foret.* 2° *In libro traditionum ecclesiæ Salzburgensis, S. Maximilianum nec episcopum nec martyrem dici. Imo in Vita S. Ruperti, episcopi Salzburgensis, utrumque aperte asseritur, ut et in tot aliis monumentis.* 3° *In Calendario Tegernseensi sæculi* XI S. Maximilianum *nude* confessorem *dici. Verum in Mellicensi ejusdem ævi* episcopus *et* confessor *appellatur. Præterea voces* Confessor *et* Martyr, *quibus eadem significatio inest, quam sæpissime olim non distinctas fuisse quis ignoret? Verum, utut hæc brevia sunt, diutius forte quam par est hic morati sumus, quum vix aliquid fragilius, quam quæ Winterus prompsit, excogitari possit.* D

NOTA 7 ad pag. 65, littera D.

DE S. OPILIO CONFESSORE

PLACENTINO.

B

Ejus officii antiquitas, conversio, munera, miracula, translatio, imagines.

Q*uæ Fonsonus, de* S. Opilio *prodidit, repetuntur omnia ex lectionibus Officii ecclesiastici Placentini; quocirca operæ pretium videtur annotare scriptionem hanc antiquam satis esse. Re quidem vera, lectiones istas, quales editæ fuere a Fonsono, ad iniens saltem sæculum* XVI *referendas esse diceres, quoniam ad finem veniunt verba :* Hujus etiam translationis memoria, quæ in eadem ecclesia olim a Fabritio episcopo Placentino solemniter acta est, quotannis ibidem sexto idus Maji recolitur; *Fabritius vero ab anno* 1476 *ad* 1508 *Placentinam sedem occupavit. Verum id addimentum est, antiquis adjectum lectionibus, quas ex Mss. Patrum Oratorii Romæ decessoribus nostris describendas curavit P. Laurentius Koler anno* 1648. *Ut enim prætercam in his legi :* Interfuit translationi reliquiarum S. Antonini, *loco* corporis, (*quod discrimen hic curandum non est*), *discrepant hoc solo lectiones Mss. ab editis, quod illæ in hunc desinunt modum :* Denique beatus vir bonorum operum meritis cumulatus, quevit in Domino quarto idus Octobris, tota facie mirum in modum radiante, ejusque corpore suavissimum odorem spirante, *omissis reliquis omnibus de corporis translatione. Ex quibus patet eas nequaquam esse recentes. Cavendum tamen est ne easdem justo antiquiores faciamus; quum enim in iisdem legatur:* Tanto templi S. Victoris, quod nunc S. Antonini dicitur, desiderio tenebatur, *eas scriptas post mutatum hujus templi nomen nemo non intelligit. Porro templum istud prius* S. Victoris *nuncupatum, dein usque ad exiens fere sæculum* IX SS. Antonini et Victoris *dictum est; postea nonnumquam nude* S. Antonini (1); *quocirca eorum ætas saltem citra sæculum* X *figenda est.*

Quam antiquæ lectiones de S. Opilio;

C

2 *Recte dixit Fonsonus omnia, quæ ad* S. Opilium *pertinent, his fere lectionibus contineri; verumtamen et hæc aliquantum illustrari queunt et forte augeri. Imprimis translationem S. Antonini, cui* S. Opilius, *acolythi officio fungens, interfuit, signat Petrus Ripalta* (2), *antiquus Placentinus Chronologus, ad Valentiniani imperatoris tempora. Unde, si Valentinianum I intellexerit, quum hic anno* 375 *obierit, quo et S. Sabinus, translationis hujus celeberrimæ auctor, episcopus creatus legitur in Chronico Joannis de Mussis* (3), *nemo non intelligit hoc quoque anno factam esse hanc solemnitatem; sin autem Valentinianum II indigitavit, collocanda foret eadem celebritas inter annum* 383 *et* 392. *Deum hac occasione usum, ut* B. Opilium *sibi prorsus conjungeret, suggerit Petrus Maria Campus* (4), *scribens :* Is sacræ illi corporis divi Antonini Martyris inventioni præsens crucem acolythi more ferebat qui, ubi Victoris episcopi ossa Martyri locum cedere inspexisset, repente commotus et divino calore incensus, vitam deinceps virtutibus et miraculis gloriosam sanctissime degit. *Hæc hausta ex Vita fusiori* (5), *quam passim in Historia sua Placentina ad marginem citat Campus; unde hæc non sine vade aliquo perhibentur : utinam satis probo. Habet et hic caput pii adolescentis tunc flamma circumfusum; postea vero ejus firmatum consilium, quum magister ejus Podo presbyter in ecclesia SS. Victoris et Antonini casu aliquando coram eo aperuisset psalterium ad hæc verba :* Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam, *et continuo post ex altari ei annuerent SS. Victoris et Antonini imagines* (6).

interest S. Opilius translationi S. Antonini et omnino ad Deum convertitur;

F

3 *A S. Mauro, qui S. Sabino post annum* 390 *successit et qui ipsemet locum fecit Majoriano quem concilio Mediolanensi anni* 451 *interfuisse novimus* (7), *diaconum ordinatum* S. Opilium *narrat Campus in utroque suo opere* (8). *Vitam fusiorem iterum secutus. Res credibilis : quum tunc temporis diaconi sæpius curarent res temporales, eo officio functum* S. Opilium *nil mirabile. Mirabiliora vero prodigia,*

fit diaconus et mira prædixisse traditur,

(1) Cfr Diplomata quæ sunt ad calcem tomi I dell' Historia ecclesiastica di Piacenza di Pietro Maria Campi; et Delle Storie Piacentine di Giovanni Vincenzo Boselli.
(2) Apud Bosellium, Storie Placentine, lib. II, pag. 24.
(3) Muratori Rer. Ital., tom. XVI, col. 448.
(4) In [illegible] storia S. Antonini M[illegible] Sanctorum, ser[illegible], pag. 21.
(5) Cfr Campi Histor. ecclesiastica di Piacenza, tom. I, pag. 130.
(6) Ibid. pag. 125.
(7) Boselli, pag. 22.
(8) In [illegible] stor., etc. pag. 21, et Hist. eccl. di Piacenza, tom. I, pag. 1[illegible]

et

A *et absque certissimis testimoniis vix credenda, a* S. Opilio *inter hæc procuranda patrata, ex eadem Vita suppeditat Campus* (1). *Quum scilicet messis colligendæ ergo in villa Pittoli, tribus a Placentia miliaribus, versaretur, a venenoso aspide vulneratus est messor. Continuo jussit Sanctus vulnus ab ipso serpente exsugi et veniam peti; paruit bestia, resorptoque veneno, crepuit media, convaluit autem colonus. Similiter, quum in alio agri Placentini loco reperisset ecclesiæ pastorem de sublatis a lupis pecoribus flentem; oratione facta, vidit belluas prædam reportantes et capite cernuo ad pedes suos errorem a se admissum confitentes; quas liberas dimisit, vetans ne in idem postea offenderent. Ex eodem fonte propinat Campus* (2) *tertium miraculum. In festo Exaltationis S. Crucis, (quod eruditi norunt originem suam debere non Heraclii victoriæ, sed dedicationi ecclesiæ S. Crucis Constantinopolitanæ sub Constantino Magno)* (3), *dæmoniaca vi obsessa est filia Alberti Caïmi, Placentini præfecti. Porro vix* S. Opilius, *jussus a Podone presbytero,* B *quem ubique sancto juveni præesse videmus, genua in orationem flexerat puellæque frontem crucis notarat signo, quum diffugiunt tartarei spiritus, palam clamantes quanta Placentiæ civitati mala meditati essent. Ad hæc quidem omnia alluditur in editis lectionibus; sed coæva exspectamus documenta, priusquam fidem nostram tam stupendis demus prodigiis.*

similiter in morte et in funere

4 *Inter magistri Podonis brachia juxta Vitam fusiorem oppetiit* Opilius *mortem* (4); *in qua non defuere miracula, sobrie indicata in lectionibus editis; nec in funere, in quo lippus, multis ob beati juvenis mortem fusis lacrymis, suo morbo sanatus est; similiter paralyticus et podagricus, qui aliquantum adjuverant cadaveri imponendo feretro; et mulier, jam triennium fluxu sanguinis laborans, quæ cadaver pie tetigerat. Corpus in templo cathedrali sepultum eodem testimonio prodit Campus* (5). *Vix credibile, nisi statim a morte initium datum cultui ecclesiastico. Non enim tunc temporis intra civitatum mœnia sepulcra* (6). D

Anno 1495 ejus corpus translatum.

5 *Quo tempore S.* Opilii *corpus translatum, latuit Fonsonum. Summo honore id factum* IV *idus Maii anni* 1495 *a Fabricio Martiano, tunc Placentiæ episcopo, tradit Campus in altero opere* (7), *publicum Gregorii Bilegni documentum et codicem accepti et expensi seu computum sacrarii dictorum vades habens. Jacuit ab hoc ævo beati viri corpus sub altari olim S. Stephani, dein* S. Opilii *ad lævam e templo occidentem versus egredientium* (8). *extractæ aliquot reliquiæ, quas* VIII *idus Maii anni* 1583 *Philippus Sega Placentinus antistes, dein S. R. E. Cardinalis, sub lapide superiori altaris maximi seu SS. Antonini et Victoris conclusit, simul cum lipsanis SS. Jacobi, fratris Domini, Stephani* E *primi Martyris, Laurentii, Simplicii et Faustini, Chrysanti et Dariæ, necnon Nemesii et Lucillæ. Ita Campus* (9) *ex publica Francisci Taravelli Fratini charta.*

Quare sub specie adolescentuli pingatur.

6 *A sculptoribus et pictoribus* S. Opilium *sub specie adolescentuli seu juvenis exhiberi* (10), *nil mirum. Placentino quippe populo optime nota patroni sui S. Antonini Acta; in quibus quum* S. Opilius, *acolythi officium obiens, prodeat, pronum est ut hic in puerili ætate ejus menti obversetur. Frustra itaque ex imaginibus statuere conaberis quot circiter vixerit annos.*

(1) Hist. eccl. di Piacenza, tom. I, pag. 138 et seq.
(2) Ibid., pag. 139 et seq.
(3) Cfr Binterim, Denkwurdigh. der katol. Kirche, tom. V, part. I, pag. 155 et seqq.
(4) Campi, tom. I, pag. 141 et seq.
(5) Ibid., pag. 142.
(6) Cfr Acta Sanctorum, t. VII Oct., pag. 935; et t. VIII, p. 886.
(7) Insignium gestorum, etc., pag. 22.
(8) Ibid., pag. 21.
(9) Ibid., pag. 19 et seqq.
(10) Campi, Hist. eccl. di Piacenza, tom. I, pag. 141.

NOTA 8 ad pag. 94, littera B.

C F

DE S. CYPRIANO, FELICE

ALIISQUE MMMMCMLXXV PARTIM MARTYRIBUS PARTIM CONFESSORIBUS

IN AFRICA.

Hunerici persecutio; Sanctorum conditio; iter et locus exilii; tormentorum eorum præsagia; Mauris in servos dati; S. Felix non rediit ab exilio, ut interesset collationi Carthaginensi.

L*icet Byeus pro more suo valde subtiliter Acta* SS. Cypriani, Felicis *et Sociorum excusserit, nonnulla tamen reliquit intacta, aliaque minus forte feliciter tetigit. Quocirca visum est ejus Commentario pauca brevibus adjicere.*

Persecutionis Hunerici initia.

Imprimis, ut aliqua lux disquisitionibus affulgeat, præ oculis habendum est sæpius ab Hunerico in exilium missas confessorum turmas; neque omittenda sunt alia præcipua persecutionis Hunericianæ capita. Porro quum anno 479, *consule Zenone imperatore, S. Eugenius Carthaginensem sedem conscendisset, atque aliquamdiu post negasset Hunerico se templi foribus interdicturum catholicos veste Vandalica indutos, res catholica cœpit magis magisque fieri ambigua. Tunc enim jam nonnulli aulici ad*

campum

A *campum Uticensem metendi ergo destinati sunt. Anno autem* 482 *juxta Morcellii* (1) *computum jussit Hunericus ne amplius Catholici in sua domo militarent, nisi Ariani fierent; quorum ingens numerus, Deo fidem servans, meruit postea in Siciliam et Sardiniam relegari* (2). *Fisco dein adjudicavit demortuorum præsulum bona, vetuitque ne novi crearentur, prius non solutis quingentis solidis. Dein secuta est virginum examinatio crudelissima, quæ tanto honori fuit clero Africano. Huic subnectit Victor Vitensis Martyrum Confessorumque nostrorum exilium, quod Byeus anno* 482 *seu saltem ante diem* 20 *Maii anni* 483 *statuit; Morcellius* (3) *vero et Papencordt* (4) *sub priori parte anni* 483.

progressus et finis.

2 *Pone venit decretum Hunerici, in Kalendas Februarias anni* 484 *collationem Carthaginensem indicentis. Dum pro his jussis Carthagine consisterent quingenti ferme episcopi catholici, datum* VI *Kal. Martias aliud edictum, quo templi claudi præcipiebatur et omnis tollebatur religionis catholicæ professio, pœna statuta in eos, qui ante Kal. Junias* B *ejusdem anni* 484 *Arianis non adhæsissent* (5). *Interea pessime habiti episcopi; quibus quum propositum fuisset in chartam subdolam jurare, aliique id facerent, alii se id facturos negarent, illi ad agros excolendos missi, hi in Corsicam ad cædenda ligna* (6). *Atque hæc tam brevi persecutio generalis subsecuta est, ut in exilium nondum exacti essent Carthagine episcopi, quum jam passim ferveret. Tunc Tipasenses ex Mauritania Cæsariensi fugere in Hispaniam et brevi post secutum celeberrimum prodigium; tunc totus clerus Carthaginensis in exilium actus; tunc tot alii vel fuga sibi consulere, vel eximio martyrio finiere vitam, donec Hunericus sub idus Decembris ejusdem anni* 484 *misere interiit.*

Inter confessores nostros videntur fuisse laici;

3 *Atque ex hac synopsi intelligitur quam ob causam Victor Tunnunensis, num.* 15 *Byei Commentarii excitatus, unico capite universum persecutionis ordinem complexus, ad consulatum Zenonis dicta sua adscripserit. A S. Eugenii scilicet ordinatione res periclitari cœperunt.* Quatuor circiter millia exiliis durioribus relegata *tradit idem auctor; nongentos septuaginta sex ab eo omitti ex S. Victore Vitensi* C *manifestum, quemadmodum recte monet Byeus. Quod vero Victor Tunnunensis scribit* sanctos confessores non tantum sacerdotes et cuncti ordinis clericos sed et monachos et laicos *fuisse; Victor vero Vitensis* episcopos, presbyteros, diaconos et alia ecclesiæ membra, *id est, ut interpretatur Byeus,* inferiores clericos, *non ausim Tunnunensi denegare fidem seu cum Byeo laicos ab hac sacra turba excludere, quum non ita presse accipienda videantur Vitensis verba.*

omnes vero oriundi ex Provincia Proconsulari;

4 *Ex itinere autem, quod sanctis viris sequendum fuisse novimus, eos ex provincia proconsulari seu Zeugitana, in qua olim Carthago, nunc autem Tunisium, præcipua civitas est, expulsos esse non difficiliter ostendi potest. Ducendi quippe erant, teste Victore Tunnunensi, Tubunnas, Macri et Nippium; quo priusquam destinarentur, congregandi erant, auctore Victore Vitensi, in Siccensem et Larensem* D *civitates. Siccæ autem, cognomento* Veneriæ *et* Larium coloniæ, *de quibus hic agitur, situs satis innotescit. Utraque scilicet erant mediterraneæ in provincia Proconsulari, ad australem partem, qua Numidiæ finitima erat. Sicca autem, quæ juxta Antonini Itinerarium secabatur via, quæ Hipponeregio ducebat Carthaginem, distabat a Musti* M. P. XXXII. *Auctore d'Anville* (7), *repræsentatur nunc vico, dicto* Urbs *seu* Kaff; *quæ nomina ad eumdem locum pertinere tradit, licet Shaw et alii plures secus statuerint et per* Kef *Siccam designent. Ex Antonini Itinerario* Lares *seu* Laribum Colonia *seu etiam* Laribus colonia *via publica annectebatur etiam Musti, a qua distabat* M. P. XXX; *ita ut qui Carthagine iret in Numidiam, pergendum ei erat in oppidum Musti; ubi duplex in Numidiam aperiebatur via: altera ducens in Lares, altera in Siccam Veneriam; atque animadvertendum est Musti, Lares et Siccam, de quibus hic sermo, intra limites provinciæ Proconsularis fuisse, et proin errasse scriptores, qui hæc loca ab homonymis non distinxerint.* E *Quibus demum addo neque ignorari Musti situm, quum Shaw* (8) *arcum [illegible] detexerit, in quo id nomen inscriptum est. Verum de his omnibus adeantur geographi.*

alii relegantur in Mauritaniam Sitifensem, alii in Cæsariensem,

5 *Porro quum in duas turmas Laribus et Siccæ divisi essent beati confessores, in Mauritaniam Sitifensem et Cæsariensem abducti sunt, Macri scilicet, Tubunnas et Nippium.* Macri *in Itinerario Antonini recensetur inter Cellas et Sabim, quum Perdicibus Cæsaream pergitur, quodque proin jacebat in provinciæ Sitifensis* (Sétif) *mediterraneis prope desertas regiones* (9). Mugra *hujus oppidi nunc esse nomen perhibet d'Anville* (10). *Ad meridiem ultra utrumque Atlantem erant* Tubunnæ, *in ea videlicet regione, quæ ab alluente Zabo seu Sabo flumine Zabus seu Sabus dicebatur, nunc autem* (ni fallor) Oasis du Ziban, *et quæ Mauritaniæ Cæsariensis pars erat. Habes hic etiamnum locum* Tubnah *dictum secundum d'Anville* (11), Tobna *secundum Cl. V. Texier* (12); *quas Tubunnas pristinas esse et nominis similitudo et reliquiæ Romanorum ædium in-* F *dubium faciunt. Ex Texerii Itinerario licet et accuratius Tubunnarum situm indicare; die enim* 27 *Decembris anni* 1847 *scribebat se Biskaræ, quod oppidum in plerisque mappis cernitur, versari, seque hinc perrecturum Algeriam seu Icosium; quo ut perveniat, se iturum Boucada, quæ ad medium fere itineris jacet et in mappis quoque notatur; deinde vero addit:* Primores (les Cheiks) Zabi Occidentalis venerunt hoc vespere, qui me expectent. Spero me cras in civitate Tobna, ubi multa sunt rudera, me hospitaturum. *Aliquot itaque tantum milliaribus distant ad Occidentem Tubunnæ a Biskara.* Nippium *vero mihi nuspiam apparet. Ast hæc sufficiunt ut intelligantur sancti Martyres in deserto quidem fuisse, sed simul tamen in oppidis, quæ Romani occupabant cum Mauris. De qua re ante dubitabatur, quoniam in provincia Algeriensi ultra montes.*

(1) Africa Christ tom III, pag 197.
(2) Victor Vitensis, lib. II, cap. VII, pag. 29, edit. Ruinartii.
(3) Africa Christ., tom. III, p 198
(4) Geschichte der Vandalischen Herrschaft in Africa, pag. 114 Berlin, 1837.
(5) Vict. Vit., lib. IV, cap. II et seqq., pag. 64 et seqq.
(6) Ibid., cap. IV, pag. 69 et seqq.
(7) Géogr. [illegible] et abrégée, tom III, pag 67
(8) Itinerar., pag. [illegible]
(9) Morcelli, Africa Christ., t. I, pag. 207.
(10) Géogr. ancienne et abrégée, tom III, pag 181.
(11) Ibid., pag. 182
(12) Cfr Journal des Débats, 29 janv 1848.

A tes, quibus vulgi Tell nomen est, nulla habitationum Romanarum reperiuntur vestigia (1). Hæc de exilio nostrorum Martyrum. Verum quis dubitet quin hæc omnia illustriora futura sint, quum jam egregia gens Francorum a Mahometana tyrannide hanc Martyrum palæstram vindicarit eamque in partem Constantinensis provinciæ in Algeria redegerit? Interea alteram turmam Sicca Veneria Cirtam, Numidiæ metropolim, atque hinc Macri progressos esse vix ambigo; alteram Laribus magis ad meridiem processisse atque hinc devenisse Tubunnas facile mihi subit in mentem, quum veterum recentiorumque geographorum scripta inter se confero.

Nil commune habuere cum Tipasensibus Confessoribus;

6 Atque ex hoc ipso itinere satis superque manifestum fit Sanctos nostros confessores nil commune habuisse cum Tipasensibus: de qua re quæstionem instituit Byeus. Licet enim duplex esset Tipasa, altera in Numidia, altera in Mauritania Cæsariensi, dubium tamen moveri non potest. Martyres enim illi, quibus præscisa est lingua, pertinebant (teste ipso Victore Vitensi) ad Tipasam Mauritaniæ Cæ- B sariensis, aliquot leucis ad occasum Algerii sub nomine Tefessed adhuc persistentem; et proin longe aberant a provincia Proconsulari, ex qua expulsi fuere confessores nostri.

præsagia de eorum tormentis in locis, in quibus congregati sunt.

7 Porro, quum per Lares et Siccam Veneriam ducti fuere sancti viri, adimpleta videntur præsagia quibus Deus bonus biennio fere ante, non secus ac olim S. Cypriani tempore, instantem persecutionem indicare dignatus erat: Vidit scilicet venerabilis Paulus episcopus, *Siccensis nempe secundum Morcellium* (2), arborem usque ad cœlos ramis florentibus extensam, quæ etiam dilatatione sua omnem pæne Africam opacabat. Et cum universi ejus magnitudine et speciositate gauderent: Ecce subito, inquit, venit asinus violentus, qui defricans cervicem suam super robur radicum ejus, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram. Sed et Quintianus, honorabilis episcopus, *Laurensis, judice Morcellio* (3), vidit se super quemdam montem stare, de quo conspiciebat gregem innumerabilium ovium (*aliquot codices addunt* suarum), et in me- C dio gregis duæ erant ollæ nimium bullientes; aderant autem ovium occisores, qui earum carnes ollis bullientibus demergebant. Et cum ita fieret, omnis illa magnitudo gregis consumpta est. *Quæ quum retulisset Victor Vitensis* (4), *subdit*: Reor ego duas illas ollas, Siccensem et Larensem duas esse civitates, in quibus multitudo prima fuerat congregata et a quibus incendium initium sumpsit; aut Hunericum regem, et Cyrilam episcopum ejus.

donantur in servos Mauris,

8 Quum Laribus et Sicca educti fuere sancti confessores, traditi quidem fuere Mauris, verumtamen Vandali milites eos usque ad eremum comitati sunt, ut pluribus locis Acta aperte tradunt. At quid traditi fuere Mauris? Erant hi scilicet Vandalorum fœderati, parebantque regulis qui a Vandalis potestatis suæ insignia accipiebant, quemadmodum olim a Romanis. Ast fœdus istud firmum omnino non D erat; quocirca Vandali satagebant eos non minus beneficiis quam terrore et auctoritate sibi devincire (5). Quam ob causam jam a Genserico turmam sanctorum Martyrum cuidam reguli Mauri cognato in servitium datam apud Victorem Vitensem (6) videre est; neque dubitare fas est quin similiter 4976 confessores nostri inter Mauros distribuendi fuerint, eis servilia præstituri obsequia. Quum autem pars Maurorum rus colerent, alii vero pro antiquo gentis more nomadicam ducerent vitam (7); hinc alii fidei confessores coloni, alii in tentoriis servi facti sint oportet: ubique tamen dominis famulantes gentilibus, quum ad hoc ævum usque vix aliquid apud hanc gentem profecisset Christiana fides (8), cæterum erga Catholicos æquiorem Vandalis.

S. Felix Abbiritanus episcopus non interfuit collationi Carthaginensi.

9 Senectute et doloribus inter beatissimos viros conspicuum fuisse episcopum Abbiritanum Felicem satis explicat Victor Vitensis. Verum, quum de eo agit Byeus tota § III, censet hunc eumdem esse ac Felicem Abaritanum, qui secundo venit loco inter E episcopos, qui post collationem Carthaginensem in exilium missi sunt (9). Ast hæc sententia nullam veri speciem videtur habere. Erant videlicet in provincia proconsulari Abbir Major, Abbir Germaniciana, et Abora, totidem sedes episcopales a Morcellio (10) illustratæ. Atqui quum in Victoris textu legatur Abbiritanus et in quibusdam codicibus Abiritanus, Harbiritanus, Abderitanus, Abdiritanus suadent imprimis omnes critices leges ut Abbiritanus retineatur.

sed Felix Abaritanus,

10 Neque ex hac parte difficultas. Verum quum in Notitia Felix Abaritanus legatur, neque uspiam alibi de Abara sermonem fieri suspicaretur Byeus; Felicem hunc Abaritanum in Abbiritanum mutandum æstimavit, rejecto Aboritano Ruinartii (11), cujus tamen sententia varia est. Sed monet Morcellius (12) Abaram vocem punicam esse, qua Vadum seu Trajectus et fors etiam Palus significatur; a Plinio vero commendari arundines piscatorias Abaritanas. Locum itaque apud Pœnos seu Carthaginenses extitisse, cui Abara nomen est, frustra negaretur; quod enim alibi nuspiam præterquam in Notitia et apud Plinium signatur, nil mirum; quum F eadem sors sit tot aliarum sedium episcopalium Africæ: minores quippe ibidem vici suos habebant episcopos; unde factum est ut multæ sedes vix vestigia reliquerint, seu etiam omnino perierint ab hominum memoria. Quum itaque nulla urgeat Notitiæ corrigendæ necessitas, tenendum est Felicem Abbiritanum episcopum seu Abbir Majoris (quum enim Abbir sola legitur, de Majori videtur esse sermo, non vero de Minori seu Germaniciana) tenendum est, inquam, Felicem hunc ab exilio non fuisse reducem ante mensem Februarium anni 484, neu collationi Carthaginensi interfuisse: cui cæterum absque miraculo, ut innuit ipse Byeus, interesse non potuisset: tanta erat ejus senectus et infirmitas.

frustra obnitente Byeo.

11 Argumenta vero, quibus sententiam suam fulcit Byeus, minoris forte ponderis sunt: nempe Fe-

(1) Notice sur les traces de l'occupation romaine dans la province d'Alger, par M. de Caussade, dans les Mém. de la Société archéolog. de l'Orléanais, t. I, pag. 261.
(2) Afr. Christ., tom. III, pag. 196.
(3) Ibid., l. c. et tom. I, pag. 199.
(4) De persec. Vandal., lib. II, cap. VI, pag. 28 et seq.
(5) Papencordt, pag. 202.
(6) Lib. I, cap. XI, pag. 14 et seq. Cfr Act. SS., t. VII Octobris, pag. 833.
(7) Papencordt, pag. 29 et seqq.
(8) Cfr Victor Vitensis passim.
(9) Ruinart, de persec. Vandal. p. 123.
(10) Tom. I, pag. 10, 14, 64.
(11) Ibid., pag. 109 et 218.
(12) Tom. I, pag. 59.

licem

A *licem Abaritanum aliunde non nosci; verum nec plerique alii, qui in Notitia citantur episcopi, cognoscuntur aliunde. Dein S. Præsidium episcopum non diu ante exilio mulctatum, collationi tamen interfuisse; verum quidni addit multo plures abfuisse? Præterea verbo* exilium *seu* in exilium *nomini Felicis Abaritani in Notitia adjecto significari eum non secus ac innumeros alios, quibus hæc nota adscripta est, ab exilio fuisse reduces; verum quid* Corsica, *aliis appositum nominibus signum? Certe ex titulo Notitiæ, ex recapitulatione ad finem, ex vocabulo* exilium *aliis nominibus, et* Corsica *aliis addito, satis manifestum est hic agi de aliis omnino rebus, videlicet de sententia post collationem Carthaginensem in episcopos lata, quorum alii in exilium acti sunt, quod jurare vellent; alii in Corsicam delati, quod jurare nollent. Unde vero fiat ut nil appositum sit multis nominibus, operæ pretium non est hic investigare.* D

NOTA 9 ad pag. 104, litera D.

DE S. FIECO EPISCOPO SLEPTENSI.

B

Ejus apud Martyrologos memoria; genus, cognati ac magister: topographica quædam.

S. Fieci annuntiatio in Fastis sacris,

I*nter rationes a Byeo allegatas, quibus ostendere laborat locum* S. Fieco *in Opere nostro competere, mirum est haud comparere auctoritatem Claudii Castellani, quæ in re hujusmodi suo pondere non caret; quandoquidem is scriptor Martyrologio suo nullum cum titulo Sancti inseruit cui cultum ecclesiasticum præstari aut aliquando præstitum fuisse non crediderit. De* Fieco *autem ad diem* XII *Octobris ita scribit :* In comitatu Reginæ in provincia Lageniæ in Hibernia S. Fieci episcopi Sleptensis. *Accedit auctoritas viri eruditi æque ac pii, qui Londini anno* 1761 *lingua anglica edidit Memoriale Britannicæ pietatis seu Martyrologium Britannicum* (1), *in quo, prout ipse in Præfatione sua profitetur, appositum* Saint *eorum dumtaxat* C *præfixit nominibus quos religiosam a majoribus venerationem consecutos fuisse ex calendariis, ecclesiarum ac paræciarum nominibus aliisve antiquis monumentis compererat : si quos vero alios quamvis ecclesiastico cultu potiti numquam fuerint, tamen ob egregias eorum virtutes suis fastis inserendos putavit, hisce epitheton* Holy, *tamquam minoris dignitatis, attribuere consuevit. Porro* Fiecum *nostrum ad priorem classem refert, ita in Supplemento sub die* II *Octobris* (*ex erroneo forsan indicio pro die* XII) *de eo scribens :* In Hibernia memoria S. Fieci, discipuli S. Patritii et archiepiscopi Lageniæ, de quo refert Jocelinus quod ante se ad cœlum sexaginta sanctos ex discipulis præmiserit.

quorum aliqui et filium ejus Fiachrium memorant.

2 *Tamlactense Martyrologium* S. Fiecum *unaque filium ejus ad diem* XII *Octobris ita annuntiat :* Fiacus, et Fiacrachus filius ejus cum eo, in Slebte. *Dungallensi autem pater sic inscribitur :* Fiacus episcopus Slebtensis in Lagenia, *filius vero :* Fiacrachus de Aonchill, cujus pater Fiacus Slebtensis ; *et ad patris nomen in apographo hujus Martyrologii quo Colganus olim usus fuit, quodque nunc in Bibliotheca Burgundica Bruxellis asservatur, manu diversa adjectum est :* de genere Catheiri Magni. E *Præterea, teste Colgano* (2), *utrumque annuntiant Ængussius, Marianus, Carolus Maguir et Calendarium Casselense ; atque in Sanctilogio genealogico, quod Selvacius Cormaci regis Momoniæ et archiepiscopi Casselensis secretarius circa initium sæculi* X *concinnasse creditur* (3), *capite* XX *legitur* (4) S. Fiecus Sleptensis filius Erici, filii Fieci, filii Darii Bairrich. *Dici proinde potest* S. Fiecum *veteribus Hibernorum Fastis sacris omnibus extare inscriptum ; at tacitus eum præteriit auctor Calendarii Hibernici quod anno* 1813 *additum fuit novæ editioni operis Butleriani de Vitis Sanctorum* (5), *neque in Officiis Sanctorum Hiberniæ ulla ejus mentio occurrit : unde concludendum videtur cultum ejus, si quem olim habuerit, præsenti tempore aut desiisse aut valde angustis contineri finibus.*

Ejus proavi, F

3 *Jam quod in additione ad Martyrologium Dungallense dicitur* S. Fiecum *fuisse* de genere Catheiri Magni, *consonat Selvacii Sanctilogio paulo ante adducto, ubi genealogia ejus ad Darium Bairrich deducitur, sicut et Scholiastæ verbis a Byeo ex Colgani Triade allatis* (6). Fuit ex stirpe Darii cognomento Bairrech. *Nempe Darius hic patrem habuisse fertur Catheirum Magnum, quem aiunt ex rege Lageniæ anno* 119 *vel* 122, *mortuo Felmidio Legifero, regem totius Hiberniæ evasisse* (7), *sed triennio post apud Talteniam in Midia per Luaguios interfectum fuisse* (8), *ac Lageniæ quidem regnum suis reliquisse posteris, in regno vero Hiberniæ successorem nactum esse Constantinum Felmidii Legiferi filium* (9). *Attamen in eo Scholiastes ac Sanctilogii genealogici auctor inter se dissentiunt, quod hic avum* S. Fieci *Fiecum vocat, ille vero ait :* S. Fieci pater Ereus sive Ericus fuit prædicti

(1) Memorial of ancient British piety, or a British Martirology.
(2) Trias Thaumat., pag. 185, not. 37.
(3) Cfr Colganus, Act. Sanct. Hibern., pag. 3, et O'Reilly, a chronol. account of Irish writers, pag. LXI.
(4) Apud Colganum, Tr. Thaum. pag. 8, not. 4.
(5) Lives of the Fathers, etc., tom. XII, pag. 415 et seqq.
(6) Pag. 105, annot. h.
(7) Colganus, Tr. Thaum., pag. 391 et 392, cap. XVII, pag. 449, not. 31, pag. [illegible], not. [illegible]; O'Reilly, d'Arbois, [illegible] sur l'Irlande, pag. 1 et 72.
(8) O'Reilly, op. cit., pag. 73. Cfr Colganus, op. cit., pag. 25, cap. XIII, pag. [illegible], not. 13, pag. 129, cap. IV.
(9) Cfr Colganus, op. cit., pag. 449, not. 32.

Darii

A Darii ex Bregano filio nepos. *Opinatur quidem Colganus Fiecum Darii filium fortasse cognomento Breganum sive Breoganium dictum fuisse; verum quum credibile haud sit inter Darium, qui jam anno 122 vel saltem 125, patre suo moriente, in vivis fuerit oportet, et S. Fiecum, qui sæculo quinto floruit, duas tantum generationes intercessisse, videtur potius Breganus a Fieco Darii filio distinguendus, prout reapse, nempe ut filius a patre, distinguitur in alio Sanctilogii loco, videlicet in genealogia S. Aidi episcopi, ubi hic asseritur* (1) *fuisse* filius Melodrani, filii Brocani, filii Corbmaci, filii Diermeltii, filii Eochadii Guinech, filii Erci, filii Brecani, filii Fiegi, filii Darii Barrigh, filii Catheiri Magni.

fratres Eochadius,

4 *Secundam hanc igitur genealogiam frater* S. Fieci *fuerit Eochadius Guinech, quem anno* 465 *Crimthanno Kinsalechi filio, regi Lageniæ, avo suo materno, mortem intulisse, atque anno* 429 *prælio Killosnadhensi interfuisse narrant Quatuor Magistri in suis Annalibus* (2) : *quamquam quod ad occisionem* B *Crimthanni pertinet, hi scriptores secum ipsis non constant, dum eumdem regem perhibent anno* 478 *adfuisse prælio Ochano, in quo Olidus Molt rex Hiberniæ cecidit* (3). *Ac Colganus quidem cum Usserio* (4) *admittit Crimthanni vitam ultra prælium illud protractam fuisse, uti asseverant auctor quartæ Vitæ S. Brigidæ* (5) *et biographus S. Kierani Saigrii* (6); *contra vero O'Flaherty in Notis Mss. ad Triadem Thaumaturgam, teste Joanne Lanigan* (7), *existimat Crimthanni necem reapse anno* 466, *qui Quatuor Magistris est annus* 465, *accidisse. Sane si verum sit, quod Hibernicæ narrant historiæ, Ennium Kinsalechum Crimthanni parentem regnum Lageniæ jam tenuisse circa annum* 360, *quo tempore Eochadius Moymedonius esset Hiberniæ rex* (8); *item Eochadium dicti Endii filium adeoque Crimthanni fratrem anno* 405 *extitisse interfectorem Nielli Noigiallachi* (9) : *hæc, inquam, si ita se habeant, non valde probabile est, uti etiam Lanigan judicat, Crimthannum adhuc anno* 478, *imo juxta Usserium anno* 483, *adeo robustis fuisse viribus ut in aciem præliaturus procederet.*

et alii tres vel quatuor;

C 5 *Animadvertendum quoque est interfectorem Crimthanni regis ab auctore Vitæ tripartitæ S. Patritii, ex qua Byeus Encomium* S. Fieci *a se hic editum accepit, non Eochadium, sed Ængussium appellari. Quippe dicto Encomio illa mox subjunguntur, quæ Byeus omittenda censuit* : Aengussius autem prædictus S. Fieci frater, in ultionem suæ relegationis (et) injuriam sibi et suæ familiæ illatarum, tandem interemit ipsum regem Crimthannum, suum suæque familiæ capitalem inimicum. *Ad quæ verba Colganus sequentia annotat* (10): Interfector Crimthanni regis juxta omnes fuit ex familia Hi Bairche sive Darii Bairrich, ex qua et S. Fiecus erat; sed non Aengussius, sed Eochadius a Quatuor Magistris et quatuor diversis D Catalogis regum Lageniæ et in quibusdam genealogiis vocatur, sed perperam filius Darii Bairrich, rectius vero et hic in genealogia S. Aidi apud Sanctilogium genealogicum cap. 20 fertur fuisse filius Erci filii Brecani, filii Fieci, filii Darii Bairrich. *Neque Eochadium uspiam memorat laudatus Vitæ tripartitæ auctor; sed præter Ængussium* S. Fieco *fratres assignat Alildum, Conaldum et Etherschelium, patrem ipsorum Mac-Erca vocans, de quo videatur Colgani animadversio, a Byeo allata annotato* s.

magister Dubthachus poeta.

6 *De Dubthacho O'Lughair poeta, ejus magistro, refert Jocelinus* (11) *quod* baptizatus *a S. Patritio* et in fide Christi confirmatus, carmina quæ quondam studio florente peregit in laudem falsorum deorum, jam in usum meliorem mentem mutans et linguam, poemata clariora composuit in laudem omnipotentis Dei et sanctorum ejus præconum. *Unum ex hisce poematibus a Dubtacho jam Christiano compositis etiamnum superesse creditur, videlicet hymnus sacer Festilogio S. Ængussii, hibernice* Felire Ænguis *dicto, insertus, cujus initium est* : Sen a Crist mo labhra *hoc est*, Benedic o Christe, meis verbis. E *Putatur et ex carminibus ejus profanis aliquid conservari in codice, cui titulus est* Leabhar na cceart, *id est*, Liber Jurium (12). *Quod autem nonnulli aiunt Dubtachum fuisse unum ex novem viris a quibus anno* 438 *aut* 439 Hiberniæ antiquitates et sanctiones legales, *ut loquuntur Quatuor Magistri* (13), S. Patricii authoritate repurgatæ et conscriptæ sunt (*quod opus* Seanchas mor, *id est*, Antiquitas magna *appellatur*; *id quidem in rebus maxime dubiis reputandum est, quandoquidem, ut Lanigan observat* (14), *pleraque quæ scriptioni illi a narratoribus affiguntur adjuncta omni prorsus carent verisimilitudine. Denique inter Dubthachi laudes illud quoque refertur, quod, ut ait Colganus* (15) felici viri Dei *Patritii* benedictione ditatus, meruit multæ et sanctæ posteritatis auctor extitisse, *ita ut, teste S. Ængussio keledeo* (16), *triginta utriusque sexus Sancti e stirpe ejus prodierint.*

Notitia de regione dicta Hy-Kinselagh;

F 7 *Quæ ad conversionem* S. Fieci *ejusque ordinationem et vitam in episcopatu actam attinent, satis diligenter prosecutus est Byeus. Unde nihil aliud hic a nobis præstandum restat nisi ut topographicas aliquot notitias Commentario ejus adjiciamus. Regio* Kinselagh, *quam Sanctus potissimum lumine Evangelii illustravit, amplum efficiebat Lageniæ australis partem; ast quousque fines suos quaquaversum extenderet, inter scriptores non plane convenit. Guilielmo Beauford judice* (17), *continebat hodiernos comitatus Wexfordiensem, Wicloensem, Kilkenniensem atque partem australem comitatus Reginæ. Harris vero in opere de scriptoribus Hibernis ad nomen* Fieci *notat dictam regionem constitisse ex*

(1) Apud Colganum. Act SS. Hibern. pag 14, not. 2; et Tr. Thaum. pag 176, not. 17.
(2) Apud Colganum, Tr. Thaum, pag 187, not. 15, pag. 565, not 5; et Act. SS Hibern, pag. 564, not. 24.
(3) Apud eumdem, Tr. Thaum., pag. 565, not 8; et Act. SS. Hibern., pag. 164, not. 26.
(4) Britann. Eccl. Antiq, cap. xv, pag. 320, edit. Lond. anni 1687.
(5) Tr. Thaum., pag 551, cap. xii.
(6) Act. SS. Hibern., pag. 460, cap. xx.
(7) Eccles. Hist. of Ireland, tom. 1, pag 279, not. 57.
(8) Apud Colganum, Tr Thaum., p. 119, n. 33; O'Kelly, op. cit. p. 77.
(9) Colganus, loc. cit.; O'Kelly, op. cit., pag. 79.
(10) Tr Thaum., pag. 186, not. 17.
(11) Ibid, pag. 75, cap xliv.
(12) O Reilly, op. cit, pag xxvi, xxvii et xxviii.
(13) Apud Colganum. Tr. Thaum, pag. 214, num. 6.
(14) Op. cit., tom. I, pag 371 et 372.
(15) Act. SS Hibern, pag 51, cap. i.
(16) Ibid, pag. 52, not. 8.
(17) Ancient topography of Ireland, in Collectaneis de reb. Hibern, vol. III, num. xi, pag. 264.

partibus

A *partibus comitatuum Wexfordiensis, Carloensis ac Reginæ; dum alio in opere, nempe de Antiquitatibus eam ad magnam dumtaxat partem comitatus Wexfordiensis restringit, licet* potius, *inquit Lanigan* (1), debuisset comitatum Kilkenniensem insuper ei addicere, prout Seward fecit, a quo tamen Wicloensem omitti oportuisset. *Sed de Wicloensi Guilelmus Beauford jam citatus cum Sewardo consentit, neque indicat Lanigan cur eum omissum velit.*

necnon de locis Domnach Fiec, Slebte seu Slepte,

8 *In Carloensi comitatu sita erat ecclesia cui nomen fuit* Domnach Fiec, *id est,* Ecclesia Fieci, *quam primam a Sancto fuisse exstructam asserit auctor Vitæ tripartitæ S. Patritii, contra ac habet Jocelinus, qui primam intra civitatem Sleptensem ædificatam fuisse scribit; Sleptensis autem civitas eo in tractu extabat qui hodie comitatus Reginæ nuncupatur. Liquet hoc ex vitis sancti Patritii, quæ docent duo illa loca flumine inter se disjuncta fuisse; atqui flumen illud* Birgus *est seu* Barrow *(a Byeo num.* 1 *Commentarii prævii memoratus), qui comitatum Reginæ a Carloensi dividit. Porro ecclesiæ ac*
B *monasterii Domnach Fiec nullum amplius videtur superesse vestigium; episcopatus vero Sleptensis quamdiu perstiterit, compertum non habeo, neque alium præsulem novi qui post* S. Fiecum *cathedram ibi occupaverit præter Aidum cum titulo episcopi Sleptensis in Martyrologiis Hibernicis memoratum, ad diem* VII *Februarii* (2), *et anno* 698 *vel* 699 *defunctum* (3). *Certe temporum decursu ipsa Sleptensis civitas in viculum satis exiguum abiit, qui nunc Leghlinensis diœceseos parochia est, nec plures quam* 189 *incolas anno* 1831 *numerabat* (4). *Nomen ipsius anglica scriptione est* Slatey, Sleaty *aut* Sletty, *absque dubio proveniens ab hibernica appellatione* Sleibteagh, *quæ* montanum habitaculum *significat, et ex qua apud latine scribentes* Sleibhti, Slebte, *vel* Slepte *derivatum est. Visuntur ibi rudera vetustæ ecclesiolæ necnon duæ cruces lapideæ a remotissima antiquitate in cœmeterio extantes* (5). D

Aonchill ac Minbeag.

9 *Locum* Aonchill, *a quo* S. Fieci *filius in Martyrologio Dungalensi* Fiacrachus de Aonchill *denominatur, frustra inquisivi. Fuerit ibi fortasse sedes episcopatus ejus: namque, ut refert Vita S. Patritii tripartita,* Fiachrium, postquam annis et doctrina maturus evasit, manu sua ordinavit Patricius; *quod et contestatur Jocelinus* (6), *post enarratas* S. Fieci *laudes:* Filius autem ejus, *inquiens,* superius memoratus scientia et sanctitate patrizavit, et alibi gradum episcopalem sortitus, in Domino requievit. *Neque uspiam sive in mappis sive in commentariis topographicis obvius mihi fuit locus* Minbeag, *ubi* S. Fiecum *ejusque filium Fiachrium quievisse tradunt scriptor Calendarii Casselensis et Carolus Maguir, a Byeo num.* 34 *Commentarii prævii ex Colgano allegati. Verumtamen utcumque determinari potest ex indicatione quam adjungunt, videlicet situm eum fuisse* in silva inter Cluainmor Moadhoc et Achadh abhall. *Quippe* Cluainmor, *ubi S. Maidocus Fernensis episcopus monasterium erexit, in meditullitio hodierni comitatus Wexfordiensis (quem olim regionis Kinselagh partem fuisse supra demonstratum est) quatuor ab oppido Enniscorthy in meridiem milliaribus an-* E *glicis, vulgoque nunc* Clonmore *dicitur* (7); *et* Achadh-abhall *sive* Achadh-abhla, *ubi cœnobium a S. Finiano Cluainerardensi fundatum fuit, licet nullum sui vestigium reliquerit, tamen a Thoma de Burgo* (8), *Archdall* (9), *Carlisle* (10) *et Lanigan* (11) *in comitatu item Wexfordiensi collocatur; et merito quidem id ab iis scriptoribus fieri quisque fatebitur, qui S. Finiani ex Britannia in patriam appulsi iter per Lageniam ob oculos habuerit* (12); *unde dubitandum nullatenus videtur, quin uti de Cluain-mor certo constat, sic etiam Achadh-abhla et Minbeag in medio fere comitatu Wexfordiensi exstiterint.*

(1) Eccl. Hist. of Ireland, tom I, pag. 276 et 277, not. 45.
(2) Cfr Colganus, Act SS. Hibern., pag 221.
(3) Idem. Tr. Thaum., pag. 218. Cfr Lanigen, op cit., tom. III, pag 140.
(4) Lewis, Topographical Dictionary of Ireland ad verbum *Slatey*.
C (5) Id ib: Beauford, Ancient topographi of Ireland pag. 417 et 418; Gough, in Camdem Britannia, t. III, p. 536.
(6) Tr. Thaum., pag. 92, cap CXVII
(7) Lewis, op. cit. et Carlisle, Topograph. Dictionary of Ireland, voce *Clonmore*.
(8) Hibern. Dominic., pag 727
(9) Monast Hibern. citatum a Carlisle et Lanigan
(10) Op. cit., voce *Achadhabhla*.
(11) Op cit., tom I, pag 468, not. 130.
(12) Apud Colganum Act SS. Hiberniæ, pag. 394, cap XII et seqq., et apud Lanigan, op cit., tom. I, pag. 465, 467 et 468, not 127, 130 et 131. F

NOTA 10 ad pag. 119, littera F.

DE S. EDWINO REGE

NORTHUMBRORUM.

De cultu S. Edwini, tufa ante eum gesta, et Tinmuthensi fundatione ei tributa.

De S. Edwino *permultos post Byeum scripsisse latere neminem potest. Quin tamen illius vestigia relegamus ejusque de* S. Edwini *gestis dicta cum his, quæ ab aliis postea de iisdem pronuntiata sunt, componamus impedimento est ipsa rerum copia. Quocirca pauca tantum hic congerenda videntur. Imprimis quum in* S. Edwini *cultu adstruendo tantopere laborandum fuerit Byeo, operæ pretium fuisset integrum titulum Martyrologii Whitfordi recitasse, quum ex eo manifestum sit hunc libellum maximam partem liturgicum fuisse et proin alicujus esse auctoritatis qua constet* S. Edwino *ecclesiasticos collatos fuisse honores. Concipitur itaque hic titulus his verbis:* The martiloge in Englyssche, after use of the Chyrche

S. Edwini cultus ex Fastis sacris,

A che of Salisbury, an as it si redde in Syon, with addicyons. London 1526. *In eo autem ad diem* XII *Octobris hoc laudatur* S. Ediwnus *modo :* In Anglia festum S. Edwini, regis Northumbriæ, et mariti S. Ethelburgæ virginis, a qua conversus fuit ad fidem. Potquam autem sancte vixisset et plura patrasset miracula, proditione occisus, Martyr effectus est. *Notatur quoque ejus nomen in calendario ecclesiastico Romano, ex variis sumpto fontibus* (1), *quod Harris Nicolas operi suo chronologico inseruit* (2) ; *sed ad diem* 4 *Octobris.*

quid tufa ante cum gestata ;

2 *De* tufa *per integram fere paragraphum dissesrit Byeus. De eo in Auctario ad tomum* v *Octobris jam diximus, adstruentes ex Joanne Lydo eam esse regiæ potestatis insigne et constare ex lancea longiori, promissa juba equina ornata, eamque a Romanis* jubam *dictam, a barbaris* tufam. *Hinc etiamnum vox gallica* une touffe. *Operæ pretium non videtur disputare de accusatione superbiæ in* S. Edwinum *intorta. Quæ enim superbia, si rex barbarus, suscepto baptismate, aliquantum deserat gentis suæ* B *mores et pro potestatis suæ indicio utatur insignibus, apud eas usitatis nationes, ex quibus ad se apostoli venerant?* D

dicitur prioratum Tinmuthensem fundasse.

3 *De templo cathedrali Eboracensi sumptibus* S. Edwini *fundato satis dixit Byeus ; omisit vero sermonem facere de prioratu Tinmuthensi, cujus prima initia* S. Edwino *quoque in acceptis referuntur. Verumtamen nil, quod omnino exploratum sit, de hujus institutionis exordio. Interea en paucis quid de eo e Lelandi Collectaneis et e Brandii opere* (3) *in Monasterium Anglicanum novum* (4) *translatum sit : Leland scilicet ex Chronico S. Albani monasterii, penes quod Tinmouth exeunte sæculo* XI *factum est per donationem Rogeri de Molbray comitis Northumbriæ, collegit ædificatum hic fuisse a rege* Edwino *ædem ligneam, quam monachæ, seu, ut Brandius vult, monachi et monachæ occuparent ; atque hic postea ejus filiam, Rosellam nomine, velo monastico indutam. Deinde autem hoc cœnobium miserabilius visum Oswaldo, ab anno Domini* 634 *Northumbrorum regi, ab eoque jussum lapideum exstrui, unde multis fundator habitus sit. Verum hoc ævum obscurius, quam ut certi aliquid statuere liceat.* E

(1) The Chronology of History, by sir Harris Nicolas, p. 97 et 98. London 1838.
(2) Ibid., pag. 113.

(3) Brand's History of Newc. up Tyne, tom. II, pag 65 et 66.
(4) Tom. III, pag. 302.

NOTA 11 ad pag. 128, littera D.

DE S. RODOBALDO EPISCOPO ET CONF.

TICINI IN LONGOBARDIA.

C **§ I. S. Rodobaldus capitulum suum ad vitam communem traducit ; favet FF. Prædicatoribus et Augustinianis ; nequaquam vero monialibus Cisterciensibus.**

ANNO MCCLVI.

S. Rodobaldus II Papiensis episcopus

Quum *Fonsonus suum de* S. Rodobaldo *Commentarium scripsit, in lucem jam prodierant Morronii* (1) *et Capsonii* (2) *opera de episcopis Papiensibus ; verum ut hæc ad ejus non pervenerunt manus, ita nec ad nostras ; quæ tamen annotare lubuit, ut norit lector quo sit recurrendum ad expendenda dicta nostra et forte corrigenda. His præmissis, ante omnia animadvertimus duos distinguendos esse Ticinenses seu Papienses episcopos, nomine Rodobaldos; quorum alter seu I, S. Fulco anterior, concilio Lateranensi sub Innocentio III affuit et cognomen habuit de* Sangregoriis ; *alter seu II, S. Fulco posterior, cognomen habuit* Cepolla *seu* Cipolla *et cultu ecclesiastico fruitur ; atque de hoc nunc agitur.*

ad exemplum Ardinghi Florentini canonicos suos ad vitam communem traducit.

2 *Eum porro anno* 1230 *episcopum creatum fuisse certum videtur. Quum enim Papiensis præsul S. Fulcus die* 26 *Octobris anno Domini* 1229, *ut unanimi calculo tradere videntur historici, supremum diem obierit, quumque Ardinghus Foraboschus, qui prius ad succedendum S. Fulco vocatus fuerat, anno Domini* 1230, *ut ex bulla Gregorii papæ IX certum fecit Ughellus* (3), *Florentinam sedem conscenderit, hinc fit ut, si ratio habeatur morarum quæ ex refutatione Ardinghi ortæ sint,* S. Rodobaldi *episcopatus initium anno Domini* 1230 *omnino sit consignandum.* F *Postquam autem hoc pacto ad Papiensis ecclesiæ regendum clavum promotus fuisset,* S. Rodobaldus, *operam suam continuo contulit ad instaurandam inter canonicos disciplinam. Præ oculis habebat exemplum Ardingdi Foraboschi, non ita pridem Papiæ sui sodalis, qui canonicos ecclesiæ cathedralis Florentinæ jam ab anno* 1231 *ad vitam communem aliasque Canonicorum Regularium leges traduxerat* (4). *Idem molitus* S. Rodobaldus, *condidit, ut testis est Romualdus a S. Maria, statuta, quæ hic ipse Ms. ad manus habuit et ex quibus hæc pauca recensuit :* Cum S. Rodobaldus, *inquiens* (5), Ticini episcopum ageret, anno 1233, majori quo

(1) De ecclesia et episcopis Papiensibus Comment., quo Ughelliana series emendatur, continuatur et illustratur, Romæ, 1857.
(2) Origine e privileg. della Chiesa Pavese, colla cronologia de suoi Vescovi Pavia.

(3) Ital. sacr., tom. III, col. 108.
(4) Ibid., pag. 109 et 110.
(5) Flavia Papia Sacra, pag 39.

poterat

poterat ecclesiæ hujus consulens decori, nonnullis eam communire statutis sategit: quæ tamen, capituli voto accedente, condidit. Atque in primis tres inibi præpositi, archidiaconi atque archipresbyteri dignitates constituit; duos item capellanos, alterum S. Joannis ad fontes, alterum confessorii S. Crispini; quatuor similiter clericos, ædituum sive sacristam unum, syndicos duos; qui omnes communem sequerentur vitam. Item statuit quod canonici in Sabbato Sancto ad Missam, cum primum annuntiari audirent Alleluia, canonicalibus depositis repente cappis, superpelliceis dumtaxat ornarentur, usque ad primas S. Michaelis festi Vesperas; tunc autem cottas deponentes, cappas reassumerent usque ad Sabbatum Sanctum. In solemnitatibus tamen, inter id temporis spatium occurrentibus, iisdem liceret cottis uti, una cum cappis, in ecclesia et odeo; pluvialia vero haud assumerent, nisi cappis exuti. *Harum legum mutationes exponit dein Romualdus a S. Maria; sed hæ minus ad nos pertinent. Eodem tempore confirmavit* S. Rodobaldus *plures antiquas consuetudines, quas, quem diximus, scriptor similiter recenset* (1).

Inventarium seu indicem facit reliquiarum Papiensium.

3 *Quadriennio post Papiensium Reliquiarum visitationem instituit, quam recte memorat Fonsonus: legit enim Romualdus a S. Maria* (2) *in codice Ms. archivii episcopalis:* Anno Domini MCCXXXVII dominus Rodobaldus Dei gratia Papiensis episcopus fecit inquiri corpora Sanctorum, quæ sunt in civitate Papiæ et in ecclesiis, in quibus recondita sunt, et in libro quodam per ordinem enarrata reperiuntur, et sunt nomero CXXVII; exceptis, quæ non sunt scripta in hoc libro et multis reliquiis, quæ in dictis ecclesiis sunt reconditæ, etc. Arch. S. Majoli. *Hunc librum ab ipso* S. Rodobaldo *conscriptum tradit Romualdus* (3), *eumque passim vocat* Chronicum. *Nullus dubito quin hic liber præluxerit auctori anonymo de laudibus civitatis Ticinensis* (4); *atque hinc fovte fieri arbitror ut, licet hic ineunte sæculo* XIV *scripserit et accurate satis singularum ecclesiarum sacra pignora recenseat, nullam tamen de* S. Rodobaldo *mentionem faciat: quod scilicet plerumque litteris signaret quæ in* S. Rodobaldi *scriptione legisset, non quæ oculis perspexisset suis. Huic libro addiderat* S. Rodobaldus *commentarium de delubris regum impensa erectis, nominatim ubi ipsi reges tumulantur. Passim de eo sermonem habet Gualla* (5).

FF. Prædicatoribus non ecclesiam S. Thomæ, sed forte S. Mariæ de Nazareth contulit.

4 *Præterea in encomio, quod Fonsoni Commentario capitur, dicitur* Ticinensem ecclesiam sacris templis et cœnobiis mirifice auxisse; *verum hæc verba, utpote panegyrica, restringenda nemo non videt. In indice quidem rerum notabilium sub* S. Rodobaldi *nomine de ecclesiæ S. Thomæ ædificatione mentionem facit Romualdus a S. Maria; verum ostendit ipsemet in opere* (6) *id templum, quod olim monachæ Benedictinæ incolebant, esse antiquius; unde, si quid* S. Rodobaldus *ei contulerit, eum ad summum restauratorem, nequaquam exstructorem censendum esse. Verum ego arbitror æquivocationem esse, eamque ortam ex eo quod* S. Rodobaldus *FF. Prædicatores Papiam admittens, eorum quasi fundator exstiterit, iique ab anno 1302 S. Thomæ monasterium incoluerint. Anno videlicet 1231 B. Isnardus Vicentinus (quem distinguas oportet ab Isnardo Taccono itidem ex O. P.) Ticinum accessit; ubi, concedente (ut videtur)* S. Rodobaldo, *locum S. Mariæ de Nazareth in prato Ticini cum sociis occupavit, ibique anno 1244 vita functus est. Hinc emigrarunt FF. Prædicatores anno 1283 ad ædem S. Andreæ de Realibus; quam sedem anno* 1302 *commutarunt cum æde S. Thomæ, quam, ut dictum, incolebant olim monachæ Benedictinæ* (7). *Atque hinc manifestum est S. Thomæ monasterium a* S. Rodobaldo *non collatum fuisse B. Isnardo de Vicentia, (quemadmodum in Commentario legere est), quum uterque jam pridem obiissent. Dicatur itaque* S. Rodobaldus *fundator FF. Prædicatorum Ticinensium, nequaquam vero* conditor S. Thomæ, *prout appellatur a Gualla* (8).

FF. Augustinianos in civitatem suam reduces admittit circa annum 1254

5 *Eremitas S. Augustini, qui jam olim Papiæ, ubi patroni sui corpus pridem servabatur, conventum habuerant, in civitatem suam episcopalem reduxit. Id anno 1252 factum alicubi* (9) *tradit Romualdus a S. Maria; sed alibi* (10) *id assertum corrigit, annum 1254 signans; quem annum Torellius* (11) *quoque habet, non quidem ex certo instrumento, sed quod* S. Rodobaldus, *qui partem in hoc negotio habuit, anno 1254 secundum Ughellium obierit. Fieri tamen non potest ut, si annus 1254 admittatur, multum a vero aberretur. Etenim quum Eremitis his, Papiam reducibus, prius concessum fuisset ut precario jure ecclesiam S. Mustiolæ occuparent, postea vero, anno nempe 1277, eam ex donatione jure proprio haberent, confectum est anno 1277 indictione* V, *die veneris, secundo mensis Aprilis diploma, in quo de priori concessione legitur* (12): Considerantes quod dicta ecclesia S. Mustiolæ, tam longo tempore, ex ratione talliarum, eidem ecclesiæ impositarum per apostolicam sedem et ejus legatos et episcopos, et communis Papiæ oneribus in tantum depressa est, quod ipsa ecclesia, jam sunt anni viginti et plures, fuit servitoribus et ministris et clericis sæcularibus in temporalibus et spiritualibus destituta, excepto dicto D. Guidone Præposito (*primario auctore utriusque concessionis*), qui ibidem propter ipsius ecclesiæ paupertatem ac inopiam a dicto tempore citra morari non potuit, nec eidem in spiritualibus Domino deservire; et in dicta ecclesia religiosos viros et religiosum ordinem et conventum FF. Eremitarum S. Augustini recepisse; qui Fratres a dicto tempore citra ibidem in Domino se laudabiliter habuerunt, bonæ memoriæ quondam D. Reobaldi episcopi Papiensis accedente consensu. *Quum itaque anno Domini 1277 viginti et plures essent anni, ex quo* S. Reobaldus *seu* Rodobaldus *consensum suum dedisset, sequitur consensum hunc anno 1254 aut circumcirca concessum.*

(1) Flavia Papia sacra, pag. 43.
(2) Ibid., pag. 11.
(3) Ibid., pag. 10
(4) Ap. Muratori, Scriptt. rer. ital., t. XI, col. 1 et seqq.
(5) Jac. Gualla Jurisconsulti Papie sanctuarium, 1505.
(6) Part. I, pag. 82.
(7) Ibid. loc. cit.
(8) Sanctuarium Papie, fol. 13
(9) Flavia, etc. part I, pag. 98.
(10) Ibid., part III p. 68.
(11) Secoli Agostiniani, ad an. 1254, num. 19 et seqq. tom. IV, pag. 500, et ad an. 1277, num. 7 et seqq., tom. IV, p. 796 et seqq.
(12) Ibid., num. 11, pag. 800.

A

non vult dare Cisterciensibus monialibus hospitium, licet mandatum pontificium ad id habeant;

6 *Dubium itaque non est* S. Rodobaldum *anno* 1251 *Ticinensem adhuc fuisse episcopum et proin ad eum pertinere sequens documentum* (1) : Anno a nativitate Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, indictione nona, die Jovis, decimo mensis Augusti. In Papia, in palacio domini episcopi Papie domina Marina monasterii S. Marie matris Domini de S. Maria in Pertica Cisterciensis ordinis abbatissa, obtulit, præsentavit et dedit nomine monasterii ejusdem domino episcopo Papie has litteras, bulla domini pape bullatas, sanas et integras et illesas. Tenor quarum litterarum talis est : « Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Papiensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilectarum in Christo filiarum abbatisse et conventus monasterii S. Marie in Pertica Papie Cisterciensis ordinis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum tanto per mantum * onere paupertatis, quod non habeant unde possint suis necessitatibus subvenire, hospitale de caritate, monasterio ipsi contiguum, in quo nec vite honestas, nec hospitalitas nisi modica dicitur observari, quod etiam nullam ecclesiam vel oratorium habere asserint *, nullosque fructus vel redditus summam quinquaginta librarum imperialium excedentes, eidem monasterio uniri pietatis intuitu mandavimus *; cum ipsa * parata * sint eidem hospitali ibidem residentibus in vite necessariis providere. Nos igitur et earumdem abbatisse ac conventus inopia ac votis ipsarum, quantum cum Deo possint *, satisfacere cupientes, fraternitatem tuam rogamus et monemini * attento, per apostolica tibi scripta mandantes gentem * hospitale ipsum unias monasterio memorato, tuo et successorum tuorum in omnibus jure salvo; rescripturus nobis quod indi duxis * faciendum. Datum Mediolani quinto nonis * Augusti, pontificatus nostri anno nono. » Qui quidem dominus episcopus, habitis et receptis et lectis his litteris, respondit ac dixit quod nihil faceret, et inde ista domina abbatissa suo nomine et nomine monasterii ac conventus prædicti hanc cartam fieri rogavit. Interfuerunt Guido Guasto, Bertholot de Putheo atque Joannes Guasto, testes. Ego Gregorius Guasto sacri palacii notarius prædictas litteras cum prædicta sana bulla domini pape bullatas hanc cartam fieri rogatam scripsi.

* premantur. B * asserant * mandaremus? * ipse? * parate? * possumus? * monemus? * quatenus? * inde duxeris * nonas C

hujus rei causa latet.

7 *Porro licet hæc charta multis locis medica manu indigeat, sensus tamen ubique satis manifestus est, ut intelligatur* S. Rodobaldus *respondisse se nil facturum de mandatis Innocentii papæ IV, præcipientis ut hospitium monialibus Cisterciensibus de S. Maria in Pertica, paupertate laborantibus nimia, conferret. Quas vero ob causas id ab eo factum nullo indicio proditur; quocirca præstat nullum de his ferre judicium, et nonnulla alia, quæ huc pertineant, illustrare. Erant olim Papiæ intra tertii exterioris muri ambitum, quo ipsa civitas fuit amplius aucta per circuitum* (2), *duo inter se vicina asceteria, quibus a cœmeterio nomen S. Mariæ ad Perticas, et quorum alterum virorum, etiam dictum S. Maria Rotunda, exeunte sæculo* XVII *penes Carmelitas congregationis Mantuanæ erat, alterum transierat ad Capuccinas moniales, nomen S. Francæ adeptum* (3). *Atque de posteriori hic agitur. Volunt porro olim ibi degisse moniales Benedictinas, quæ, quum S. Bernardus anno Domini* 1134 *has in partes venisset* (4), *Ticinenses inter et Mediolanenses pacem compositurus, vestem nigram cum alba Cisterciensium mutarint* (5). *Hospitale autem, quod postulabatur, cum titulo* S. Mariæ in Pertica *ab Anonymo Ticinensi* (6) *circa annum Domini* 1320 *adhuc recensetur; unde pateat mandatis pontificiis tunc nondum factum satis. Quo vero tempore idem locus venerit in potestatem asceterii virilis S. Mariæ ad Perticas, nam ei unitum fuisse traditur* (7), *non reperio.*

D

§ II. Origo societatis Flagellantium et laicorum sodalitiorum; videtur S. Rodobaldus Gibelinus fuisse; ejus mors et translatio.

E

Societati, quæ aliquando societas Flagellantium facta est, favit quidem S. Rodobaldus,

Porro si S. Rodobaldo *hæc laus danda non sit quod eximie faverit Cisterciensibus monialibus, nemo recte negarit eum favisse institutioni, quæ dein facta est societas Pœnitentium. De ea Anonymus Ticinensis hæc habet* (8) : Est autem ibi quædam societas laicorum,... qui certis diebus et noctibus et maxime in Hebdomade Majori, quæ dicitur Sancta, procedunt per civitatem ad ecclesias et prædicationes, præcedente cruce, amicti sacco super nudo, facieque velata, et detectis scapulis, se catenis ferreis vel corrigiis verberantes; ac ante altaria prostrati quædam devotionis verba cantantes *. Habent enim inter se certam regulam et hospitale pro pauperibus extra portam Palatinam seu Palatiensem; et fit viris istis in aliqua ecclesia sæpe prædicatio specialis; qui in tantum sæpe proficiunt, ut multos de lupis faciunt * agnos, concordantes ad invicem capitales inimicos, et inducentes eos ad male ablata restituenda et ad opera pietatis. *Sæpius de hoc instituto sermonem facit Romualdus a S. Maria, alicubi* (9) *ejus ortum referens ad annum* 1216; *sed manifesto errore typographico, quum alibi* (10) *constanter scribat annum* 1256. *Hæc si ita essent, quum* (*ut infra dicetur*) *reliqui Flagellantes anno tantum* 1260 *prodierint, dicendum foret, a* S. Rodobaldo *confirmatum fuisse primum Flagellantium sodalitium, et proin secundum multos primam laicorum confraternitatem piam. Verum hæc dare non possumus, ut ex dicendis liquebit.*

* cantant. * faciant. F

sed propterea dici nequit ab eo institutum fuisse primum sodalitium sacrum laicorum.

9 *Ut itaque intricatissimas, quæ hic latent, quæstiones delibem, quantum ad rem nostram faciat, sepono ante omnia corpora et collegia, quæ apud Romanos aliosque antiquissima esse ignorat nemo; omitto item sodalitatum militarium genus, quod apud priscas*

(1) Carlo Morbio, Storie dei municipi Italiani, vol I, Ferrara e Pavia, p. 157.

(2) Anonymus Ticinensis de laudibus Papiæ, apud Muratori Scriptt. tom XI, col. 12 et 13.

(3) Cfr Romualdus a S. Maria, part. I, pag. 103 et seq.; part III, pag. 19.

(4) Act. SS., tom. IV, Aug., pag. 151; et Delle Antichità Longobardico Milanensi, dissertatione XXXII.

(5) Romualdus a S. Maria, part. III pag. 20.

(6) Apud Muratori, Scriptt., tom. XI, col 15.

(7) Romualdus a S. Maria, part. I, pag. 104.

(8) Apud Muratori, Scriptt., tom. XI, col. 28.

(9) Papia Sacra, part I, pag. 87.

(10) Ibid., part. III, pag. 34 et pag. 53.

A priscas germanicas gentes in usu fuisse testis est Tacitus aliique; sileo de conjurationibus, de fratribus Kalendariis, de gildis, de conviviis, deque aliis hujuscemodi conventibus, quæ tum pro auxilio corporali tum pro spirituali sibi mutuo a sociis præstando per universam fere Europam, maxime tamen apud gentes septemtrionales instituta fuere et sæpenumero B. M. Virginem aut alios Sanctos patronos habebant; ut tandem deveniam ad societates laicorum omnino sacras. Censent multi scriptores Itali eas post medium demum sæculum XIII ortas; sed errant profecto, quum jam sæculo XI et sequentibus plurimæ citra montes exstarent; et quidem tantus est eorum numerus, ut juverit nullas recensere, quum secus vel in immensum esset excurrendum vel mutilus omnino exhibendus foret Catalogus.

quum et in ipsa Italia antea exstarent pia laicorum sodalitia;

10 Verum contendes saltem plerisque scriptoribus Italis concedendum sacra laicorum sodalitia apud eos originem suam debere cœtibus Flagellantium; ast non omnes id dant ipsimet eruditi Itali. Mansi (1) scilicet æstimat ea aliquantisper antiquiora, B exempla societatis Florentinæ Laudensium, qui dein Servi B. M. V. facti sunt, et societatum Mutinensium, quæ Flagellantium ritu per Regii plateas ivere, allegans: prius aliquantum valet; alterum valde incertum est (2). Marangoni (3) objicit tertium ordinem Pœnitentium S. Francisci; qui sane initio religiosi non erant. Muratorius, qui integram dissertationem de præsenti argumento conscripsit, in priori parte connectit omnia vetera sodalitia cum præsentibus; postea tamen, quum dixit de schola sacerdotum Veronensi eique ad Flagellantes transeundum est, videtur mutare sententiam, scribens (4): Utcumque hoc sit, hactenus dicta non obscurum piarum confraternitatum vestigium, antea quam Romæ sodalicium Confalonis anno MCCLXVII exoriretur, nobis exhibent. Quamquam rursus ajo, ante ea tempora rarissimos in Italia fuisse ejusmodi pios laïcorum cœtus, aut etiam fortassis a subsequutis sodaliciis dissimiles in multis extitisse, usque adeo ut si quisquam contendat, circiter annum MCCLX institutionem illorum, sive renovationem esse statuendam, certe me sibi adversantem non sit habiturus. C Verum hæc certe non scripsisset Muratorius, si cogitasset de sodalitiis Rosarii Mantuano, Perusino, Patavino, Placentino et Laudis Pompeiæ, quæ omnia anno 1260 certissime antiquiora sunt (5); et hæc sane multo magis præsentium confraternitatum seu sodalitiorum rationem habebant, quam primum Flagellantium institutum; quod potius cum societate Patarinorum, quale sæculo XI seu SS. Arialdi et Herlembaldi, ævo erat, comparaveris. Atque hæc satis esse videntur ut intelligatur S. Rodobaldus non primum laicorum sodalitium pium confirmasse.

societas, cui favit S. Rodobaldus non videtur initio fuisse Flagellantium.

11 Neque crediderim societatem, ob eo approbatam, ab initio Flagellantium fuisse. Etenim, licet scriptores Itali coævi non conveniant de omnibus adjunctis, quæ ad ortum hujus rei pertineant, in hoc D tamen fere consonant anno 1260 raptim et quasi furore quodam hoc pœnitentiæ genus publice invaluisse (6): non scilicet hic agitur de flagellatione privata, quæ medio sæculo XI anterior est (7). Unde credibile non est jam antea societatem laicorum, quæ flagellationis usum inter leges suas haberet, Papiæ exstitisse, nisi coævi optimique scriptores id doceant; quos ego nullos existere reperio. Quid ergo fidemne omnem denegabimus historicis Papiensibus? Viam mediam si teneamus, omnia conciliare poterimus. Si enim dicamus societatem quamdam piam Papiæ anno 1256 conflatam fuisse, ab eaque anno 1260 flagellandi ritus (quos nemini fere tunc respuere licebat per plebis fervorem) adoptatos fuisse, fluent omnia facile. Ut enim antea vidimus S. Rodobaldum vestigia Ardinghi, pristini sui socii, postea vero Florentini præsulis, secutum in traducendis suis canonicis ad vitam communem ita non est quod miremur eumdem sanctum Papiensem antistitem sategisse ut, quum videret Florentiæ invalescere Laudensium societatem, similem Papiæ haberet. E Etenim Laudenses die IV Septembris anni Domini 1233, probante Ardingho, societatem suam inceperunt; et dein aliquamdiu, priusquam in Senario monte se abderent, exemplo et incitamento Florentiæ civitati fuere, non veste religiosa, nec regulis monasticis aut similibus usi (8). Certe non potuere hæc latere S. Rodobaldum et pientissimum quemque Papiensem civem; nil itaque pronius erat, quam ut simile quid Papiæ tentaretur. Quod a Simeone Albericio, quem Romualdus a S. Maria Beatum dicere solet, anno Domini 1256 factum et a S. Rodobaldo probatum. Convenere hujus instituti sodales in ecclesiam SS. Gervasii et Protasii usque ad annum 1335, quo inter eos schisma ortum est (9); sed nostrum non est hujus instituti historiam texere: quocirca alia ejus facta omittimus.

S. Rodobaldus cum sua plebe videtur a partibus imperatoris fuisse.

12 Dum S. Rodobaldus Papiensibus præesset, exarsit bellum Papiam inter et Mediolanum; hæc nempe Guelforum, illa Gibelinorum partes sequebatur. Fidem dederant Papienses nil mali a se illatum iri Cisterciensi Morimundo abbatiæ, quæ in F agro Mediolanensi erat simul et in finibus Papiensibus. Verum, ut non semel in bello fit præter jus et fas omne miserabili modo spoliarunt Papienses cœnobium ineunte Decembri mense anni Domini 1237. Querelas fudere de hoc facinore Mediolanensis præsul et Morimundenses coram Gregorio Papa IX, qui Vercellensi episcopo in mandatis dedit ut per censuras ad satisfactiones cogeret Papienses; sed per litterarum furtum, per bella aliasque calamitates nil perfectum; adeoque anno 1265 aut sequenti eadem renovata strages. Porro licet documenta coæva, quibus ipsa harum rerum adjuncta particulatim explicantur (10), non desint, nuspiam tamen legitur S. Rodobaldus operam suam collocasse, ut diœcesanos suos ad resarciendam injuriam induceret unde pro-

(1) Animadversiones in Raynaldi continuationem Baronii ad an. 1260, num. 5 et 1265, num. 41.
(2) Muratori, Antiq. Ital. tom. VI, col. 473 et 474.
(3) Cose gentilesch., pag. 13.
(4) Antiq. Ital., tom. VI, col. 467.
(5) Cfr Annal. Ord. Præd., tom. I, pag. 319, 333, etc.
(6) Cfr Scriptt. citt. a Raynaldo et Mansi Annal. Eccles. ad an. 1260, num. v; Muratori, Annali d'Italia ad an. 1260, Antiquit. Ital., tom. VI, col. 467 et seqq., etc., etc.
(7) Benedict. XIV de Canoniz. SS., lib. III, cap. XXVIII, num. 7 et seqq.
(8) Cfr Mansi apud Rainaldum, Annal. ecclesiast. ad an. 1259, num. XII.
(9) Papia Sacra, part. I, pag. 87.
(10) De Morimundensis cœnobii desolatione apud Ughellium, Ital. Sacra, tom. IV, col. 183 et seqq.

num

A *num est conjicere pium antistitem a partibus imperatoris cum suo grege stetisse; et quidem egregius annalista coævus Godefridus monachus* (1) *tradit Fredericum* natalem Domini egisse apud Papiam *anno* 1237, *paucis diebus post Morimundi depopulationem. Verumtamen fatendum alios velle ab eo natalem Domini hoc anno celebratum Laude* (2). *Utut id est, fieri posset ut responsum, quod supra num.* 6 *retulimus, nempe se nil facturum de mandato quodam pontificio, studiis politicis tribuendum foret.*

Moritur anno 1256 ejusque corpus bis transfertur

13 *Romualdus a S. Maria et secundum eum Fonsonus statuit* S. Rodobaldum *anno* 1254 *mortuum; sed hæc stare non possunt, si quidem ipse P. Romualdus, ut paulo supra videbamus, statuat anno* 1256 *a pio nostro antistite probatum fuisse B. Simoneis Albericii sodalitium; adeoque, ut annotat Ughellius* (3), *anno tantum* 1256 *successit* S. Rodobaldo *Guilielmus Canetus. Ast illum sepultum fuisse in templo Papiensi cathedrali inter omnes convenit; quo primum loco depositus fuerit, non re-* B *perio. Verum anno* 1579 *Hippolytus Rossi, Papiensis episcopus, dein Cardinalis, illud cum pluribus aliis sacris reliquiis transtulit. Paraverat enim ad altare maximum pulcherrimum S. Syro, Papiensium patrono, e marmore tumulum; quem sex in partes distribui voluit, ut in singulis suus Sanctis esset loculus. Hæc autem erat partitio:*

D

S. RODOBALDI EPISCOPI PAPIÆ.	CORPUS SANCTI SYRI EPISCOPI PAPIÆ.	S. FULCI EPISCOPI PAPIÆ.
S. LITIFREDI EPISCOPI PAPIÆ.		S. DAMIANI EPISCOPI PAPIÆ.
S. ROMANINI P.		

Quum vero anno 1614 *magna pars novi templi perfecta esset et cum veteri conjuncta, ex veteri in illam novam partem translatum est altare illud maximum; ipsum vero sepulcrum quinque SS. Ticinensium episcoporum et S. Romanini presbyteri, jubente episcopo Joanne Baptista Bigli, translatum est in oratorium subterraneum, quod in nova æde exstructum erat. Noluit præsul loculos reserari, sed præcepit ut dignissimo loco mausolæum poneretur et ornaretur altari, quod omni ex parte imaginibus eorumdem Sanctorum niteret* (4).

14 *In Fonsoni Commentario supersunt nonnulla ex Papia Sacra Romualdi a S. Maria deprompta, quæ hic tangenda visa non sint. Ea tamen nolim meo calculo probare, quum videam P. Romualde prælusisse elogium* S. Rodobaldi *seu* Rhedubaldi, *quod Jacobus Gualla contexuit, quodque tot simul fœdavit anachronismis aliisque erroribus, ut nemo facile verum a falso secreverit.* *Monitum.* E

(1) Apud Freherum, Rerum Germanic. Scriptt., tom. I, p. 403, edit. Argentor. anni 1717.
(2) Cfr Muratori. Annal. d'Italia, ad an. 1237.
(3) Italia Sacra, tom. I, col. 1106.
(4) Ciampi, dell' historia eccles. di Piacenza, lib. XVII, t. II, pag. 142 et 143.

ADDENDA AD DIEM XIII OCTOBRIS

NOTA 12 ad pag. 161.

C F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

B. Catharinæ de Vicecomitibus *festum annuntiatur in Kalendariis quibusdam Taurinensibus anni* 1722 *et sequentium: nonne eadem ac* Christina de Vicecomitibus, *cujus Vita data ad* XIV Februarii.

S. Cassii Narniensis episcopi *festum hoc die agi Lucæ in Tuscia ait Cæsar Franciotti in Historiis Sanctorum illius civitatis* (1). *Decessores nostri cum Martyrologio Romano moderno de eo egerunt* XXIX Junii.

Romæ depositio S. Honorii papæ *hodie in Vaticano apud Sollerium Usuardi auctario legitur, quemadmodum notatum est a prædecessoribus in Prætermissis ad hanc diem. Verum supersunt alia hujuscemodi testimonia. Etenim si Versus, quos medio sæculo* XII *Nicolaus Maniacutius, canonicus regularis Lateranensis, de Romanis Pontificibus scripsit, adeas, vides ibidem* (2):

Honorium cum Severino, teque, Joannes (IV),
Inter prædictos cœlestes scribimus omnes.

Neque hic finis: legitur quippe apud Novaës (3) *a Trombellio detectum fuisse, et Zaccariæ communicatum ut Collectioni ineditorum monumentorum insereretur, kalendarium sæculi* XII, *in quo Honorius I similiter cum* Sancti *titulo prodibat. Quid ergo? Aliquamdiu in uno aliove loco* Honorium *cultum fuisse crediderim; sed brevi hanc venerationem optimis de causis resedisse. Præcipuos scriptores, qui conati fuerint ejus vindicare memoriam, recenset Novaës* (4); *sed quum per has*

(1) Historie delle miracolose imagini et delle vite de' Santi, etc., pag. 240.
(2) Apud Papebrochium, Propyl. Maji, pag. * 27.
(3) Elementi della storia de' sommi Pontefici, tom. I, pag. XVII.
(4) Ibid., tom. II, pag. 19 et seqq.

A *has vindicias non tollatur labes, sed ad summum aliqua ex parte minuatur; nil nobis laborandum ut a concilio generali damnatus P. M. iterum* inter cœlestes scribatur, *ut Maniacutii verbis loquar.*

In Scotia festivitas S. Conwallani abbatis, qui sæculo VI floruit et S. Cogani abbatis, qui sæculum VIII virtutibus suis honestavit, *annuntiatur hac die in Martyrologio Anglicano* (1); *desideramus antiquiora de cultu* S. Conwallani *testimonia.* S. Coganus *vero idem videtur ac S. Conganus, de quo ad hanc diem Commentarium habes in Opere nostro.*

S. Anastasii Confessoris *nomen occurrit nobis ad hunc diem in Calendario Cenomanensi antiquo, quod ex Mss. Collectaneis Decessorum nostrorum præ manibus habemus; sed abest a recentioribus ejusdem ecclesiæ Calendariis : unde non videtur Sanctus indigena fuisse. Quisnam vero ex pluribus Confessoribus hujus nominis fuerit, hactenus ignoramus.*

S. Laurentii episcopi et confessoris *nomen legitur* B *hac die in Kalendario Verdinensi sæculi circiter* XII, *cujus editionem Edmundi Martene* (2) *curis debemus. Ast quis ille* Laurentius episcopus et confessor, *qui Werdæ seu Werthinæ, (quæ diœcesis Coloniensis abbatia olim erat* (3).) *ita colebatur? Profecto, quum nulla alia Martyrologia hac die* S. Laurentii *meminerint neque ullum proin lumen affundant, et quum nullus (quantum norim)* S. Laurentius *episcopus et confessor ante sæculum* XII *in his partibus floruerit, hinc fit ut translatio aliqua reliquiarum hic celebrari, sed simul distingui non posse videatur cujusnam* D S. Laurentii *episcopi et confessoris, quum plures homonymi cultum ecclesiasticum habeant. Cæterum jam pridem videtur veneratio illa interiisse; percurrenti enim mihi librum* IV *Ægidii Gelenii de Magnitudine Coloniæ, seu sacros et pios Fastos Agrippinenses occurrerunt quidem plura Werdinensia festa, nullum vero* S. Laurentii *episcopi et confessoris.*

S. Lupentius abbas basilicæ S. Privati Martyris urbis Gabalitanæ, martyrio affectus, *Officium ritus simplicis habet ad hunc diem in Breviario Senonensi anni* 1641. *Alibi colitur die, quo et nos de eo agemus,* XXII Octobris.

S. Rolandum pontificem *aliquem in ecclesia cathedrali Leonensi in Britannia minori vel hoc vel ultimo mensis Octobris die (alibi enim* 13, *alibi vero* 31 *scribit) officio ritus duplicis, sed sine lectionibus propriis, olim coli consuevisse, affirmat R. D. Tresvaux canonicus Parisiensis in Catalogo Vitis Sanctorum Britanniæ minoris prævio* (4) *et in opere de Ecclesia Britannica* (5); *suspicaturque hunc fuisse* Rolandum II, *ex monacho Montis S. Michaelis episcopum Dolensem. Quum tamen præter hanc viri docti suspicionem nihil hactenus de cultu præsulis illius Dolensis, cujus obitus in Necrologio Montis S. Michaelis diei* XII *Martii affigitur, habeamus, eum modo prætermittamus necesse est. Optamus interim certa nancisci de* S. Rolando *a Leonensibus Britanniæ minoris culto documenta, usui fortassis nobis futura ad diem* XXXI Octobris. E

(1) Memorial of ancient British Piety, pag 113.
(2) Vett. Scriptt. ampl collect., tom. VI, col. 682.
(3) Cfr Binterim et Mooren. Alte und neue Erzdiozese Koln, tom III, pag. 86 et 87
(4) Vies des Saints de Bretagne, tom I, pag. LXVII
(5) L'Eglise de Bretagne, pag. 270, not. 1

DE S. PROCULA VIRGINE ET MART.

GANNATI IN GALLIA.

C F

SYLLOGE

Cultus certus, gesta incerta.

TEMPORE INCERTO

Prope Gannacum in Alvernia S. Procula martyrium pro tuenda virginitate perpessa : ita hodie in Martyrologio suo universali Castellanus; verum nominis istius Sancta quæ in Alvernia vel martyrium subierit vel colatur, nobis haud aliunde est nota, eamque sola Castellani auctoritate, etsi interim, ut putamus, minime spernenda, in Opus nostrum inferre non audemus : *sic ad diem* XIII *Octobris in Prætermissis Decessores nostri; quibus per tot clades forte non amplius ad manum erant Vitæ Sanctorum Alverniæ : quas inter* (1) *ad præsentem diem legitur* S. Proculæ *Passio. Hanc autem Branchius acceperat a P. de Gaches, collegii nostri Mauriacensis tunc temporis incola, qui ipsemet eam descripserat ex Legenda, in ecclesia Gannatensi usitata. Et quidem, ut istinc discere est, duplex celebrabatur Gannati* S. Proculæ *festum, alterum translationis die* IX *Julii, alterum natalis die* XIII *Octobris. Ut itaque de* S. Procula *Virgine et Martyre nullum est dubium, sic nec de ejus cultu. Sed quidni idem dicere liceat de his quæ ei adscribuntur gestis? De quibus ut qualecumque feratur judicium, lectoris oculis subjiciendum videtur* S. Proculæ *Vitæ compendium.*

Certus S. Proculæ cultus;

2 *Porro nata traditur beata puella illustri genere in montibus, quibus Alverni dividuntur a Ruthenis. A pueritia quam pientissime a parentibus instituta, perpetuæ castitatis votum adolescentula fecit; quod ut Deo solveret quam integerrime, manuum laborem, orationem, jejunium et modestiam multa sedulitate adhibuit. Quum itaque Deo soli, abjectis omnibus terrenis studiis, viveret, in gravissimam animi per-* ejus gesta

(1) Branche, Vie des Saincts et des Sainctes d'Auvergne et de Velay, pag. 50 et seqq

turbationem

A *turbationem venit, intelligens parentes suos de suo matrimonio deliberare. Ambiebat quippe ejus nuptias filius-familias ex vicino castro; ast* B. Procula, *a spirituali illo horrescens adulterio, id prius precibus et lacrymis amovere sategit; quibus quum nil proficeret, veste mutata, fuga se abripuit inter dumeta, quibus montes superioris Alverniæ ad Borbonienses fines consiti erant. In hac ergo solitudine vitam degens pientissimam, æstimabat jam ab omni periculo pudicitiam suam tutam esse; quum ecce sponsus in eam, ubique, quæsitam, tandem incidit. Jam inter necem et connubium eligendum est. Nihil moratur* Procula, *pectus signo crucis munit, et Christum perpetuum suum fore sponsum iterum profitetur. His auditis, procus, ira percitus, gladio virginis caput amputat. Verum divina vi corpus humo resurgit, caputque Dei laudes concinens ad templum defert, traditque capellano Paulo in manus, ut illud hoc ipso in loco sepeliat, ubi se toties ecclesiæ sacramentis refecisset. Hæc fere Branchius ex Aegenda (ut diximus) Gannatensi.* D

3 *Quid vero ex his examini subjicias? Tempus, quo sancta Virgo vixerit, ne attingitur quidem; locus, unde orta sit, vago tantum indicatur modo; parentum nomina silentur; procus non magis indigitatur, licet nunc ejus nomen, conversio et sancta mors sit in ore vulgi; et miraculum portati capitis, non singulare in Alvernia, sæpius jam a nobis* (1) *et Decessoribus* (2) *inter res non credendas (donec testimonia omni exceptione majora afferantur) relatum. Tandem de Gannato seu Gannapo aut etiam Gannaco id tantum notandum, ante turbatum sæculo* XVIII *regnum Gallicum capitulum ibi fuisse, cui* S. Proculæ *cultus multa debet. Non plura in illa regione de hac sancta Virgine et Martyre innotescere videntur; quum et nos nuper isthinc de ejus gestis interrogati fuerimus, et brevi post vicissim interrogantes de cultu, nil hucusque responsi acceperimus.*

B (1) Act. Sanctorum. tom. VII Octob., pag. 816 et 819, t. VIII Octob., pag. 328.

(2) Papebrochii Respons., ad exhibit. errorum art. IX, acc. V, num. 31 et seqq.; et alibi passim. E

DE B. REGINBALDO EPISCOPO CONF.

SPIRÆ IN GERMANIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

C

§ I. B. Reginbaldi cultus, ortus, monachatus et abbatiale regimen in Augustano S. Afræ et in Eberspergensi cœnobiis, in quæ vitam monasticam induxit.

ANNO MXXXIX

B. Reginbaldus Spiræ aliquod cultus initium habuit.

M*artyrologia, in quibus* B. Reginbaldi *celebratur memoria, recensita fuere inter Prætermissos ad* XXI *Augusti et ad præsentem diem. Ast neque ex his neque aliunde ulla certa cultus ecclesiastici indicia colligi posse statuit is decessor noster, qui* B. Reginbaldum *hodie inter Prætermissos iterum retulit. Verum si paulo diligentius excutiamus scriptores de rebus Spirensibus, legimus apud Lehmannum* (1) *hæc non ex Antiquitatibus Fuldensibus, ut habet, sed ex Chronico Augustano* (2) *deprompta verba:* Primus abbas *(monasterii Augustani SS. Afræ et Udalrici)*, vir sanctæ admodum vitæ, cum certis fratribus accersitur, sed in brevi spatio in episcopum Spirensis ecclesiæ, quæ tunc etiam a monachis regebatur, assumptus est, ubi et pro beato colitur Sancto; *si versamus accuratius auctores de SS. Afræ et Udalrici monasterii laudibus, apud Romanum Kistler* (3) *videmus* B. Reginbaldi *pedum abbatiale in thesauro cœnobii cum cæteris sacris pignoribus pie servatum fuisse; si quærimus an passim Sanctus habitus sit, ecce Raderus* (4), *Schonleben* (5), *Bucelinus* (6), *Helwich* (7), *Khamm et Monumenta Tegernseensia quæ citat* (8), *Kistler* (9), *Meichelbeck* (10), *pluresque alii, qui pro re nata inferius prodibunt,* Reginbaldum Sanctum *appellant aut* Divum; *Gallia Christiana* (11) *et RR. DD. Rass, Weis et De Ram* (12) *Beatum eum vocant, eo animo ut a* Sancti *nomine abstineant, sed simul indicent aliquo cultu sacro eum honestatum fuisse. Solus (quem norim) Castellanus eum* Venerabilem *dicit; verum quando ipse hunc titulum Dei servis adscribit, eosque simul (ut hic facit) reliquis Sanctis inserit, tantum id ei valere solet, quantum quum alii eos* Beatos *appellant, significantes aliquod cultus initium exstare aut exstitisse; quin etiam in Additionibus et Correctionibus ad hanc diem vult ut textui addatur* Reginbaldum *a Me-* F

(1) Chronica der Reichs stadt Speier, pag. 663

(2) Apud Pistorium, Rerum German. vett scriptt., t. III, pag 674.

(3) Basilica, das ist Herrliche Kirchen des Frey Reichs Klosters St-U.r und Afra in Augsburg, tom. II, fol 11.

(4) Bavaria Sancta, tom. I, pag. 212

(5) Annus Sanctus Habspurgo-Austriacus, pag. 664.

(6) Martyrol. Benedict. ad 21 Augusti.

(7) Antiquitates Laurishamenses, pag. 95.

(8) Hierarchia Augustana, part III, regular., pag. 2 et seqq.

(9) Basilica, etc., loc. sup. cit.

(10) Historia Frisingensis, tom. I, pag. 231 et passim.

(11) Tom V, col 721.

(12) Vies des pères, des Martyrs, etc. d'Alban Butler, édit. de Louvain, tom. XV, pag. 324.

nardo,

A *nardo, Rucelino et Hersfeldero* Sanctum *appellari. Fatendum tamen aliquot catholicos et plerosque protestantes ejus nomen efferre absque ullo venerationis signo : verum id ab illis factum videtur, quod* B. Reginbaldi *festum non celebratur ; ab his, quod de cultu Sanctorum non rite sentiunt. Utut est, omnium maxime animadversione dignum est monachis SS. Afræ et Udalrici Augustanis jam pridem solemne fuisse primum suum abbatem non alio indicare nomine quam* Sancto Reginbaldo, *quin etiam Bernardus Hertfelder hujus asceterii prior aperte de eo scribit* (1) : Mortuus in Sanctorum numero censetur. *Quibus demum accedit pientissimi viri sepulcrum Spiræ in honore fuisse et multa ibidem patrata miracula. Quæ quum ita sint, non veremur RR. DD. Rass, Weis et De Ram imitari et* Reginbaldo *titulum* Beati *adscribere, ejusque gesta inter Sanctorum et Beatorum acta exhibere. Ceterum si cultus parcus fuerit, cum bene multis aliis in Germania Sanctis, maxime episcopis, non liberalius actum.*

B *In diœcesibus Augustana, Frisingensi, Moguntina et Spirensi animarum curam habuit;*

2 *Quoniam vero inter disserendum de* B. Reginbaldi *rebus multa loca, in quibus vel degerit vel quæ alio nomine ad ejus gesta pertineant, obviam fient, operæ pretium fuerit hæc in limine designare.* Kyburgum, *quod nomen vario modo effertur, castrum erat in monte, medio milliari ab oppido Wintherthuro disjunctum, ad sinistram ripam fluminis Toesi, in pago Durgaugensi seu in Zurichgavia* (2), *in hodierna Helvetia. Ejus conspectum dedit Marquardus Herrgott* (3). Dillinga *in Bavaria, ad Caurum Augustæ Vindelicorum* (Augsburg), *notior est, quam ut pluribus de ea dicatur.* Tegernseensis *abbatia, cujus imaginem habes in Monumentis Boïcis* (4), *sæpius illustrata fuit in Opere nostro ; nil aliud de ea hic notabimus, quam eam conditam fuisse ad lacum Tegurinum (unde ejus nomen), in Bavaria superiori* Ebersperga, *in quam* B. Reginbaldus *vitam monasticam induxit non secus ac in asceterium Augustanum SS. Afræ et Udalrici, ad viam publicam Monachium inter et Wasserburg jacet in Bavaria, olim in diœcesi Frisingensi. Castri comites etiam dicebantur de Sempta, eorumque stemma*

C *videre est apud Buatum* (5) *et Erasmum Frolich* (6). Laurishamum, *vulgo* Lorsch, *ubi deinde maxima laude abbatiale pedum tenuit* B. Reginbaldus, *multo celebrius est ; pertinet nunc ad eam Hassiam, quæ communiter* Hesse-Darmstadt *appellatur ; tempore* B. Reginbaldi *intra diœcesim Moguntinam fuisse satis dicetur inferius. Reliqua loca pro re nata indicabuntur.*

distinguendus est a Reginbaldo I episcopo Spirensi;

3 *Juverit etiam in limine* B. Reginbaldum II, *episcopum Spirensem, de quo agendum, distinguere a Reginbaldo I, cujus gesta sæpius illi adscribuntur et vicissim. Porro Reginbaldus I (mitto ei attribui non secus ac* B. Reginbaldo II *omnes titulos nobilitatis, quos Hartmannus sæculo* XIII *Spirensis episcopus habuit) prius monachus fuit Hirsaugiensis ;* D *unde nonnulli* B. Reginbaldum II *quoque Hirsaugiensem monachum faciunt. Ceterum Reginbaldus I multum laudatur a Trithemio ad annum* 943 (7), *quo Spirensem cathedram ascendit. A quo etiam discas eum ab Ottone Magno plurimi habitum fuisse et multa ab eo et a Conrado Lotharingiæ duce accepisse dona* (8). *Anno præterea* 948 *interfuit frequentissimæ synodo Angleheimensi* (9), *et obiit, ut habet Trithemius* (10) *et plerique alii (licet neque hic scriptores omnes consentiant) anno* 958 ; *et quidem, si quosdam audias, die* XIII *Octobris, qua* B. Reginbaldus II *diem obiit, decessisset quoque ex hac vita Reginbaldus I. Verum hæc sufficiunt, quum hic solum Reginbaldus I a* B. Reginbaldo II *distinguendus sit.*

dubium est an pertineat ad genus Kyburgense vel Dillingense.

4 *Porro* B. Reginbaldus, *qui et* Reginobaldus, Raginboldus, Reimboldus, Remboldus *et aliis formis in vetustis scriptis appellatur, a plerisque recentioribus ortus dicitur ex comitibus Dillingensibus* E *et Kyburgensibus, quin etiam per patrem Richwinum et avum Dietpoldum S. Udalrici, Augustani episcopi, pronepos fuisse. Verum placidus Braun* (11), *non tantum hanc propinquam cum S. Udalrico consanguineitatem, sed et reliqua omnia quæ huc spectent rejicit ; asserens certa ad hæc adstruenda non exstare documenta. Neque dubitamus, diligenti indagine facta, idem asserere, fatentes tamen nil quoque obstare quin reapse ad has domos* B. Reginbaldus *pertinuerit. Verum animadvertendum est fieri non posse ut* B. Reginbaldus, *anno* 1039 *vita functus, simul Dillingensis et Kyburgensis dicatur, quum diu post ejus mortem hæ nobiles familiæ in unam coaluerint. Re quidem vera B. Hupaldus, S. Udalrici pater, dicitur a suo biographo* (12) *Kyburgæ et Dillingæ præfuisse, et similiter Hupaldus, pater Hartmanni fundatoris Nereshamensis, comes Kyburgi et Dillingæ in Nereshamensi Chronico* (13) *appellatur ; sed hæc omnia per prolepsim dicta sunt, seu potius antecessoribus attributi tituli, qui tantum successorum fuerunt. Etenim, postquam Marquardus Herrgott* (14), *Georgius Zapf* (15), *Æmilianus Ussermann* (16) *et Trudpertus Neugart* (17) *aliique* F *eo studio de Kyburgensi comitatu dixerunt, quo decebant illustrari secundus Habsburgicæ domus titulus ; quumque non minori studio in luce ab aliis posita fuerit domus Dillingensis* (18), *certum videtur Kyburgum et Dillingam in eamdem venisse domum per matrimonium, quod exeunte sæculo* XI *Hartmannus, Dilligensis comes et Nerishamensis cœnobii fundator, iniit cum Adelhaide Kyburgensi. Atque ex hoc tempore uterque comitatus permansit penes eorum posteros, donec Hartmannus, episcopus Augustanus, ecclesiæ suæ anno* 1258 *contulit paternum Dillingensem comitatum* (19) ; *Kyburgensi allodio ad*

(1) Basilica SS. Udalrici et Afræ Aug. Vindel historice descripta pag 167.
(2) Herrgott. Genealog diplom. Aug. gentis Habsburgicæ, t I, pag. 53.
(3) Ibid , tabula scenographica IX.
(4) Tom VI, pag 8.
(5) Origines domus Boicæ, tom. II pag 78, tabula XX
(6) Specimen Archontologiæ Carinthiæ, tabula III.
(7) Chronicum Hirsaugiense, tom. I. pag 82, edit. S. Galli, 1690
(8) Ibid , l c. et apud Philippum Simonis, Beschreibung aller Bischoffen zu Speyr, pag 23 et 24.
(9) Flodoardus. Annales, apud Pertz Monum German, t. V. pag 395 ; et Richerius, Hist. lib II apud eumdem Pertz tom V, pag 603.
(10) Chron Hirs , tom I, pag 101
(11) Geschichte der Bischofe von Augs , tom. I, pag 319
(12) Apud Pertz, Monumenta Germaniæ , tom. X, pag 40
(13) Ibid , loc cit.
(14) Genealog. diplom Aug domus Austriacæ, lib I, cap IX, t. I pag 52.
(15) Monum. anecd , tom I, pag 233 et seqq
(16) Germaniæ sacræ prodromus, tom I pag. 288.
(17) Episc Constant Alemannicus, pag 358
(18) Cfr Braun, Geschichte der Bischofe von Augsburg, t II, pag 266.
(19) Ibid , pag 312 et seqq

A *Rodulphum Habsburgicum transeunte* (1). *Non itaque pertinet* B. Reginbaldus *ad id temporis spatium, quo Dilligensis et Kyburgensis domus mixtæ erant; adeoque si alterutri accensendus sit, inserendus erit vel stemmati Kyburgico, quod texuere Neugart* (2) *et Ussermann* (3); *vel Dillingensi, quod curis Placidi Braun* (4) *debemus.*

a puero fuit monachus forte ad S. Galli;

5 *Porro ad utramlibet domum, sive etiam ad aliam quamcumque domum nobilem* B. Reginbaldus *referendus sit, nil mirum, si juvenis S. Galli abbatiam petierit; quum tunc temporis hoc asceterium incolerent et alii complures e nobilissimis generibus* (5). *Verumtamen id etiam in dubium vocat Placidus Braun* (6), *quod apta non adsunt documenta; ast Corbinianus Khamm* (7), *dum id asserit, sequi videtur monumenta Tegernseensia, quæ fide dignissima appellat. Et quidem dives erat documentis Tegernseensis bibliotheca, ut testis est academicus Maximilianeus, qui præfationem tomi VI Monumentorum Boicorum conscripsit; adeoque multa ex ea in publicam lucem dederunt Bernardus Pe*B*zius* (8), *multa Oefelius* (9), *multa Academia Maximilianea* (10). *Verumtamen abest ut exhaustus fuerit ille fons. Medio enim sæculo* XVIII, *ut testis est Meichelbeck* (11), *laborabant adhuc Tegernseenses in conscribenda cœnobii sui historia: quam in lucem venisse haud arbitror; ast ex ea decerptæ laciniæ jam anno* 1719 *Corbiniano Khamm fuisse communicatæ omnino videntur. Quo circa non ausim cum Braunio de hujus scriptoris assertis, quum monumentis Tegernseensibus nititur, tam facile dubitare. Utut est,* B. Reginbaldus, *quemadmodum inferius testabitur Laurishamensis chronographus, in vita monastica seu* in spiritualis militiæ studiis a puero educatus *fuit, et proin jam aliquot annos monachicum cucullum virtutibus suis honestarat, quum anno* 1012 *ei cura commissa est introducendi vitam monasticam in S. Afræ seu S. Udalrici Augustanum asceterium.*

collapsa ad S. Afræ canonica disciplina,

6 *Antea videlicet erant Augustæ Vindelicorum duo capitula canonicorum, alterum cathedrale seu S. Mariæ, alterum regulare seu S. Afræ; ambo tamen, quum indivisa bona possiderent, quasi unum* C *corpus morale constituebant. Verum quum Afrani domum communem incolerent, cathedrales singuli suam, factum est ut illi cœperint mussitare suam non magis restringendam libertatem quam canonicorum S. Mariæ, se quoque sui juris esse velle, passimque discurrere, regularis observantiæ jugo excusso. Atque his, quæ fere mihi suggerit Corbinianus Khamm* (12), *satis consonant, quæ in Catalogo episcoporum Augustæ et abbatum S. Afræ, usque ad Friderici I ætatem texto, leguntur* (13): Bruno cujus tempore clerici B. Afræ sive religionis abjectione, sive numeri paucitate deficientes, monachi cum abbate Reginbaldo inibi sunt constituti; *atque hinc apparet minoris facienda auctoritas chronici Augustani* (14), *ad annum circiter* 1000 *hanc rerum conversionem referens, quum ille Bruno episcopus Augustanus fuerit ab anno* 1006 *ad annum* 1029 (15). D

curis S. Henrici imperatoris et Brunonis episcopi Augustani præponitur coloniæ Tegernseensi,

7 *Quo vero pacto monachi substituti fuerint canonicis, ita explicat Corbinianus Khamm:* Anno 1012, promovente S. Henrico II imperatore, cooperante ac sollicitante S. Kunegunde ejus conjuge, alte dictus Bruno S. Reginbaldum, Ordinis S. Benedicti monachum, e suo S. Galli monasterio ad se evocatum, ad abbatem et principem Tegernseensem misit cum speciali mandato augustissimi imperatoris Henrici, vigore cujus ibidem cum Burchardo de colonia monachorum (ubi olim centum quinquaginta monachi, jam vero numerosi viri sub regula S. Benedicti insigni virtutum flore Deo in perpetuo choro famulantur) Augustam Vindelicorum deducenda tractaret, et optimos quosque monachos virosque religiosissimos ad se Augustam deduceret. B. Reginbaldus igitur, venerabiliter in monasterio Tegernseensi exceptus, E ex conventu duodecim probatissimæ vitæ religiosos selegit; et, Tegernseensi abbate consensum et paternam benedictionem elargiente, secum Augustam deduxit, inter quos primarii fuere: venerabilis Dego Decanus Tegernseensis, Gotisgenus senior, Fridebaldus singulari scientia præclarus et moribus gravis vir; reliqui vero novem omnes generis splendore, virtutum opere ac doctrinæ excellentia conspicui. His itaque, a B. Reginbaldo Augustam deductis et Brunoni episcopo præsentatis, ecclesia S. Afræ tradita est inofficianda; et B. Reginbaldus eidem tamquam Pater et primus abbas præpositus, qui in sui officii adjutorem venerabilem Degonem pro priori claustrali elegit. Ita verbotenus *(sic claudit hanc narrationem Corbinianus Kamm)* monumenta Tegernseensia, fide dignissima de colonia in ecclesiam S. Afræ introducta.

ut anno 1012 aut 1013

8 *Quanta accuratione et quanto proin studio minima etiam adjuncta in hoc narratu referantur incurrit in oculos. Verumtamen si quis legerit Chronicum Tegernseense, quod a Bernardo Pezio* (16) *editum est, procul dubio sciscitabitur quomodo S. Afræ capitulum in monasterium conversum sit anno* 1012 *atque hæc simul conversio debeatur curis Burchardi Tegernseensis abbatis. Legitur enim in hoc Tegernseensi Chronico:* Intrante, ut dictum est, Burchardo abbate millesimo tertio incarnationis Domini anno administrationem; *et inferius:* Cum sedisset annis quatuor, tertio Kalendas Novembris vita decessit.... Anno Domini millesimo septimo Burchardo abbate abeunte, Elingerus de nostra congregatione successit. *Atque idem omnino annorum ordo cernitur in altero Chronico Tegernseensi,*

(1) Herrgott, Geneal. diplom. Aug. domus Austr., lib. I, cap. IX, tom. I, pag. 55, et Monum. Aug. domus Austr., t. I, pag. 97.
(2) Episc. Constant., pag. 198.
(3) Opere citato, Germaniæ sacræ prodromus, tom. I, pag. 295.
(4) Braun, Geschichte der Bischofe von Augsburg, t. II, pag. 266.
(5) Ildefons, von Arx, Geschichten des Kantons S. Gallen. tom. I, passim.
(6) Braun, Geschichte der Bischofe von Augsburg. t. I, pag. 349.
(7) Hierarchia Augustana, part. III. regul., pag. 4 et seqq.
(8) Thesaurus Anecdot. novissimus, t. III. part. III, col. 473 ad 595.
(9) Thesaurus rerum Boicarum, tom. I, pag. 629 ad 639, tom. II, pag. 49 ad 99.
(10) Monumenta Boica, tom. VI, pag. 1 ad 354.
(11) Chronicum Benedictoburanum, pag. 12.
(12) Hierarch. August., loc. cit.
(13) Apud Eccardum, Corpus hist. medii ævi, tom. II, col. 2241.
(14) Apud Pistorium, German. rer. vett. scriptt., t. III, pag. 674, et seq.
(15) Braun, Bischofe von Augsburg, t. I, p. 315 et seqq.
(16) Thesaurus Anecdot. novissimus, tom. III, part. III. col. 506.

A *gernseensi, ab Oefelio* (1) *in lucem dato. Adeoque ambo hæc instrumenta, quæ bonæ videntur notæ, consentiunt ante Burchardi institutionem sedem abbatialem Tegurinam vacasse a mense Februario anni* MXII *ad mensem Julium anni sequentis. Porro quum Burchardus ille, monachus de S. Wicperto, ex Hersfeldensi monasterio accersendus fuerit, patet eum nullas potuisse habere partes in emittenda nova colonia, si hæc (ut fertur) anno* 1012 *Augustam venerit. Et tamen ab hoc anno non ausim recedere, quum videam Hertfelderum* (2), *Kistlerum* (3), *Stengelium* (4), *Mabillonium* (5), *Meichelbeckium* (6), *Khammium* (7), *Braunium* (8) *et quotquot alios novi recentiores, constanter asserentes monachos substitutos fuisse Afranis canonicis anno* 1012. *Sed simul nollem calculo meo eum probare, quum ex citato episcoporum Augustanorum et S. Afræ abbatum catalogo nullus annus extundendus sit, et quum anonymus, qui Ademari Chabannensis Chronicum auxit et qui de illa quoque mutatione meminit, nude scribat* (9) : Odolricus autem, qui sancto Bruno successerat, ad Dominum migrans, magnis virtutibus clarere meruit. Ideoque monasterium foris civitatem Osburg ejus nomini construxit episcopus item Brunus, successor ejus, frater Eenrici imperatoris. *Atque hic quidem suggeritur non tantum propter canonicorum defectum, sed et ad augendam S. Udalrici venerationem hanc mutationem factam ; de tempore vero nulla mentio. Duos catalogos abbatium S. Afræ, in quo initia mirum in modum turbantur, recenset Placidus Braun* (10) ; *sed minoris auctoritatis quam ut expedendi mereantur. Porro his intellectis, statuet sane mecum lector æque incertum esse* B. Reginbaldum *Augustam venisse anno* 1012, *et Burchardo, abbati Tegernseensi, ullas in his rebus fuisse partes.*

B

vitam monasticam statuit Augustæ ad S. Afræ;

9 *Sed cum Khammio* (11) *pergamus* : Deinceps, S. Reginbaldo abbate cum suis monachis ecclesiæ S. Afræ possessionem adipiscente, bona antea huic et ecclesiæ cathedrali communia, fuerunt divisa, necnon potiora ab episcopo et canonicis cathedralibus ad templum et cathedrale capitulum translata, reliquis monachorum neopitulum congregationis relictis, *videlicet pagis Haederen, Winterhein, Haunstetten, Bacheren et Stetten ; vineto Bulsani (Botzen) in Tyroli, nonnullis in via regia et agro Augustano decimis, septem hubis, duobus molendinis in suburbio et aliquot hortis (nempe Mayrhof) ac pratis* (12). Quorsum canonici Afrani, *sic procedit Corbinianus Khammius*, amoti, sint promoti, non invenio. Attamen affirmantem canonicos Afranos canonicis cathedralibus fuisse associatos a prudenti conjectura non aberraturum pronuncio. *Quæ dein argumentis non spernendis confirmat. Quæ cæterum* B. Reginbaldus *in SS. Afræ et Udalrici asceterio gesserit non reperio ; sed in Catalogo episcoporum et abbatum Augustanorum, quem sæpius jam memoravi, eximium de eo pro tempore, quo Augustæ abbas esset, encomium legitur* : Reginbaldus, *ita habet Catalogus ille* (13), primus hujus loci abbas, opere sanctitatis carus Deo et hominibus, episcopus Spiræ electus est, ubi nunc in numero Sanctorum habetur.

C

D

10 *Verumtamen priusquam Spirensem cathedram conscenderet, duobus aliis in locis abbatiale pedum gessit, Eberspergæ videlicet et Laureshami. Eberspergæ autem eadem adornanda remanebat cum sparta, quæ Augustæ Vindelicorum. Ibi enim primitus etiam conditum fuerat capitulum ; cujus loco monasterium substituendum erat. Quæ omnia docemur duplici Chronico Ebersperqensi, edito Œfeli* (14) *curis. Sed propter chronologiæ perturbationem, oportet res paulo altius repetere. In his quippe documentis, postquam traditum fuit ecclesiam Ebersperqensem consecratam fuisse ab episcopo Saltzburgensi Friderico anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo, legitur* (15) : In eodem biennio, vix anno post basilicæ Eberspergensis consecrationem, Dominicæ incarnationis nongentesimo septuagesimo secundo [v *Kal. Aprilis* (16),] Hunfridus primus præpositus, qui viginti novem annis præfuerat, moritur, et Dietgerus eidem ecclesiæ in præpositum subrogatur, viginti uno anno rexit et post in Domino requievit [xv *Kal. Octobris* (17).] Eidem Meginpoldus in præpositura successit, et sexdecim annis præfuit [*mortuus* XII *Kal. Junii* (18) ;] quo tempore Guntherus præpositus eligitur... præfuitque annos undecim (19), [*mortuus* V *Kal. Maii* (20).] *Atque hoc calculo deducimur ad diem* 27 *Aprilis anni Domini* 1019. *Verumtamen utrumque Chronicum aliter omnino procedit ; habet enim* : Deinde Udalricus (*comes Semptensis seu Ebersperqensis et secundus Ebersperqensis asceterii fundator*) virtute præclarus, solicita mente ad hoc omnia consilia sua convertebat, necnon cogitationes et opera dirigebat, videns ecclesiam suam rebus dotari ac etiam honoribus, quomodo ad laudem sui Creatoris ad tam venerabilem et securum statum pertingere posset, et qualiter monasticam vitam sanctamque conversationem pertingere posset, monachorum ordinis S. Benedicti in sua basilica instituere cogitaret ; eorumdem religiositate Deo placita delectatus et odorifera suavitate illectus et attractus, de magnorum consilio suique pontificis (*Frisingensis episcopi*) regularium ordinem transmutavit ibidem, Eberspergense claustrum monachis nigris de aliis monasteriis adunatis dotavit, qui per vitæ contemplativæ dulcedinem et munditiam impollutam religionis quibuslibet prælucere solent universis. Anno igitur Dominicæ incarnationis nongentesimo nonagesimo Reginboldus,

idem facit Eberspergæ non anno 990.

E

F

(1) Thesaurus rer. Boicarum, tom. II, pag. 69.
(2) [illegible] SS. Udalrici et Afræ, pag. 141.
(3) Basilica etc., pag. 10.
(4) Commentar. rer. Augustan., pag. 126.
(5) Annal. Bened. ad annum 1012, num. LXXVIII, tom. IV, pag. 211.
(6) Hist. diœc. Frising. tom. I, pag. 208.
(7) Hierarchia August. part. III, regul. pag. 5.
(8) Bischofe von Augsburg, tom. I, pag. 319.
(9) Apud Pertz Monum. German., tom. IV, pag. 130.
(10) Notitia hist. [illegible] de codicibus Mss. in bibliotheca [illegible] SS. Udalricum et Afram exstantibus, tom. III, pag. 81 et 97.

(11) Hierarchia August. part. III, regul. pag. 5.
(12) Ibid., part. I Cathedr., pag. 161. Cfr Braun, Bischofe von Augsburg, t. I, pag. [illegible] et [illegible]; et Chronicum Augustanum, apud Pistorium, German. rer. vett. scriptt., tom. III, pag. 671.
(13) Apud Œfelium, tom. II, col. 2352.
(14) Thesaur. rer. Boic., tom. II, pag. 4 et seqq.
(15) Ibid., pag. 8.
(16) Cfr Necrol. monaster. Eberspergensis, ibid., pag. 15.
(17) Ibid., pag. 17.
(18) Ibid., pag. 16.
(19) Cfr [illegible] Chronic., pag. 13.
(20) Necrolog., pag. 16.

A ginboldus, Augustensis abbas, adunatis monachis præficitur. *Atque hoc modo in utroque Chronico affigitur* B. Reginbaldi *adventus anno Domini* 990. *Et quidem in priori Chronico* (1) *jam ante dictum fuerat* : Item iste ordo S. Augustini duravit in hoc loco usque ad annum Incarnationis Jesu Christi nongentesimum nonagesimum. Ab illo tempore comes Udalricus introduxit ordinem S. Benedicti, videlicet anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo. *Retinuit hunc annum noster Adamus Widl* (2) *in lepores oratorios magis quam in certam chronotaxim intentus; castigavit vero jam pridem Meichelbeckius* (3), *recte animadvertens id stare non posse cum* B. Reginbaldi *gestis Augustæ, ubi certissime, Brunone episcopo, abbatiale munus functus est, et multo minus cum ipso præpositorum Eberspergensium ordine, quem supra ex ipsis Chronicis texuimus.*

aut 1019.

11 *Errorem itaque cubare in anno* 990 *manifestum est. An itaque admittendus annus* 1019? *Re quidem vera Vitus Stopfferus, Eberspergensis prior*

B *in Chronicis Bavarorum ab origine gentis ad annum Christi* MDIV *favet omnino. Scribit enim* (4) : Udalricus comes, Ebersperg monasterio constructo et consummato, exclusis canonicis regularibus, qui ultra sexaginta annos inhabitasse dicuntur, ordinem S. Benedicti, abbatemque et monachos ex monasterio S. Udalrici Augustanæ civitatis introduxit circa annum Domini MXIX. *Sed et hæc computandi ratio difficilis est, quin etiam caduca prorsus, maxime si considerentur, quæ in utroque Eberspergensi Chronico de* B. Reginbaldo, *ad abbatialem sedem Eberspergensem promoto, perhibentur. Ibidem enim legitur* (5) ; Cui (Reginbaldo *abbati*) quidam miles, Eberhardus nomine, filium suum, Altmannum vocabulo, monastice educandum dedit, quem genuit de Rutthrude, quæ fuit Udalrici (*comitis Semptensis*) filia ex concubina. Reginbaldus vero cum undecim annis Eberspergensi abbatiæ præfuisset, ab Henrico rege secundo Francorum ad regendam abbatiam apud Lorsam sustollitur et Altmannus ab eo monachis Eberspergensibus præficitur, aliquantisper comite

C Udalrico renuente propter florem suæ primæ juventutis : annorum enim viginti, sed incredibili ingenii astutia morumque maturitate pollebat. *Quocirca, si ex fide Eberspergensium Chronicorum dicamus* B. Reginbaldum *duodecim hic annos præfuisse, ad annum circiter* 1030 *devenimus, quo Lorsæ seu Laurishami abbatiale pedum capessivisset; quod certo certius falsum est.*

siquidem anno 1018 Laureshamum jam transierat.

12 *Audi Chronicum Laurishamense* (6) : Bobbone palmam supernæ vocationis assequuto, Reginbaldus, vir juxta cor Domini, electus subrogatur, in spiritualis militiæ studiis a puero educatus et antecessorum exempla facile exæquans, posterorum forma speculumque futurus. *Jam vero Bobbo seu Poppo ille, qui Laurishamense regimen cum Fuldensi conjungebat, juxta Librum animarum Laurishamensem diem obiit* VII *idus Aprilis; anno quidem, ut volunt Helwichius* (7) *et Conradus Dahl* (8), 1017, *sequenti autem secundum Schannatum* (9). *Et reapse crediderim multo melius Bopponis mortem anno* 1018 *consignatum iri. Etenim ex traditione Laureshamensi* LXXXX (10) *manifestum est Geroldum, decessorem Bopponis*, V Kal. Augusti, indictione III, anno Dom. Inc. MV, anno vero D. Henrici secundi regnantis V (*immo* IV) *adhuc in vivis fuisse; porro ex Chronico Laurishamensi Boppo* præfuit eidem loco annis XIII, *nempe incompletis. Hinc si ponas Geroldum vita esse functum ante* VII *idus Aprilis anni* 1006, *obierit oportet Boppo anno* 1018. *Quæ quidem sententia ex alio capite amplectenda est. Constat enim ex charta* (11) *data* idibus Aprilis, indict. I, anno Dom. Inc. MXVIII, anno vero D. Henrici secundi regnantis XVI, imperii autem V, Popponem abbatem Vultensem *interfuisse synodo seu conventui Neomagensi, quem* XVII *Kal. Aprilis anno* 1018

E *celebratum fuisse tradit Ditmarus Merseburgensis* (12). *Atque hic scriptor pergens ejusdem anni* 1018 *acta recensere, paulo infra subdit* (13) : Wolckmarus abbas Fuldensis et Larsemensis obiit; *quem Wolckmarum eumdem esse ac Bopponem (verosimillime quod hic binomen esset) manifestum est; eoque magis quod nuspiam istud Wolckmari nomen in fastis Laurishamensibus aut Fuldensibus prodit* (14). *Unde consequens est Popponem seu Wolckmarum, Fuldensem et simul Laurishamensem abbatem, die* 7 *Aprilis anni* 1018 *obiisse. Scrupulum movet hæc conclusio Schannato* (15), *quoniam charta in qua de* Poppone abbate Vultensi *mentio est, data fuit* idibus Aprilis, *Boppo vero obiit* VII idus Aprilis. *Sed hæc nequaquam pugnant inter se; etenim negotium, cui interfuit Boppo, tractatum fuit in conventu Neomagensi* XVII *Kal. Aprilis seu die* 16 *Martii, dein Boppo obiit die* 7 *Aprilis, et demum die* 13 *Aprilis Henricus imperator dedit Bingæ diploma, quo rebus transactis fides fieret. Non enim semper die, quo compositiones fierent, condebantur de iis diplomata; sed sæpius aliquandiu post.*

F

sed anno circiter 1018; concambium facit aliquod bonorum.

13 *Quum itaque Bopponi seu Wolckmaro* B. Reginbaldus *successerit, neque diutius Laurishami quam Fuldæ, (ubi anno* 1018 *Richardus abbas factus est)* (16), *abbatialis sedes vacasse videatur, necesse est, ut* B. Reginbaldus *Ebersperga Laurishamum venerit anno* 1018, *non diu post* VII *idus Aprilis; ita ut omnis illa ex Chronicis Eberspergensibus proposita temporum series plane corruat; atque id unum supersit ut dicatur* B. Reginbaldus *intra sexennium, quod ab anno* 1012 *ad* 1018 *decurrit, partim in Afrano partim in Eberspergensi asceterio degisse, utrobique verbo et exemplo vitam monasticam secundum S. Benedicti leges stabiliens. Vix dubito quin rem temporalem, favente comite Udalrico*, B. Reginbaldus *Eberspergæ auxerit* :

(1) Pag. 6.
(2) S. Sebastianus Ebersperga Bojorum propitius, p. 133 et seqq.
(3) Hist. Frisingensis, tom. I, pag. 186.
(4) Apud Oefelium, Thes. rer. Boic., t. II, pag. 11.
(5) Ibid., pag. 9.
(6) Apud Freherum tom. I, pag. 123, edit. Struvii.
(7) Antiquitates Laurishamenses, cap. XXI, ap. Joannis Scriptt. Hist. Moguntin., tom. III, pag. 50.
(8) Beschreibung des Furstenthums Lorsch, pag. 65.
(9) Hist. Fuldensis, pag. 138.
(10) Codex Laureshamensis diplom., t. I, pag. 151 et 152.
(11) Schaten. Annales Paderbonenses ad annum 1018, pag. 429.
(12) Ditmarus restitutus, apud Leibnitz, Scriptt. rer. Brunswic. tom. I, pag. 420.
(13) Ibid., pag. 421.
(14) Cfr Schannat, Hist. Fuld., p. 139; Helwichius apud Joannis, t. III, pag. 48.
(15) Hist. Fuldensis, pag. 138.
(16) Catalogus abbat. Fuld. apud Pertz, Monumenta German. tom. III, pag. 118.

quum

A *quum tamen in Codice traditionum et concambiorum Eberspergensium* (1) *nec anni, nec abbatum nomina notentur, cassus foret labor in his determinandis positus : quocirca satis fuerit recensere primum ex concambiis, certo ad ejus regimen pertinens.* Gloriosus atque Domino devotus Oudalricus comes, *ita sonat notitia* (2), cuidam amico suo Eberhardo *(genero forte suo et patri Altmanni secundi abbatis)* donavit prædium S. Sebastiani, in Eberspergensi loco requiescentis, situm in villa Ongoltingin, hoc est, dotatam ecclesiam et omnes decimationes ad eam pertinentes, ac mansum unum ipsi ecclesiæ contiguum, et pro his reddidit quinque nobiles mansos sitos in villa, quæ nominatur Groupa et unum ad Gramanesdorf et dimidium ad Ecklinsburc, familia monasterii id laudante, coram Reginboldo, primo istic abbate, postea vero Spirensi episcopo. Ipse quoque Oudalricus pro vinetis IIII sitis in Ascahouvinchil dedit curticulam quæ dicitur Hellingin et duos mansos ad Huntilpach, prædicto abbate hoc petente fami-
B liaque favente.

14 *Ecclesia de* Ongoltingin, *quæ ad fundationem aliquandiu post annum* 934 *ab Eberardo I comite Septensi seu Eberspergensi* (3) *factam, pertinet, dicitur in priori Chronico Eberspergensi* (4) Othering; *quo nomine appellatos tres reperio in Bavaria vicos* (5); *sed hic agi de* Ottering, *quæ ad orientem* Erding, *inter Monachium et Landshutum jacet, manifestum est ex vicinia Tegernbach, cujus ecclesia simul cum Otteringensi ab Eberhardo I data fuerat* (6). Groupa *procul dubio est* Gruoba *seu* Gruebe, *prope Ascheim ad orientem Monachii, qui postea viculus S. Emmeranni (quod hic Ratisbonnensis episcopus hoc loco occisus et dein cultus est) dictus fuit* (7). Gramanesdorf *pars est, ni fallor, montis dicti* Gramannsberg, *non procul a* Tolz *ad meridiem Monachii jacentis* (8). Ecklinspurc *nunc* Ecklburg *seu* Eglburg *adjacet Epersperqæ ad septemtrionem* (9). Vineta IIII in Ascahauvinchil *memorantur in priori Chronico inter Eberhardi I donationes his verbis* (10): Una vinea quatuor jugerorum Maschachswindl (*seu* wincl); *in poste-*
C *riori Chronico* (11) : Vinea IIII. Jugera in Ascah, (est locus in Austria) Junnchill, *et demum in codice Traditionum* (12) : Quatuor vinea in Asha, Hauvinckil ; *et inferius* (12) vineæ in Ashaha Winchil. *Hæc si extricare conemur, apprehendimus statim amanuensibus visum has vineas duobus in locis fuisse sitas ; hæc vero loca dicta fuisse alterum* Ascaha *seu* Ascah, *seu etiam* Ascha, *alterum* Wiucl *seu* Winkel; *præterea quum in Eberspergensi vicinia plures vici dicerentur* Ascha *aut simili nomine, monuit glossator quidam agi de* Ascha, Aschach *seu* Aschau *in Austria superiori ad ripam* D *dexteram Danubii, excipientis hoc loco rivum* Ascham, *inter* Lentiam (Lintz) *et Pataviam ; et quidem jam sæculo* X *hic prædium fuisse aliunde* (14) *certum est. Sed ubi* Wincl, Winchil *seu* Winkel*? Equidem vix aut ne vix quidem dubito, quin hæ vineæ in uno eodemque sitæ essent loco, videlicet in angulo, quem Ascha rivus et Danubius efficiunt et in quo nunc* Ascha, *de qua modo, sita est.* Winkel *enim Germanis etiamnum* angulum *significat ; atque olim in illis partibus adhibitam fuisse hanc vocem pro tellure angulari patefaciunt monumenta Tegurina* (15) ; *prope pontem enim ad lacum Tegurinum erat olim etiam locus hoc nomine dictus.* Hellingen *procul dubio idem est ac præsens* Hegling, *vicus ad meridiem Eberspergæ inter rivos* Glon *et* Manguald *(quos paulo inferius ad Rosenhaim (Ænus excipit) situs. De eo sæpius ab antiquissimis temporibus in historia mentio* (16). Huntilbach, Hunulbach, Huntilibach, Hündelbach *sæpius in monumentis Eberspergensibus* (17) *occurrit ; sed ubi jaceat, frustra quæsivi. Fecit et alias commutationes Udalricus cum Eberspergensibus ; sed eas mitto, quum non constet eas,* B. Reginbaldo *abbate, fuisse peractas.* B

§ II. B. Reginbaldus Abbas fit Laurishami et condit Aberingsbergensem abbatiam ; acquirit nova jura in Gannita et duobus conciliis interest.

Laurishamo præfectus B. Reginbaldus

Postquam itaque hæc aliaque curasset beatus vir Eberspergæ, anno 1018 *(ut ostensum est) ad abbatiam Laureshamensem fuit translatus.* Qui adepto dignitatis gradu, *sic Laurishamense Chronicum* (18), inter cætera pietatis opera, misericordiæ compassionisque visceribus totus affluebat ; adeo ut, inter beatos pauperes regnum cœlorum possidens, justitia ejus maneat in seculum seculi et eleemosynas ejus enarret omnis ecclesia Sanctorum. Ad hoc etiam templi faciem coronis decoravit ; eorum altius exstructum desuper arcubus fabrefactis augmentavit, altare ad crucem auro argentoque cinxit, insuper thesaurum ecclesiæ in pluribus ampliavit. Monasterium Abringsberg in honore S. Michaelis archangeli a fundamentis inceptum ædificavit ; et, monasticis mansionibus congrue circum aptatis, fratribus ibidem Deo militantibus necessaria affatim procuravit ; ipsam ecclesiam crucibus et tabulis fabrefactis alioque quam plurimo ornatu magnifice venustavit. F

16 Abringsberg, *quem Ludovicus III in diplo-*

(1) Apud Œfelium, tom. II, pag. 18 et seqq.
(2) Ibid., pag. 44.
(3) Chronicon II Ebersperg. apud Œfelium, t. II, p. 12 ; Codex Tradition. Ebersp., ibid., pag. 21.
(4) Ibid., pag. 6.
(5) Geogr. Stat. Top. Lexicon von Baiern, verbo *Ottering* Ulm, 1796.
(6) Ibid., pag. 6, 12 et 21.
(7) Cfr Cartam anni 1020 apud Meichelbeck Hist. Frising, tom. I, part. II, pag. 492 et apud Thomam Ried, Codex chronol. diplom. episc. Ratisbonensis, tom. I, pag. 144 ; et Cartam anni 1102, item apud Th. Ried, tom. I, pag. 237 ; Laurentii Hochwarth, episc. Ratisbonn. catalogi, lib. II, cap. XVI, apud Œfelium, Thes. rer. Boic., tom. I, p. 178 ; Act. SS., t. VI, Sept., pag. 467 et 472.
(8) Lexicon von Baiern, verbo *Grammansberg*.
(9) Cfr Concamb. VII Ebersperg. apud Œfelium, tom. II, p. 45.
(10) Ibid., pag. 6.
(11) Ibid., pag. 12.
(12) Ibid., pag. 21.
(13) Ibid., pag. 22.
(14) Cfr Calles, Annales Austr., tom. I, pag. 280, not. *g*.
(15) Cfr Diplomatarium Tegurinum apud eumdem Œfelium, t. II, p. 89.
(16) Hist. Frising., tom. I, part. I, pag. 96, 102 et 112.
(17) Apud Œfelium, tom. II, pag. 9, 13, 21 et 22.
(18) Apud Freherum, tom. I, pag. 123.

mate

A *mate anni 882 appellat* Aberinesburg, *alii postea* Abrahæ montem *et* Montem Sanctum, *nunc vulgo* Heiligenberg, *egregie illustratur a Frehero* (1), *cujus verba excepit Helwichius* (2). *Quocirca pauca ex Frehero excerpam. Postquam itaque dixit ex ruderibus et ex ipso* burgi *vocabulo manifestum esse hunc montem olim a Romanis occupatum fuisse, et ex diplomate Ludovici III constare eum ab hoc rege anno 882 donatum fuisse Waltero abbati Laurishamensi, sic pergit :* Post quem *(nempe post Waltherum)* Gerhardus abbas basilicam ibi in honorem S. Michaelis archangeli construxit *(inter annum 883 et 892* (3).) Reginbaldus porro abbas de concessione Henrici II imperatoris monasterium effecit, fratresque, sub regula Benedicti victuros et fratribus Nazarianis conformes, ibi congregavit. Postea Anshelmus abbas in posteriore et excelsiore montis jugo aliam insuper cellam S. Stephano protomartyri sacram, ejus imperatoris concessione, et Alexandri III papæ confirmatione fundavit et dotavit. Quam utramque cellam Curnadus I rex et Otto I imp. necnon Henrici II et III impp. donatis variis latifundiis, reditibus et vectigali mercatus Wezzinlochensis ; prædicti quoque abbates collatis de suo donariis, aliique quam plurimi fideles eleemosynis suis auxerunt et locupletarunt. Fuitque ea inter cœnobium Laurishamense, et istud Abrisbergense, quæ inter matrem et filiam necessitudo : et illud quidem *ecclesia Major S. Nazarii*, hoc autem *ecclesia minor S. Stephani* vocari solebat, ut ex diplomatis apparet. *Hactenus Freherus.*

condit Abringsbergense seu Montis sancti monasterium,

B

17 *Vult Conradus Dahl* (4) *jam ab abbate Thiodrocho, qui Laurishamense pedum tenuit ab annum 865 ad 875* (5), *inchoatum fuisse ibidem monasterium, quod Waltherus abbas absolverit et Gerhardus templo S. Michaelis auxerit; negare non ausim hæc Thiodrocho adscripta cœpta, quum hic legatur in Chronico Laurishamensi* (6) monasterium in monte Abrahæ fundotenus erexisse ; *nec huic asserto meum calculum adjicere, quum Ludovicus III in diplomate suo* (7) *dicat prius hunc montem a se datum suæ conjugi, nihil de incepto cœnobio addens. Exstant præterea apud Tolnerum* (8) *plures aliæ chartæ, quibus vel* basilicæ S. Michaelis *vel* aulæ S. Michaelis *vel* sancto loco in honore S. Michaelis constructo *vel* ad servitium S. Michaelis *donationes fiunt ; ex quibus sane colligere licet ecclesiam regularem seu cellam ibi conditam fuisse ; sed monasterium ibi jam exstructum fuisse nequaquam. Neque aliud quidpiam menti ingerit diploma S. Henrici regis II, quod B.* Reginbaldus *petiit, priusquam manum operi admoveret.*

ubi ante basilica seu cella jam erat;

C

18 *His autem concipitur verbis* (9) : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Heinricus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus. Si venerabilia ecclesiarum Dei loca alicujus commodi utilitate ad laudem Dei stabilire, confirmare ac sublimare studuerimus, nobis

hanc in rem obtinet a S. Henrico imperatore diploma,

D id ad animæ remedium regnique nostri statum profuturum esse minime dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi fidelium nostrorumque universitas, qualiter Reginbaldus, Laureshamensis ecclesiæ venerabilis abbas, nostram adiens serenitatem, omni a nobis studio postulavit, quatenus sub nostræ confirmationis atque immunitatis auctoritate liceret sibi sub S. Michaelis archangeli et omnium supernorum civium honore monasterium ordinare in monte S. Abrahæ prætitulato nomine, sito in pago Lebetengowe, in comitatu vero Heinrici comitis. Rogavit etiam nos eidem monasterio confirmare ad usum fratrum, Deo ibidem sub regula S. Benedicti servientium, loca cum pertinentiis suis, his nominibus designata : Furda, Eressam, Wezzenloch, in Wibelinga IIII mansos, Scrizesheim ; in Paphenhoven unam ecclesiam cum IIII mansis, in Pergeheim VII mansos ; in Niwenheim VIII mansos ; in Hanscuesheim VII mansos ; in Cilulvesheim III mansos. Cujus petitioni, quia rationalibilis atque religioni dedita videbatur, aurem libentissime accommodavimus, atque eidem ecclesiæ ab ipso concessa per hanc nostram imperialem paginam concedimus atque confirmamus. Interdicendo itaque interdicimus ut nullus posthinc abbas eidem monasterio de prænominatis locis aliquid auferre et ad suos usus conferre, sive alicui militi in beneficium dare præsumat. Si autem hoc (quod absit) fecerit, Dei omnipotentis offensam et S. Michaelis archangeli omniumque supernorum civium imprimis incurrat, et ut banni nostri transgressor auri optimi libras C ad cameram nostram persolvat. Et ut hæc nostræ ingenuitatis auctoritas stabilis et inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc præceptum inde conscriptum manu propria confirmantes, sigilli nostri impressione jussimus insigniri. — Signum Domini Heinrici Romanorum invictissimi imperatoris augusti. — Guntherius cancellarius vice Aribonis archicancellarii recognovi. Data idus Decembris, indictione VI, anno Dominicæ incarnationis MXXIII, anno vero domini Heinrici secundi, regnantis XXIII, imperii autem X. Actum in Triburia regia villa.

E

F

19 *Pluribus illustrat Tolnerus* (10) *loca et villas, quæ in hoc diplomate recensentur ; satis nobis fuerit recentius earum nomen et situm hinc excerpere. Porro* Furde *est Frehero* Fürth, *villa in Ottonis silva, haud procul ab oppido Lindenfels ;* Eressa *vel hodiernum* Reussem *juxta Furte, vel* Ertzam *in præfectura Lindenfels ;* Wibelinga *nunc* Wibelingen *ad Nicrum juxta Heidelbergam ;* Scrizesheim *hodie* Schriessheim *in pago Lobodunensi non procul ab Heidelberga ;* Pergheim *vulgo* Bergheim, *villa vicina Heidelbergæ ;* Niwenheim, *hodie* Neuenheim, *e regione Heidelbergæ ;* Hanscuesheim, *jam Handschuchsheim seu* Hendesheim, *leuca ab Heidelberga distans ;* Cilulvesheim, *nunc* Cilvesheim, *et* Ilvesheim, *in vicinia Heidelbergæ. Omisit Tolne-*

quod aliquantum hic illustratur ;

(1) Origines Palatinæ, part. I, cap. VIII, pag. 61 et seqq.
(2) Antiquit. Laurish., cap. X, apud Joannis, Scriptt. Mogunt., tom. III, pag. 31.
(3) Ibid., pag. 32 et 34.
(4) Beschreibung des Fürstenthums Lorsch, pag. 407.
(5) Cfr Helwichius, apud Joannis, tom. III, p. 26 et 29.
(6) Apud Freherum, Rer. German. Scriptt., t. 1, p. 109.
(7) Apud Helwichium, pag. 30.
(8) Historia Palatina, Cod. Dipl., pag. 12 et seqq.
(9) Codex Laurishamensis diplom., tom. I, pag. 212 ; apud Freherum, Rerum Germanicarum Scriptt., tom. 1, pag. 123 et 124.
(10) Hist. Palatina, Cod. diplom., pag. 13 et 14 ; et apud Freherum, loc. sup. cit.

rus

A *rus* Paphenhoven; *quod idem esse ac præsens* Paffenhoven *res certa est. Hæc vero aliaque bona ab Abrinspergensibus singillatim, non vero communiter cum Laurishamensibus possessa fuisse demonstravit Mabillonius* (1); *licet unus idemque abbas duobus præesset locis.*

incrementa et interitus hujus loci;

20 *Anno* 1025 *a* B. Reginbaldo *ultimam manum operi admotam et introductos fuisse monachos narrat Dahlius* (2), *probabilem (ni fallor) conjecturam secutus; equidem nullum certum annum uspiam reperio. Illustratus fuit postea Mons Sanctus aliis institutis piis. Præposito quippe S. Michaelis Arnoldo visa est alia ædes in honorem S. Stephani, quæ esset montis radicibus vicinior, exstruenda. Placuit consilium abbati Laurishamensi Anselmo, qui ibidem minus cœnobium condidit anno* 1094. *Quamdiu hoc exstiterit incertum. Illud vero S. Michaelis anno* 1576 *nondum deletum fuisse ex chartis, quas Seckenheim edidit, manifestum fecit Dahlius* (3), *Widderum confutans. Monialium quoque asceterium, quod ut reliqua Laureshamensium* B *auctoritati obnoxium erat, in Monte Sancto exstructum est, Jugenheimense scilicet SS. Perpetuæ et Felicitatis; de quo plura item tradit Dahlius* (4). *Nos vero id solum animadvertemus religionem catholicam in Monte Sancto servatam fuisse per monachos, quos olim in S. Michaelis induxerat* B. Reginbaldus: *recensentur enim ibidem etiamnum quingenti accolæ, catholici omnes* (5). *Verumtamen non benigna manu actum est ut ibidem quoque persuasum haberent homines ecclesiam non esse columnam veritatis, et Christum Dominum cum eadem docente et sacramenta administrante non fore usque ad consummationem sæculi. Audi enim Freherum* (6): Bene habet, reformata divino beneficio religione sub principibus nostris, superstitionem illam et dementationem hominum primo remisisse; tum et mendicabulum ipsum, mali fomitem, pulvere pyrio totum disjectum et confusum, in id tantum superesse, ut fidem historiæ dictisque nostris cadavere ruinisque suis facere possit. *Hactenus Freherus; sed quis jam cordatus talia probet?*

C

obtinet a Conrado rege diploma pro jurisdictione in servos Gannitæ,

21 *Verum ad Chronicum Laureshamense redeuntes, legimus ibidem* (7): Cunradus secundus rex, *(qui die* 8 *Septembris anno* 1024 *Moguntiæ coronatus fuit)* rogatu præfati Reginbaldi abbatis, tradidit S. Nazario omne suum regale jus in mancipiis in Gannita ea scilicet ratione, ut nullus comes, vicecomes aut alia quælibet judiciaria persona in eisdem mancipiis aliquam deinceps habeat sui juris exercendi potestatem, sive ad placitum suum constringendi, seu bannum persolvendi, nisi prædictus abbas suique successores et quem ipsi advocatum elegerint, *etc. Ipsam chartam videre est in Codice diplomatico Laurishamensi; eam omittimus, quoniam illis Chronici verbis ejus sensus probe exprimitur, notantes tantum concessionem hanc factam* interventu ac petitione Giselæ conjugis *Cunradi* dilectissimæ videlicet reginæ, necnon ad assiduum fideleque servitium Reginbaldi abbatis; *diploma autem datum* XVIII Kal. Decembris anno Dom. Inc. MXXIII indictione VII, anno vero D. Cuonradi secundi regnantis primo. Actum Niuhsse. *Notæ chronicæ inter se conveniunt Niuhsse eadem (ni fallor) ac* Nuhusen *in pago Wormatiensi, de qua villa regia plura dabit Chronicum Gotwicense* (8). *Sed quid* Gannita? *Respondet Freherus in annotatis ad Chronicum Laurishamense* (9), *Dahlius* (10), *RR. DD. Rass, Weis et de Ram* (11) *aliique esse Gandavum seu Gandam in Flandria, vulgo* Gend *seu* Gent. *Sed id stare non potest. Multa enim prædia aliaque jura in veteri Frisia acceperant Laurishamenses ab anno* 776 *usque ad Conradi II regis* ævum, cujus extrema ibidem donatio fuit (12), *anno (ut modo vidimus)* 1024 *facta. Hæc vero omnia sub titulo de* Gannita *in Codice diplomatico Laurishamensi* (13) *recensentur, licet multa etiam* E *extra pagum jacerent, ad quem Gannita pertineret. Absit tamen ut hæc omnia hic referamus, quæ facile alibi* (14) *videre licet. Id quippe unum hic nobis agendum, nempe* jus, quod ad regalem respiceret manum in mancipiis, ad curtem Gannita pertinentibus, *et Laurishamensi monasterio a Conrado II concessum, illustrare. Quod ut præstemus, nil satius quam ut ipsas pristinas donationes referamus; ex quibus simul colligere licebit ubi sita esset Gannita.*

ubi multa habebat Laurishamum prædia;

22 *Anno* 793 *donatur Laurishamensibus* in pago *Batawe* et in *Gannitæ* marca huba cum omni ædificio circumposito (15). *Anno* 800 *per concambium sibi acquirunt* mansum unum in pago *Batawa* in *Gannitæ* marca juxta ecclesiam (16). *Anno* 814 *accipiunt* in pago *Batawa*, in villa *Gannita* hubas V... et portionem de illa vinna in *Salahom*, ubi *Hisla* flumen confluit in mare et ipsam insulam, in qua ecclesia est constructa... quæ sita est inter fluvium *Wal* et *Gannita*; *et eodem anno et in* pago jam dicto in villa *Ganneta* mansos V, *atque alios etiam* mansos III et manentes supra ipsos (17). *Anno* 860 *Lotharius rex dedit eisdem ex rebus* F juris sui ex beneficio Hrorici in villa *Gannita* terram proprietatis suæ perenniter ad habendam (18). *Anno* 863 *Ansfridus palatinus comes condam firmat Laurishamo* quidquid ad præfatum monasterium pertinet in loco vel villa, quæ dicitur *Gannida*, tam de quæsitis, quam de inquæsitis, seu in quibuscumque ibidem locis aut terris consistant res præfati Martyris Christi (*S. Nazarii*) quæ hactenus servierunt præfato monasterio, de vineis quoque ad carradas quatuor (19). *Anno circiter* 891 Meginger et uxor ejus Irinfrid dederunt ecclesiam in Gannita, constructam in honore S. Martini et de terra indominicata ad C modios sementis (20), *demum ab Abarhild fœmina comparata* in

(1) Annales Bened. ad an. 1094, num. CIX, t. V, p. 318.
(2) Beschreibung, etc., pag. 107.
(3) Ibid., loc. cit.
(4) Ibid., pag. 42, 50 et 104.
(5) Adrien Gilbert, Diction. Géogr. et Statist., pag. 885.
(6) Origines Palatinæ, cap. VIII, pag. 66.
(7) Apud Freherum, tom. I, p. 124; et Codex diplom. Laurisham., tom. I, pag. 164.
(8) Tomi Prodomi part. II, pag. 798.
(9) Tom. I, pag. 110.
(10) Beschreibung, etc., pag. 65.
(11) Vies des Peres, des Martyrs, etc., tom. XV, p. 345, edit. Lovan.
(12) Cod. diplom. Laurisham., t. I, pag. 71 et 72.
(13) Ibid., pag. 161 et sequ.
(14) Ibid., pag. 53, [illegible] et [illegible], 173 et [illegible].
(15) Ibid., pag. 162.
(16) Ibid., loc. cit.
(17) Ibid., pag. 163.
(18) Ibid., pag. 163.
(19) Ibid., pag. [illegible].
(20) Ibid., pag. [illegible].

A in villa Ganneta tertia pars de manso, ubi ipsa ecclesia ædificata est et XV jurnales et quidquid ipsa habuit in eadem marca (1).

hic locus non in Flandria, sed in Neerlandia situs erat.

23 *Atque ex his manifestum omnino est villam seu marcam* Gannetam *seu* Gannitam *in præsenti Neerlandia, in pago* Betawa *fuisse, qui etiamnum vocatur* de Betouw, Betuwe *seu* Betauwe; *quæ in superiorem et inferiorem dividitur et a multis describitur. Potior ejus pars constat ex angulo, intercepto notissimis Rheno et Vahali fluminibus et usque ad comitatum de Buren porrecto; atque hic reapse habes vicum* Gent, *quem in historiis archiepiscopatus Ultrajectensis* (2) *descriptum habes. Quod vero nullatenus dubitandum sit, quin agatur de hoc loco in chartis Laurishamensibus, vel ex eo liquet quod pleraque alia loca, quæ ibidem pago* Betawæ *adscribuntur, etiamnum in vicinia* Gent *reperiuntur. Quum itaque Laurishamenses multos Gannitæ haberent campos et qui eos excolerent servos, curavit* B. Reginbaldus *(ne occasione suorum mancipiorum comites et vicecomites monasterio suo molestias* B *suscitarent) ut ipse suique successores seu advocati de eorum causis cognoscere possent. Sed diplomata et chronicum Laurishamense jam deserenda sunt et alia adeunda monumenta.*

Concilio Selingstadiensi;

24 *Plerique omnes qui de provincia ecclesiastica Moguntina aut de diœcesibus, quæ ea capiebantur, dixere, non omisere concilium, quod Aribo, Moguntinus archiepiscopus, in monasterio Selingstadiensi (quod ad diœcesim ejus spectabat) anno* 1022 *aut sequenti celebrandum indixit. Atque nobis pauca de eo disserenda sunt, siquidem unum e præcipuis conciliis Germaniæ est, eique* B. Reginbaldus *interfuit. Scribit de hac synodo Trithemius* (3) *ad annum* 1023 : Anno vacantis monasterii XXII, indict. Romana VI, die quoque mensis Augusti sexto; Aribo Moguntinæ sedis archiepiscopus synodum provincialem apud Selgenstatt in monasterio SS. Martyrum Marcellini et Petri celebravit, in quo episcopi et abbates subscripti convenerunt. Aribo archiepiscopus concilio præsidens. Burckardus ex monacho episcopus Herbipolensis. Bruno frater imperatoris episcopus C Augustensis. Eberhardus primus episcopus Bavenbergensis, Walterus episcopus Spirensis. Gothardus episcopus Hildenshemensis. Richardus abbas Fuldensis. Arnolphus abbas Aichfeldensis. Reginboldus abbas Laurishem. Hericho abbas S. Maximini Treverensis. Eberwinus abbas Tholegiensis. Henricus abbas S. Burckardi Herbipolensis. Sisicho abbas Schluchterensis. Gerbertus abbas S. Albani Moguntinensis. Adelbertus abbas Clingenmonasteriensis. Rudolphus abbas Blidenstattensis; ex alii ex ordine clericorum quam plurimi : in qua synodo multa discretione et sapientia patrum utiliter constituta sunt plurima ad utilitatem Ecclesiæ communem : quæ in actis ejusdem sacri concilii diligentissime conscripta habentur. *Ita Trithemius in Chronico seu Annalibus auctis Hirsaugiensibus, qui duobus tomis anno* 1690 *typis Sangallensibus excusi sunt.*

de quo tam varia in antiquis scriptis reperiuntur,

25 *In minori autem Chronico* (4), *quod ab anno* 830 *ad* 1370 *excurrit et anno* 1601 *Francofurti in lucem venit, nonnulla efferuntur alio modo. Annus* 1023 *et indictio* VI *servantur, sed annus* XXII *vacantis abbatiæ ponitur, et idibus Augusti seu die* XIII *concilium habitum traditur; dein Burchardus episcopus Wormatiensis scribitur, non Herbipolensis; post quem venit Wernharius episcopus Argentinensis; Walterus episcopus Spirensis et Gothardus episcopus Hildesheimensis omittuntur, et eorum loco venit Megingardus episcopus Herbipolensis. Inter abbatum recensiones hoc unum discrimen, quod loco Arnolphi Aichfeldensis scribitur Arnoldus Hirsfeldensis. Omnino cum hoc minori Chronico in nominibus episcoporum et abbatum convenit Præfatio hujus concilii, prout ab Hartzheimio* (5) *editum; abbatum vero nomina omittuntur apud Labbeum* (6); *sed temporis notæ aliæ sunt, nempe annus* 1022 *apud Labbeum,* 1023 *apud Hartzheimium; indictio* E V *et* II *idus Augusti utrobique, itemque annus Henrici secundi regnantis* XXI; *imperii vero* VI *apud Labbeum,* VII *apud Hartzheimium. Præterea in quibusdam codicibus Vitæ S. Meinwerci, episcopi Paderbornensis, postquam dictum est de concilio Moguntinensi, quod ad Pentecosten anni* 1023 *certissime celebratum est (ut patet ex Vita S. Godehardi episcopi Hildesheimensis* (7), *) inseritur lacinia de concilio Selingstadiensis, quam omittendam duxerunt Henschenius et Papebrochius* (8), *Leibnitzius* (9) *vero edidit, et in qua legitur :* Proxima III idus Augusti ipsius anni *(quo Moguntinum concilium habitum est,)* prædictus Aribo Mogontinæ sedis archiepiscopus synodum in Salingenstad coadunavit; in qua præsentibus episcopis Burchardo Wormatiensi, Werinhardo Argentino, Brunone Augustense, Everhardo Bavenbergense, communi eorum consilio atque consensu multimodam divinorum officiorum atque synodalium legum dissensionem composuit, etc.

interfuit B Reginbaldus. F

26 *Ut autem in media hac lectionum varietate quæ demum tenendæ sint investigemus, animadvertimus imprimis dubium esse non posse quin episcopi ibidem adfuerint et plures abbates aliique clerici; episcoporum autem nomina fuisse Aribonem Moguntinum, Burchardum Wormatiensem, qui hujus concilii acta Collectioni suæ canonum adjecit, unde in editionem Conciliorum Philippi Labbei atque Hartzheimii venerunt; deinde Wernherum I Argentoratensem* (10); *postea Brunonem Augustanum; dein Evrardum I Bambergensem; et demum Meinhardum I Herbipolensem seu Wirceburgensem* (11). *Walterum, episcopum Spirensem omittendum duco, tum quod in solo Chronico Hirsaugiensi majori (tacentibus omnibus reliquis monumentis) ejus nomen legitur, tum quod non videatur id hausisse Trithemius ex probis documentis, quum ne loco quidem suo veniat. Walterus enim episcopus jam erat ante*

(1) Cod. diplom. Laurisham., pag. 166.
(2) Historie ofte Beschryving van't Utrechtsche Bisdom, part. III, pag. 281.
(3) Chronicum Hirsaugiense, tom. I, pag. 104.
(4) Trithemii Opp. Hist., t. II, pag. 48.
(5) Concilia Germaniæ, tom. III, pag. 55.
(6) Concil. Collect., tom. XI, col. 483.
(7) Act. SS., tom. I Maji, pag. 510.
(8) Ibid., tom. I Junii, p. 512.
(9) Apud Leibnitzium, Scriptores de rebus Brunswic. tom. 1, p. 551.
(10) Cfr Gallia Christ., tom. V, col. 793.
(11) Cfr Friess von Mergetheim, apud Ludewig, Scriptt. rer. Wirceburg., tom. I, col. 463.

finem

A *finem anni* 1006 (1) *et proin præcedere debuisset Everardum Bambergensem, anno tantum* 1007 *ordinatum* (2). *Nec S. Godehardi, episcopi Hildesheimensis, nomen servandum videtur, tum quod hoc iterum in solo majori Chronico Hirsaugiensi legitur, tum quod nulla de ejus Selingstadiensi itinere mentio fiat in ejus Vita* (3); *ubi tamen accurate recensentur synodi, quibus sanctus vir interfuit. Qui vero adfuerint abbates deprehenduntur facilius, videlicet : Richardus Fuldensis, diœcesis Wirceburgensis ; Arnoldus abbas Hersfeldensis e Moguntina* ; B. Reginbaldus *Laureshamensis e Moguntina ; Hericho abbas S. Maximini Trevirensis ; Everguinus Doletanus seu Tholegiensis e Trevirensi ; Henricus abbas S. Burchardi Herbipolensis ; Sizicho seu Siglio Schluchterensis seu Solitariensis item ex Herbipolensi seu Wirceburgensi* (4) ; *Gerbertus abbas S. Albani e Moguntina ; Adelbertus* (5) *abbas de Clingenmuster ex Spirensi, et demum Rudolphus abbas de Blidenstadt e diœcesi Moguntina : adeo ut episcopi omnes ad provinciam* B *Moguntinam pertinerent ; abbates duo ad Trevirensem. Sed jam de tempore.*

anno 1022 vel 1023 ;

27 *Imprimis manifestum est ob iter Hierosolymitanum* (6), *anno* 1024 *ob Herichone abbate S. Maximini susceptum, hoc concilium habitum fuisse vel anno* 1022 *vel* 1023 ; *adeo ut intra hoc spatium disceptatio nostra cohibenda sit. Deinde præ oculis habendum est annos Henrici II regnantis currere ab* VIII *idus Junii anni* 1002 (7), *imperii autem a mense Februario anni* 1014 (8) ; *unde consequens fore mense Augusto anni* 1022 *annum Henrici regni cucurris e* XXI, *imperii* IX ; *animadvertendum tamen aliquando omissos fuisse menses reliquos anni* 1002, *ita ut primus annus regni curreret simul cum anno* 1003 (9), *et proin annus* XXI *cum anno Domini* 1023. *Demum considerandum est hoc ævo concilia habita fuisse feriis secundis, aut saltem postridie majoris festivitatis. Quæ omnia si cui versentur ob oculos inter recolligendas temporis notas, quas supra retulimus, statim intelliget definiri non posse utrum anno* 1022 *an* 1023 *patres Selingstadium convenerint. Etenim Trithemius uno* C *loco tradit hoc concilium celebratum esse die sexta Augusti, quæ per feriam* II *annum* 1022 *designat ; alio loco idibus seu die* 13 *Augusti, qua iterum annus* 1022 *indicatur ; Vita S. Meinwerci aucta, obtrudens* III *idus, videtur negligenda ; ipsius vero concilii editiones omnes* (10) *habent* II *idus Augusti, qua in annum* 1023 *ferimur. Si indictionem consideremus, invertuntur vices : Trithemius utrobique indictionem* VI *cum anno* 1023 *concurrentem habet ; omnes vero concilii editiones indictionem* V *et proin annum* 1022 ; *quin etiam in codice Baronii* (11) *non numero, sed integra voce* quinta *exprimitur ; quod si ad annos Incarnationis deveniamus,* D *ubique notatur annus* 1023, *si editionem Labbei excipias anno præcedenti suffragantem ; in anno Henrici regni nulla diversitas ; ubicumque prodit* XXI, *quem cum anno* 1023 *aliquando conjungi monuimus supra ; item de anno imperii, ubique* VI, *nisi quod apud Baronium legatur* VS ; *sed hic certo cubat error : nam, licet apud Eccardum* (12) *diploma legatur anni* 1024 *cum nota anni imperii* VIII, *omnia ibi adjecta temporis signa nimium inter se pugnant, quam ut aliquid hinc colligi queat ; præterea nulla est ratio, ob quam aliquando S. Henricus ab anno* 1017 *imperii annos computasset. Quocirca quum ille annus imperii* VI *omnino corrigendus sit, nil vetat quin ut in* VIII *ita in* IX *immutetur. Ex hac itaque diversitate factum est ut scriptores recentiores, prout inciderint in unam ex multiplicibus his notis, concilium hoc affixerint alii anno* 1022, *alii anno* 1023, *alii parum secum constantes jam uni, jam alteri anno. Nos vero hic id unum volumus, scilicet ostendere fieri non posse ut aliquid certi statuatur, donec proferantur ipsa autographa concilii acta, aut saltem Collectio canonum autographa Burchardi Wormatiensis episcopi, qui, ut diximus, concilio interfuit ejusque decreta cum ordine habendæ synodi Collectioni suæ adjecit.* E

item concilio Francofordiensi anno 1027 ;

28 *Anno* 1026 *ad festum S. Matthæi aliud Selingstadiæ celebratum fuit concilium ; sed an interfuerit* B. Reginbaldus *omnino non liquet. In eo agendum erat de jurisdictione in abbatiam Gandersheimensem, quam sibi astu et pertinacia unius feminæ adjuti arrogarant Moguntini præsules damno Hildeshemiensium : quæ lis jam multas annos fervebat. Sed nos non plura de ea ; quam fuse expositam habes in Vita S. Godehardi, Hildeshemiensis episcopi* (13), *in Historia Gandershemensi* (14), *apud R. D. Binterim* (15) *et alibi passim. In posteriori itaque hoc Selingstadiensi concilio statutum fuerat* ut synodus in futurum annum comperendinaretur. *Quod et factum est. Convenerunt itaque anno* 1027, *mense circiter Julio* (16), *Francofordiam imperator Conradus cum episcopis* XXIII *et decem abbatibus ; quem consessum cum ingenti animi gaudio describit Wolfherrus S. Godehardi biographus* (17), *exclamans* : Pulchra erat enim ibi et rationabiliter ordinata tam regalis quam et episcopalis consessio. *Sed quum nulla hic sit difficultas, nil quoque aliud postulat nostrum argumentum, quam ut indicemus inter abbates affuisse* Reginboldum Loresheimensem. *Cæterum vicit in hoc conventu S. Godehardus ; verumtamen Aribo Moguntinus arma tantum posuit anno* 1029 (18). F

pax inter eum et episcopum Wormatiensem composita opera S. Henrici

29 *Ut vero* B. Reginbaldus *operam suam contulit in componenda pace inter episcopos Moguntinum et Hildeshemiensem, ita sane aliquamdiu ante lætatus erat, quum pacem inter se et episcopum Wormatiensem curis S. Henrici imperatoris restitutam*

(1) Simonis, Histor. Beschreibung aller Bischoffen zu Speyr. p. 34.
(2) Apud Ludewig, Scriptt. rer. Wirceb., tom. I, col. 48 et 995.
(3) Act. SS., t. I Maji, p. 510 et seqq.
(4) Cfr Ussermann, Episc. Wirceburg. pag. 431.
(5) Cfr Remling, Geschichten der Abteien und Kloster im Rheinbayern, t. I, p. 92.
(6) Browerus, Annal. Trevir., tom. I, p. 507.
(7) Chronic. Gotwic., lib. II, p. 242; art de vérifier les dates, t. II, p. 14.
(8) Ibid., loc. cit.
(9) Chronic. Gotwic., lib. II, p. 234.
(10) Apud Labbeum et Hartzheimium, loc. cit. et apud Binterim, Geschichte der Deutschen Concilien, tom. III, pag. 361.
(11) Annal. Eccl. ad an. 1022, num. XVIII.
(12) Corp. Hist. Med. ævi, tom. II, p. 73.
(13) Act. SS., tom. I Maji, pag. 507 et seqq.
(14) Harenbergius, Hist. eccl. Gandershemensis, pag. 26 et seqq.
(15) Ibid., p. 380.
(16) Geschichte der Deutschen Concilien, t. III, p. 370 et seqq.
(17) Act. SS., tom. I Maji, p. 511.
(18) Cfr Binterim, loc. supra cit.

A *vidit. Causas et diremptionem litis ex ipso imperiali diplomate* (1) *cognoscere licet; quocirca eas hinc brevibus depromemus. Fervebant scilicet inveteratæ et frequentes contentiones et inimicitiæ inter Wormatiensem episcopum et abbatem Laureshamensem et multo magis inter utrarumque ecclesiarum familias, ita ut innumera etiam utrinque fierent homicidia. Hæc ut cessarent jurgia, præcepit S. Henricus IV nonas Decembris anni* 1023 *ut nuncii sui, quos mittebat, curarent omnes pristinas injustitias ab advocatis utrinque corrigi, et si quæ novæ fierent, simile remedium adhiberi; cæterum statuens ut, si qui ex una familia armata manu aliquem, ex altera familia insequantur, ejusve domum invadant, invasionis dux capillorum et corii ablatione et utrique maxillæ inusta nota puniatur, reliqui vero cute et capillis priventur; sin autem et addatur homicidium aut alia quacumque occasione patretur, omnes participes illis pœnis plectantur et homicidii auctor præcipuus weregeldum solvat domino occisi servi. Cujus statuti exsecutio* B *imponitur utriusque partis advocatis; qui si omiserint, jurent super sacras Reliquias se in inquirendis reis non defuisse ex sua culpa nec defuturos muneri suo, secus imperatoris gratia aut advocatione careant; interim liberum sit alterius partis fidelibus reos* (*si possint*) *capere: demum quod si episcopus vel abbas hoc decretum abrogare cupiat, fisco imperiali duas libras auri solvat, conatum tamen suum nequaquam perficiat. Hæc Henricus: ex remedio cognosce morbum.*

§ III. B. Reginbaldus fit episcopus Spirensis, ecclesiam exornat, sepelit Conradum imperatorem et ipse pie obiit.

Fit episcopus Spirensis anno 1033,

Ex *his, quæ hucusque contulimus, satis superque manifestum est, maxima sanctitatis et prudentiæ in gubernando fama* B. Reginbaldum *fruitum esse; quin etiam ejus* assiduum et fidele servitium *magni a Conrado imperatore factum fuisse ex diplo-*C *mate de jure regali in servos Gannitæ supra intelligere fuit. Quum itaque ecclesia Spirensis,* quæ tunc etiam a monachis regebatur (2), *vacaret per obitum Regingeri episcopi,* divina dispensante gratia, *(verba sunt Chronici Laurishamensis)* (3), quæ glorificantes se glorificat, ob insignem famæ meritorumque prærogativam, a Cunrado rege secundo... in cathedram Spirensis ecclesiæ provectus est, dignus fungi sacerdotio Domini et habere laudem in nomine ipsius. *Porro avellenda non videtur* B. Reginbaldi *ad infulas Spirenses promotio ab anno* 1033. *Re quidem vera Lehmannus* (4), *Khammius* (5), *Helwichius* (6), *Maurini* (7) *aliique annectunt decessoris mortem et* B. Re- D ginbaldi *consecrationem anno* 1032; *sed minus ut videtur feliciter, propter Sigefridum et Regingerum decessores. Philippus enim Simonis* (8), *qui accurate scripsit de episcopis Spirensibus, refert imprimis diploma, datum a Conrado rege anno* 1032, *Sigefrido episcopo Spirensi, ad confirmanda omnia bona et jura ecclesiæ hujus; mortuus tamen hic sit oportet, ante medium mensem Februarium, quum anno Domini* 1032, *indictione* XV, X *kalend. Martii ejus successori Regingero dederit idem Conradus abbatiam Schwartzacensem in diœcesi Argentinensi; de qua multa Schoepflinus* (9), *plura Gallia Christiana* (10). *Hinc quidem si fidem daremus Chronicis præsulum Spirensis civitatis* (11), *mortuus esset Regingerus ante mensem Maium ejusdem anni* 1032, *utpote, ut ibi traditur,* VIII *tantum hebdomadas officio episcopali functus; sed multis in locis deficiunt hæc Chronica; verbi gratia omittunt quem modo dicebamus, Sigefridum; et* B. Reginbaldum resedisse diebus XV *tantum tradunt: quam ergo fidem habebimus, quum in iisdem continenter ante legimus:* Regingerus, XXIII ecclesiæ Nemetinæ E episcopus, resedit in ea hebdomadas VIII circa annos Domini MXII (*imo* MXXXII)? *Quum itaque Philippus Simonis alicubi legerit Regingerum die* 20 *Januarii vita functum, consequens est hujus episcopatum undecim circiter menses durasse.*

qui dedicat oratorium abbatiæ Weissenburgensis;

31 *Non enim licet ad annum* 1034 *transilire, quum certo certius B.* Reginbaldus *anno* 1033 *episcopalibus muniis functus sit. Reperimus enim in Annalibus Weissemburgensibus ad annum* 1033 (12): Dedicatum est oratorium sancti Petri in Wizenburg a Reginboldo, Spirensi episcopo, et eclipsis facta est in nativitate Apostolorum; *quo anno revera die* 29 *Junii seu festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli solis eclipsis visa est meridiano tempore in Europa* (13). *Oratorium autem istud sancti Petri in Wizenburg, nil aliud est quam ædicula monasterii Weissemburgensis, quod denuo ædificabatur, postquam anno* 1004 *monasterium deletum fuerat. Jacebat id monasterium in Alsatia, in diœcesi tamen Spirensi; et a paucis annis in collegium canonicorum mutatum fuerat, quum episcopus Spirensis a Paulo papa III et Carolo imperatore V efflagita-* F *vit ut episcopatui Spirensi uniretur. Plura de hoc asceterio vide apud Trithemium, Schoepflinum et maxime in Gallia Christiana* (14).

eoque novo munere diligenter fungitur;

32 *Cæterum maxima laude suo satisfecisse muneri beatum virum satis produnt, quæ supra ex variis monumentis retulimus. Bruschius* (15), *parum pronus ad laudandos episcopos ex ordine monastico assumptos, paucis tamen verbis eximium de eo texit encomium, maxime, quod singulis diebus Dominicis ad populum suum verba ex suggestu haberet. Similiter Philippus Simonis* (16) *in eo laudando minime parcus est:* Dum infulis Spirensibus vestiretur, *inquit,* tum in spiritualibus rebus episcopatus

(1) Apud Helwichium, Antiquit. Laurish., cap. XXII, apud Joannis, tom. III, p. 52, et Codex Laurish. diplom., tom. 1, p. 156 et seqq.
(2) Chronic. August. apud Pistorium, German. rer. vett. scriptt., tom. III, pag. 74.
(3) Apud Freherum, t. I, p. 121; et cod. Laurish. dipl. t. I, p. 159.
(4) Chronic der freyen Reicht Stadt Speyer p. 366.
(5) Hierarchia August., part. III, regul., p. 7.
(6) Antiq. Laurish., cap. XXII et XXIII, apud Joannis, p. 51 et 54.
(7) Gallia Christ., tom. V, col. 721.

(8) Hist. Beschreibung aller Bischoffen zu Speyr, pag. 37 et 38.
(9) Alsatia illustr. passim.
(10) Tom. V, col. 875.
(11) Apud Eccardum, tom. II, col. 2261.
(12) Wurdtwein, Subsidia diplom., tom. XII, pag. 135; et apud Pertz, Monumenta Germaniæ, t. III, p. 70.
(13) Cfr. Art de vérifier les dates, tom. 1, p. 71.
(14) Tom. V, col. 741 et seqq.
(15) Magni operis de omnibus Germaniæ episcopat. epitomes tom. 1, fol. v. 83.
(16) Hist. Beschreib. aller Bischoffen zu Speyr, p. 40.

procurandis

A procurandis utilissimam præstitit operam; et quidem ante omnia quam maxime satagebat ut officium divinum studiose et attente fieret quo ordinatius et sincerius esset: *unde et intelligere est quantum quoque, quum abbas esset sacrorum rituum observantiam cordi haberet.*

candelabrum pensile B. M. V. dicat.

33 *Quemadmodum item ornatum ecclesiarum, quum abbatias Augustanam, Ebersperngensem et Laurishamensem regeret, plurimum auxerat; ita et decus aliquod addere ecclesiæ cathedrali Spirensi voluit. Paravit videlicet lychnuchum pensilem, de quo scriptores non sine admiratione aliqua meminerunt.* Coronam insignem candeliferam, *inquit Litzel* (1), cupream, auro subductam, usque hodie in choro Nemetum a summis lacunaribus dependentem fieri curavit; *similiter Eysengrein* (2): Ex summa chori concavitate dependentem coronam fulgenti metallo illuminatam; *neque aliter auctor Chronicorum præsulum Spirensis civitatis* (3): Hic coronam in choro pendentem fieri fecit, ut claret ex metris in circumferentia ejusdem coronæ scri-

B ptis. *Jam pridem id decus sublatum est; verumtamen sæculo* XVI *exeunte adhuc in medio choro suspensum fuisse aperte testatur coævus Philippus Simonis* (4). *Versus, quos* B. Reginbaldus *huic anathemati appictos voluit, tum ab auctore Chronicorum præsulum Spirensium, tum a Philippo Simonis descripti fuerunt, dum (ut diximus) adhuc cernebatur iste lychnuchus; sed quum variis viis hæc carmina circumirent coronam, hinc factum est ut obscuri sint valde. Verumtamen utut sunt, certo constant duabus ex partibus; ex quarum priore colligere est supremo ordine huic coronæ opere encaustico illitas fuisse figuras seraphim, secundo cherubim, dein angelorum, post prophetarum et demum apostolorum; sed ambigi potest annon patriarcharum manipulus ante aut post prophetas inserendus sit. Posteriori parte dedicat* B. Reginbaldus *pro se suisque eximium id opus Beatæ Mariæ Virgini, patronæ ecclesiæ cathedralis Spirensis. Quibus monitis, ex utraque editione damus versus eo ordine, quo ibidem prodeunt; sed simul addimus ad latus numeros, quibus significetur, quo ordine consiliarius Emonts* (5) *hæc carmina legenda*

C *æstimaverit. Præterea quum non utrobique eadem sit semper lectio, selegimus probabiliorem, ad marginem littera* C *indicantes quam aliam habeat Chronographus episcoporum Spirensium, et littera* S, *quam efferat Philippus Simonis; quin etiam, quum consiliarius Emonts nonnulla ex conjectura emendanda censuerit, eas emendationes littera* E *signabimus.*

adscriptis versibus;

34 *Ecce jam hi versus; qui, quum leonini sint, novo argumento sunt hoc genus carminum non ita recens esse, ut quidam voluerunt:*

1 Cernitur in medio seraphim celsissimus * ordo,
2 Eximius merito, qui præsidet altus olympo.
3 Est * cherubim dictus clarissimus ordo secundus
4 Hinc angelis simul * consistere laude tonantis.

* altissimus *S.*
* Et *S. E.*
* similis *S. E.*

D

5 Cœtus * et angelicus, reliquis sanctis venerandus,
6 Collaudat * Dominum, propria deitate respectum.
7 Formantur vere post almi quinque prophetæ,
8 Spem magnam nobis qui prædixere salutis *.
13 Virgo Dei genitrix, spes mundi, gloria, nutrix,
14 Gemma pudicitiæ, regali nata radice;
9 Hinc atria chorum devota *; cerne senatum;
10 Hospitio Dominum qui sæpe recepit alendum.
16 Virgineo * verbum portasti corpore sacrum,
15 Quæ regem regum generans sub tempore legum.
11 Hinc duodenus apex, æquo * discrimine judex,
12 Secernit justos ab iniquis igne cremandis.
17 Istud non magnum dignanter suscipe donum,
18 Quod Reginbaldus tibi præsul reddo misellus:

E

21 Munere sed parvo videas me cordis in arvo:
24 Osse * dabit mentem simul et prolongat * agentem.
19 Pro peccatorum miseranda mole meorum
20 Non tantum præsto, quantum tibi * debitus exsto *.
23 Si * Pater ac Natus nunc Deus Spiritus almus
22 Est quod * velle meum tibi plus donare paratum.

* Cœtus *S.*
* Collaudant *C.*
* salutem *C.*
* atrio eorum, devotum *E.* devotus *C.*
* Virginis ut *S.*
* deest *C.*
* Atque *E.* Posse?
* Prælongat. Prolonget. *E.*
* sum *C.*
* Esto *S.*
* Sit *E.*
* quidem *C.*

Equidem crediderim duos ultimos versus, scilicet 23 *et* 24, *hoc modo esse legendos:*

Si Pater ac Natus nunc Deus Spiritus almus
Posse dabit mentem, simul et prolongat agentem:

quibus appareat beato viro consilium fuisse etiam ditiora donandi, si tempus et opes suppeterent.

temporalem curam ecclesiæ suæ non negligit;

F

35 *Atque hac animi promptitudine exemplo sane præibat Conrado imperatori, qui vestigiis patrum insistens, templum cathedrale Spirense ædificiis novisque decoribus augere studuit. Unde et factum est, ut testibus Philippo Simonis* (6), *et Ill. D. Geissel* (7), *fausta sors obtigerit* B. *Reginbaldo consecrandi sub majori choro cryptas et forte partem aliquam reliquæ fabricæ. Efflagitavit etiam beatus vir ab imperatore Conrado ut omnia, quæ in Esslingen capitulum cathedrale haberet bona, sive poma, sive aliud quidlibet, ab omni teloneo aliove vectigali libera forent* (8).

excipit imperatorem Conradum et paulo post die 13 Octobris anni 1039 obit;

36 *Quum itaque Conradus et* B. *Reginbaldus animis conjunctissimi vixissent, placuit Deo eos uno eodemque anno in sinu suo conjungere. Hermannus Augiensis, scriptor omnino coævus, ex quo plerique alii chronographi sua dicta hauserunt ita ad annum* 1039 *scribit* (9): Counradus imperator apud Trajectum, Fresiæ urbem, Pentecosten agens, 3 No-

(1) Cfr Vies des Pères, des Martyrs, etc, t. XV, p. 326. Edit Lovan.
(2) Ibid., loc. cit.
(3) Apud Eccardum, t II, col. 2261.
(4) Hist. Beschreib. etc., pag. 38.
(5) Apud Ill Geissel Kaiser-Dom zu Speier. Cfr Vies des Peres, des Martyrs etc. Lovan tom XV, p. 328.
(6) Beschreibung, etc., pag. 9 et 10
(7) Der Kaiser-Dom zu Speier, pag. 22.
(8) Simonis, Beschreib., [illegible]
(9) Apud Pertz Monum. Germ., t V, pag. 123.

nas

A nas Jun. inopinata morte subito decessit, et Nemetum allatus, ibique sepultus est; et filius ejus rex Heinricus gubernacula regni suscepit. Reginbaldus quoque, Nemetensis episcopus, vir vita et habitu monachico verendus, 3 Idus Octobris decessit, eique Sibicho, fama longe dissimilis, successit. *Celebravit itaque* B. Reginbaldus *Conradii II imperatoris exsequias ejusque corpus in cryptis imperialibus ecclesiæ cathedralis Spirensis condidit; quæ solemnitas quam conspicua fuerit populorum concursu et multo magis totius regni luctu, docebit Wippo, Conradi biographus* (1). *Et reliqui quicumque chronographi veteres, quos legere memini consentiunt* B. Reginbaldum, *non tantum parentasse imperatori Conrado et dein eodem anno* 1039 *vita functum, sed ipsa die* III *Idus Octobris eum ad cælos abiisse. Verumtamen inter recentiores nonnulli veniunt scriptores (satis fuerit nomine designasse Helwichium* (2), *Bucelinum* (3) *et Khammium* (4),) *qui velint beatum virum transiisse ad Superos die* 21 *Augusti; sed, ut dixi, manifesto errore. Etenim ut coævis chronographis auctoritatem aliquam addam* B *in hoc rerum genere forte majorem, in antiquissimo Necrologio* (5) *monasterii Eberspergensis, in quo (ut vidimus) beatus vir abbatem egit, ad* III *Idus Octobris notatur :* B. Reginpoldus episcopus Spirensis obiit.

37 *Usque ab* B. Reginbaldi *obitum servatus fuisse videtur Spiræ, etiam pro episcopis, antiquus mos* D *sepeliendi cadavera extra civitatis mœnia, videlicet in monasterio S. Germani in Spirensi suburbio* (6). B. Reginbaldum *vero alibi sepultum fuisse satis indicat Philippus Simonis* (7), *et quidem in novo templo cathedrali aperte scribit Bruschius* (8). *Eum maximo populi luctu, quem quasi amissum patrem plangerent, elatum fuisse scribunt Philippus Simonis et Bruschius; adeoque Trithemius, nuntiata ejus ad diem* 13 *Octobris anni* 1039 *morte, subdit :* Vir sempiterna memoria dignus! utpote qui satis utiliter populo sibi commisso præfuit; quem non minus bonæ conversationis exemplo, quam sanctæ prædicationis verbo pascere et instruere consuevit. *Multos per annos plurima et magna ad ejus tumulum miracula in infirmorum gratiam facta esse, quibus Deus servi sui gloriam ostenderet, testes sunt, Philippus Simonis* (9) *et Henricus Murer* (10), *Chronicum quoddam episcoporum Spirensium secutus. Cæterum initio jam ostendimus eum Spiræ inter Sanctos habitum fuisse et initio saltem cultus ecclesiastici honestatum ; quin etiam Augustæ Vindelicorum ejus pedum abbatiale inter sacra cimelia fuisse* E *servatum. In eo adscripta erant hæc solemnia verba* (11), *quibus ut officia, sic et gesta universæ fere beati viri vitæ significantur :*

humatus in templo cathedrali splendet miraculis ; ejus pedum reliquose servatum Augustæ

Collige, sustenta, stimula vaga, morbida, lenta.

Post additum est : Hoc vetustum opus, sicut cernitur, renovatur ac decoratur anno Domini 1494.

(1) Apud Pistorium, rer. German. vett. Scriptt., tom. III, p. 480 et 481.
(2) Antiq. Laurish., cap. xxii, apud Joannis, t. III, p. 51.
(3) Menolog. Benedict. ad 21 Aug.
(4) Hierarch. Aug., part. III regul., pag. 7
(5) Apud Œfelium, t. II, prg. 17.
(6) Cfr Philippus Simonis, Beschreibung, etc. p. 38.
(7) Ibid., loc. cit.
(8) Magni operis, etc., fol. v. 83.
(9) Beschreibung, etc., p. 40.
(10) Helvetia Sancta, p. 203.
(11) Kistler, Basilica SS. Afræ et Udalrici, fol. 41.

NOTA 13 ad pag. 193, littera E.

DE SS. FAUSTO, JANUARIO, MARTIALI

C F

MARTYRIBUS

CORDUBÆ IN HISPANIA.

Cultus, Reliquiarum occultatio, lectiones variantes.

Egregium de his Sanctis Commentarium conscripsit Florezius (1); *quem, qui deinceps de iisdem acturi sint, utilissime legerint. Multa ex eo jam ausit medicus Sanchez de Feria, quæ in sacram suam Cordubensem Palæstram* (2) *intulit. Nos vero, quum inter Florezium et Byeum passim conveniat, pauciora ex eo mutuabimur. Imprimis quod ad diem natalis seu cultus attinet, (de qua re plura quoque dixit Byeus), teste Florezio adstipulantur diei* 28 *Septembris, non tantum Breviarium Mozarabicum, sed et antiquum Toletanum, Hispalense et Abulense ; adeoque olim Cordubæ hac die eorum festum actum fuisse testis est Sanchez de Feria : unde pronum est cum Florezio sentire eos mense Septembri potius quam Octobri animam pro Christo posuisse. Verum ex hac Breviariorum recensione simul intelligat lector quam late diffusus esset per Hispaniam horum Martyrum cultus : quin immo S. Fausti cultus jam pridem in Lusitaniam penetrasse videtur. Etenim Paulus Emeri-*

Cultus extensio et celebritas;

(1) España Sagrada, tom. X, p. 321 et seqq.
(2) Palestra Sagrada, o memorial de Santos de Cordoba.

A *Emeritensis diaconus, qui sæculo* VII *floruit somnium episcopi Emeritensis Fidelis explicans, verba facit* (1) *de* ecclesia Sancti Fausti, quæ ab urbe fere milliario distabat *extra* portam pontis. *Hunc* Faustum *eumdem ac Cordubensem Martyrem fuisse sentiunt Florezius et Sanchez de Feria* (2) : *quid enim extraneus accersatur, quum popularis præsto est?*

reliquiæ non anno 1041 occultatæ, sed probabilius anno 1124.

2 *Disputat num.* 20 *Byeus de tempore quo sanctorum Martyrum exuviæ occultatæ et mox deperditæ fuerint, consentitque iis, qui anno* 1041 *id factum statuant. Sed plane fuit ab iis deceptus. Eccum enim quo argumento seu potius qua divinatione annum illum protulerint. Quum corpora anno* 1575 *iterum effossa sunt, repertus est appositus lapis, in quo legebatur :*

✝ SCORVM
MARTYR..
XPI IHV
FAVSTI IA
B NVARI ET
MARTIA
....ZOYLI
...ARITA..
...ATS..
..N...

Atqui, quod vix crederes, ex literis ATSN, *reliquiis procul dubio integrorum verborum, procuderunt annum* 1031 *aut* 1041 ; *videlicet* A *eis sigla fuit vocis* aera, T *seu* M millesima, S sexagesima *seu* septuagesima, *et* N nona (3); *a quo numero dementes triginta annos ut æram cum annis Domini componerent, inciderunt in annum Domini* 1031 *aut* 1041. *Atque hæc interpretatio aliquando serie proposita fuit et accepta! Sed nulla ex parte stare potest. Etenim ex hoc ipso lapideo titulo manifestum est S. Zoilum una cum sanctis Martyribus* Fausto *et sociis absconsum fuisse ; atqui exeunte sæculo* XI *S. Zoili corpus nondum occultatum erat, ut satis liquet ex modo loquendi Fernandi Gomezii* (4), *quum circa annum* 1070 *(ut Florezius* (5) *fuse demonstravit) petiit a* C *rege Cordubensi partem corporis S. Zoili, quam ad Carrionem monasterium deferret. Quibus addit Florezzius* (6) *anno* 1041 *Mauros Christianis vim non intulisse, sed inter se digladiatos esse, adeoque Christianorum auxilia sibi adscivisse; unde nihil opportunius quam ut hæc reliquiarum absconsio ad ultimam et omnium fere teterrimam persecutionem* D *Maurorum referatur, id est ad annum Domini* 1124. *Non displicet hæc sententia.*

Lectiones variantes.

3 *Acta* SS. Fausti et Januarii *et* Martialis *edidit quoque Florezius, nec sine novis curis : contulit quippe Ruinartii textum cum antiquis Breviariis Burgensi, Toletano et Hispalensi, et variantes ex eis collegit lectiones ; quas ego (quotquot alicujus momenti sint) hic loci indicabo. Breviarium Burgense ita exorditur Passionem :* In diebus illis, cum Eugenius præses Cordubam advenisset, beatissimi Martyres Faustus, Januarius et Martialis sic cœperunt loqui ad eum : Quid tibi vis, Eugeni impie? Dei servis magis vis invidere quam credere? *Inferius, eodem numero* 1, *eadem Breviaria loco:* Faustus respondit: Nos Christiani, *etc., hæc habent :* Faustus dixit : Christiani, Christum fatentes. Eugenius dixit : Quid est Christus? Januarius dixit : Dominus unus est, per quem omnia et nos per ipsum. *Jure merito hanc lectionem prætulit Florezius. Ad num.* 2 *eadem Breviaria loco :* O charissime, *etc., ita sonant :* Digne carissime E pro nobis hoc pateris ; *Toletanum tamen omittit* pro ; *melior lectio Ruinartii. Eodem numero, loco :* Vides istorum, *habent :* Video istorum, *et quidem melius. Et demum ad ejusdem numeri finem loco :* puniet *exhibent* puniat, *durior forma, sed eo forte sincerior. Num.* 3 *loco :* O beata, *etc., ferunt :* O beata et immortalis gloria Christi ; *dein Toletanum :* Qui nos tibi et fratri Fausto ; *legit Hispalense :* Qui me tibi, frater Fauste. *Paulo infra loco :* tibi et patri tuo, qui diabolus est, *Hispalense et Toletanum habent :* Et patri tuo diabolo ; *dein loco :* mortalitatem tuam, *Hispalense legit* mortalitatem suam. *Ad num.* 4, *loco :* passus fuerit, *etc., ferunt tria Breviaria :* perpessus fuerit Faustus, dum impia voce perdurat. *Ex Januarii responso patet verbum* impia *debere adesse. Crediderim textum primigenium fuisse :* dum, deceptus opinione sua, in impia voce perdurat et pertinaciter imperio meo parere recusat ; *sic omnia facile fluunt. Ad num.* 5 *loco :* Auferantur et huic, quæ præcepi *exhibet optime Burgense :* Auferantur et huic, quæ præcepi *scilicet nares, aures, supercilia, dentes. Ibidem inferius, loco :* Consolatio F mea, *etc., habet Toletanum :* Consolatio mea ipsa est, quam ipsi gaudentes magna voce testantur; *duo alia, loco :* voce canora *Ruinartii, legunt item* voce magna, *certe melius.*

(1) Vit. PP. Emeritensium, apud Florez, t. XIII, p. 353.
(2) Ibid., pag. 240
(3) Cfr. Masdeu, Historia critica de España, tom. IX, pag. 227.
(4) Martyrium, Inventio, translatio et miracula S. Zoili, ap. Florezium, tom. X, pag. 495.
(5) Tom. cit., pag. 318 et 319.
(6) Ibid., p. 332.

NOTA

A D

NOTA 14 ad pag. 199, littera F.

DE SS. MARCELLO, ADRIANO

ET ALIIS MARTYRIBUS.

Utrum Chalcedone an Castulone in Hispania passi sint.

B

Horum sanctorum Martyrum annuntiatio in Hieronymianis Martyrologiis et Toletano Breviario,

Totam fere hanc Byei commentationem in Hieronymianis Fastis versari vix est quod moneam; verum non possum non monere minimam Hieronymianorum codicum partem ab eo recenseri, omitti vero hos omnes, quod edidere Sollerius, Dacherius, Marteneus et Georgius. Eidem rei accurationem majorem impedit Florezius (1), *rite horum omnium codicum annuntiationes recitans, quo facilius eas possit lector ad certas classes reducere. Quod ut ipse faciam, animadverto imprimis codicem utrumque Corbeiensem, Autissiodorensem S. Germani, Turonensem, Gellonensem, Labbeanum et Ottobonianum ita deficere nominibus Sanctorum et locorum, ut nil hinc extundendum sit. Reliqui vero codices in tres classes distribui queunt: ex quibus prima, quæ ex solo Lucensi Florentinii constat, post factam memoriam Sanctorum Martyrum Cordubensium (quorum nomina Faustus, Januarius et Martialis aliunde satis innotuere), sic pergit:* In Calcidonia natalis SS. Adriani, Fausti, Januarii, Marcelli. *Secunda classis distinguit hos Sanctos in duas turmas videlicet:* In Calcedonia natalis S. Adriani. Item Fausti, Januarii, Marcelli; *ad hanc classem pertinet similiter unus tantum codex, nempe Corbeiensis, Dacherii. Tertia demum classis, quæ ex codicibus Antverpiensi et Richenoviensi constituitur, distinguit item hos Sanctos in duos manipulos, sed multo apertius, scilicet:* Et in Calcedonia Marcelli, et alibi Fausti, Januarii Marcelli, *seu:* Et in Calcedonia Marcelli. Et alibi Faustini et Januarii. *Quæ quum ita sint, si exemplo Byei nullam rationem habere vellemus vetusti Breviarii Toletani, in quo* SS. Marcus, Hadria, Faustinus *et* Marcellus *Castulone passi leguntur, certe statuerem unum ex his Sanctis Chalcedone peremptum, alios alibi.*

C

cujus ætas et proinde auctoritas examinatur.

2 *Verum enimvero prorsus non video quam ob causam id Breviarium flocci fieret; certe antiquius est famosis fabulatoribus Hispanis, quum Tamaji testimonio antiquus et pergamenus codex sit; deinde licet libenter dein id sæculo* XI *recentius esse, nec credam hos Martyres passos sub Nerone (prout illic traditur), sed potius sub Diocletiano; probum tamen testimonium est olim Toleti hos Martyres cultos fuisse tamquam Castulonenses, nequaquam vero habitos Chalcedonenses. Quæ quum ita sint, plane fateor me non ita abhorrere a Tamaji sententia, arbitrati olim in Hieronymianis Fastis scriptum fuisse* Castulonen; *quem locum in* Chalcedonem *mutarint librarii, ignari ubi terrarum esset Castulo. Hæc enim mutatio, utut per plures vagatur codices, facilius intelligitur quam quo secus pacto apud Toletanos ortus esset horum Sanctorum cultus; eoque magis, quod Castulo jam ab exeunte sæculo* VII *episcopalem sedem suam amiserit et paulatim in vicum desierit* (2). *Unde nec suspicari licet Castulonenses præ vana quadam jactantia (ut aliquando recentioribus temporibus factum est) ex* Chalcedone Castulonem *procudisse, atque ita hos sibi vindicasse Martyres et Toletanis obtrudisse venerandos. Contra, si admittas hos Sanctos Castulone passos, pronum est intelligere, quomodo in Toletanum Breviarium transierint: Castulo enim in provincia ecclesiastica Toletana jacebat. Quibus adde omnia nomina (qualiacumque hæc demum sint) usitatissima fuisse apud Latinos, non æque apud Græcos. Quodsi objicias Castulone nullos plexos fuisse Christi Martyres, prout alicubi assertum lego; responsio in promptu est, nullo prorsus argumento id assertum firmari. Et quidem quid mirum, si, quum non diu ante tres alii Sancti Cordubæ passi sint, alii quatuor eamdem nacti fuerint sortem Castulone, non procul a Corduba et intra eamdem provinciam civilem jacente, et si proin utraque turma ad eamdem diem Hieronymianis laterculis inscripta fuerit, licet certe probabilius sit Cordubensem manipulum die 28 Septembris plexum fuisse? Jam quod ad classes codicum, quas initio distinxi, attinet; eis aliquam inesse vim sane non negabo: verum, quum hæ ortum suum librariis certissime debeant, fieri posset, ut prima sincerior sit. Atque de his judicium jam ferat lector. Equidem probabilius habeo Martyres Castulone exanimatos; nil tamen ausim definire.*

E F

(1) España Sagrada, tom. X, pag. 323

(2) Cfr Florezium, t. VII, p. 152, 159 et 160.

NOTA

A D

NOTA 15 ad pag. 201, littera F.

DE S. LUBENTIO PRESBYTERO CONF.

CUBRINI IN DIŒCESI TREVIRENSI

De antiquitate cultus, de natalis et translationis festis, de Reliquiis.

Præteriere Fonsonum, quæ Hontheimius jam ab anno 1757 *de* S. Lubentio *annotarat; hæc quidem pauca sunt, sed ea tamen quæ ad antiquitatem ejus cultus demonstran-*
B *dam apprime valeant. Ecce ea* : Die xiii *Octobris, inquit* (1), S. Lubentium confessorem Trevirensem celebramus. Sancti Vitam, hactenus ineditam, indicavimus Hist. Trev. Dipl. tom. III, p. 971. *Hanc ipsissimam habes ad calcem Fonsoni Commentarii.* Ejusdem *Sancti* meminit auctor Vitæ S. Maximiani scriptæ sæculo viii, cap. i, num. 4, editæ ab Henschenio tom. VII Maji p. 21. Antiquitatem cultus indicat calendarium nostrum San-Maximianum sæculi x ad diem vi Februarii et huic subjunctum fragmentum Litaniarum. *Penes nos factus est hic codex Ms.; et ut rite asserit Hontheimius, legitur ibidem in Kalendario ad* vi *Februarii* (2) : SS. Conff. Amandi et Vedasti Eporum S. Lubentii Conf.; *et ad diem* xiii *Octobris* : S. Lubentii Pbri Conf.; *in Litaniis vero venit ejus nomen inter S. Castorem et S. Goarem.* In Ordinario Baldewini assignatur ei festum novem lectionum. In Usuardo aucto editionis Lubeco-Coloniensis hoc die *(nempe* xiii *Octobris)* ponitur TRANSLATIO S. Lubentii; unde dies sextus Februarii sine dubio Sancti nostri NATALIS fuerit. *Res, si non certa, sane verosimillima. Nihilominus presbyter Trevirensis, qui tacito nomine anno* 1837 *egregium opusculum de Sanctis Trevirensibus edidit* (3), *noluit discedere a Browero* (4), *S. Lubentii* obitum *in diem* xiii *Octobris differenti. Verum latebant Browerum optima Hontheimii argumenta. De mortis tempore nil certius, quam quæ apud Fonsonum sunt, ex hoc opusculo hauseris;* E *monetur ibi tamen lector in Lectionario Dietkirchensi, quod anno* 1645 *typis datum, legi in tertia de* S. Lubentio *lectione eum vita functum tempore Constantii imperatoris Ariani* (5). S. Lubentii *corpus Dietkirchæ ad hanc usque diem servatum fuit* (6). *Tempore Broweri* (7) loculo, quo reconditi sub ara maxima beati cineres, inscriptus erat titulus : HIC REQUIESCIT CORPUS S. LUBENTII CONFESSORIS. *Vix dubito quin eodem loco et conditione etiamnum sint* S. Lubentii *pignora; verumtamen caput separatum nunc est a reliquo corpore* (8) *; quod an jam obtineret Broweri ævo me latet; quum hujus rei non meminerit. Contra apud eum legitur* (9) : Exhibetur in S. Lubentii collegio.... argentea navis cum sigillo sacri corporis, istuc adversis undis importati. *De hac navi nulla mentio apud recentiorem anonymum, quod forte per temporum calamitates vendenda fuerit.*

(1) Prodomus Hist. Trevir., tom. I, pag. 370.
(2) Cfr ibid., ad kalend. excusum, pag. 375 et 378.
(3) Leben und Thaten der Heiligen, deren Aendenken besonders im Bisthum Trier gefeiert wird, nebst einer Reichenfolge der Trierischen Bischofe.
C
(4) Annal. Trev., tom. I, pag. 235.
(5) Leben, und Thaten der Heiligen deren Aendenkon. etc., p. 229.
(6) Ibid., p. 230.
(7) Annal., tom. I, p. 235.
(8) Leben, etc., p. 230.
(9) Annal., tom. I, p. 235.
F

NOTA 16 ad pag. 207, littera F.

DE S. ROMULO EPISCOPO

JANUENSI.

Cultus S. Romuli in diœcesi Vintimiliensi; et nonnulla addenda.

De S. Romulo *pauca admodum addenda videntur. Imprimis nemo mirabitur eum olim hac die cultum fuisse ritu duplici in antiqua diœcesi Vintimiliensi, (quemadmodum nobis constat ex Summario, anno* 1832 *S. R. Congregationi ab episcopo Albintimiliensi oblato pro novi Kalendarii approbatione ;) quum Matutiana seu villa* S. Romuli, *vulgo* S. Remo, *haud procul hinc distet. Locum Vitæ* S. Romuli, *quo Mutatianæ destructio narratur, Historiæ suæ Alpium maritimarum* (1) *inseruit Petrus Giofredo, arbitratus hinc confici posse Fraxinetum, a Mauris occupatum, idem esse ac* Frenet *seu* La Garde Frenet, *sinui*

(1) Storia dell' Alpe maritime, Monum. patr. edit. jussu Caroli Alberti Regis, tom IV, col. 283 et seqq.

A *sinui maritimo* Grimaud *vicinum. Sed quum ex Vita S. Bobonis* (1) *Fraxinetum peninsula esset, cujus isthmus tam angustus erat ut unica clauderetur turri, sat difficilis videtur illa sententia. Sed quid his detineamur, quum toties incassum hac de re disputatum fuerit? Quæ claudimus annotatione facta in hæc num.* 10 *verba :* Non modicum læta sagenis ascensis. *Recte monet Byeus* Sagenam *hic navigii speciem esse, uti e verbis proxime ei subjectis liqueat. Multa de hoc verbo exempla congessit Cangius; ex quibus constare videatur fuisse maxime navigia oneraria.* D

(2) Cfr Storia dell' Alpe, etc., loc. cit.

NOTA 17 ad pag. 228, littera D.

DE S. LEOBONO CONFESSORE

IN LEMOVICIBUS.

B

Quo tempore vixerit, quæ miracula patraverit, quibus in locis colatur.

ANNO DXXX.

R. *D. Labiche de Reignefort canonicus Theologalis Lemovicensis dedit anno* 1828 *in lucem Vitas Sanctorum Lemovicensium, quæ ad sex posteriores anni menses pertineant* (1); *in quo opere Vitam* S. Leoboni *habes, quam dixerim amplificationem oratoriam Lectionum Breviariorum ; verumtamen adjuncta quædam, quæ alibi desideraveris, ibidem reperire est et plura ad cultum spectantia ; quæ brevibus hic colligenda videntur. Legitur itaque ibidem* S. Leobonus *secundum communem existimationem floruisse sæculo* V *exeunte aut sexto ineunte ; et sane hoc ævo vigebat apud Lemovices vita eremitica. Natalis ei locus burgus S. Stephani de Fursaco, quem distinguas a vicino loco S. Petri de Fursaco : uterque vicus ad septemtrionem Lemovicum. In vicinum montem juvenis secessit, ibique eremitorium construxit, cujus vestigia ducentis abhinc annis adhuc videbantur.*

Adjuncta aliquot vitæ S. Leoboni;

C *Hinc, ut tutius castitatem colere posset, perrexit Salaniacum, non multum distans; ubi, ut loquitur R. D. Labiche, die* 13 *Octobris anni* 530 *secundum annales nostros obiit; qui vero hi sint annales frustra divinabo.*

miracula anno 994 patrata;

2 *Non omisere Salaniacenses sanctum eremitam ecclesiasticis venerari honoribus; verumtamen hujus rei nulla antiquiora videntur existere indicia quam quæ de supplicatione anno* 994 *peracta traduntur. Ossa tunc vino abluta referuntur in Lectionibus, quas in Fonsoni Commentario habes. Id vinum ægrotis nonnullis postmodum salutare fuisse legitur ibidem. Unum miraculum explicat R. D. Labiche, videlicet juvenem, jam pridem contractis membris lecto decumbentem, illico sanitati restitutum ac de hoc vino gustarat, eumque matri testatum se id precibus meritisque* S. Leoboni *debere, et triduo post pedibus ivisse ad sancti viri tumulum, quantumvis genitrix dissuaderet, timens ne denuo morbo corriperetur. Dum vero corpus Lemovicas deferretur, prima nocte quievere bajuli in frondoso colle prope Ambazac; eo concurrerunt undique accolæ; quos inter pater quidam, qui filium suum igne sacro laborantem ad vicinas Juncherias vexerat. Sancti opem multa fiducia imploravit vir bonus, et sine mora filius sospes factus est. Simile beneficium concessum alteri puero. Quæ prodigia ita certa habita sunt, ut loci dominus assignarit annuos reditus, quibus* S. Leoboni *cultus augeretur. Quum Lemovicas devenere sacra pignora, multo honore delata fuerunt cum aliorum Lemovicensium Sanctorum reliquiis, in vicinum collem, (ni fallor) Montem Gaudii; quo ardentes, ut dicebantur, simul convenerant. Eis omnibus sanitatem redditam habent antiqua documenta, quæ hic recensere nolim, quum ea Operi nostro jam inseruerit Papebrochius, de S. Martiali Lemovicensi ad diem* 30 *Junii agens* (2). E

cultus multis in locis.

3 *Postquam Deus infirmorum pietati dedisset ut morbo fieret finis, Salaniacum relatæ sunt* S. Leoboni *exuviæ; ubi eas anno* 1183 *(quum Gaufredus Vosiensis scribebat) et sæculo* XIV *(quum Bernardus Guidonis florebat) servatas fuisse certum est, ut ex eorum verbis quæ Fonsonus collegit facile intelligitur. Anno* 1405 *ibidem adhuc ostendebatur, teste R. D. Labiche,* S. Leoboni *caput; an vero etiam reliquum corpus, dubium est; certe jam pridem ante rei publicæ et sacræ in Gallia conversionem gloriabatur vicinum oppidum Guéret majorem reliquiarum partem penes se esse. Ecclesiæ Salaniacensis patronus adhuc est sanctus anachoreta. Sæculo prærterlapso cernebantur ibidem muri oratorii, quod quingentis annis ante parochus loci, qui et simul canonicus Lemovicensis erat, ad latus ecclesiæ parœcialis in* S. Leoboni *honorem exstruxerat et in quo circum lapideam fundatoris imaginem hæc legebantur verba* : HIC JACET MAGR. G. CAPELLIS DE SALAN. QUI EDIFICAVIT ECCLAM ISTAM : QUI OBIIT XIII KL. DECEMB. AN. DOMINI M. CC. LXX. VII. CUJ. AIA REQUIESCAT IN PACE. DICATIS PAT. NOST. F *In aliis quoque locis colitur sanctus vir : est quippe unus ex patronis ecclesiæ de Ladignac, quæ ad meridiem Lemovicum jacet, necnon ecclesiæ de la Brugère, Lemovicensibus proximæ, ubi olim dies ejus festus, exposito SS. Sacramento et concione habita, quam solemnissime agebatur. Sacellum seu altare sub ejus patrocinio exstabat in ecclesia S. Hilarii-*

(1) Six mois des Vies des Saints du diocèse de Limoges et de tout le Limousin.

(2) Act. Sanctorum, tom. V Junii p. 564.

Lastours

Lastours non procul a Ladignaco, et similiter in templo cathedrali Lemovicensi, in quo ejus festivitas nunc ritu solemni minori, tamquam de patrono secundario celebratur. Neque dubito quin ibidem nunc agatur die XIII *Octobris, ut passim alibi; quod enim olim Lemovicibus, ut num.* 2 *et* 3 *suæ sylloges perhibet Fonsonus, die* XIV *coleretur, ratio est diem* XIII *impeditam fuisse festo S. Gerardi: utrumque scilicet ritus semiduplicis erat. Ast ex quo tempore* S. Leoboni *festi altior ritus factus est, mutandæ fuerunt vices. Præterea* S. Leoboni *festum agendum indicitur in Breviario Petracoricensi anni* 1559, *in Missali anni* 1566 *et Calendario Ritualis annis* 1582 *Engolismensibus, necnon in Breviario Bituricensi anni* 1734, *ubi de* S. Leobono *commemoratio facienda præscribitur ad diem* XIII *Octobris. Unde vero factum sit ut Saussayus et ex eo Simon de Peyronnet in Catalogo Sanctorum ac Sanctarum* S. Leoboni *festum etiam die* XVI *Octobris signent, me latet, suspicor tamen id factum, quod alicubi dies præcedentes per alia festa impedirentur.*

NOTA 18 ad pag. 245, littera A.

DE S. SIMPERTO, EPISCOPO CONF.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.

De episcopatu Neuburgensi olim distincto ab Augustano. De abbatibus Murbacensibus.

Quamvis alii aliter sentiant,

P*riusquam Bueus de existentia episcopatus Neuburgensis ejusque cum Augustano vinculis scripsisset, commentarium eadem de re jam ediderat Michael Stein, canonicus et bibliothecarius Rebdorffensis* (1). *Qui tractatus quod mihi tantum innotescat ex nota quadam Würdtwein* (2), *ex confutatione Placidi Braun* (3), *et ex mentione de eo facta a R. D. Seiters* (4), *sane doleo. RR. DD. Rass et Weis* (5) *victoriam quidem adjudicarunt Placido Braun; verum licet Steinii argumenta non viderim, ex his solum quæ Bueus pro sua raptim disputavit sententia, mihi visum est fieri non posse ut non valde dubius sit Braunii triumphus; nec diffitebor eo magis auctum esse id meum dubium, quo penitius Braunii probationes et responsa examinare conatus sum. Quocirca in hoc Auctario aliqua de hoc argumento addenda, eoque magis quod, ut passim a Braunio, ita in nonnullis ab ipso Bueo recedendum esse videatur.*

non videtur negari posse ante S. Simperti ætatem diœcesim Neuburgensem ab Augustana distinctam fuisse;

2 *Imprimis prorsus non video quomodo negari possit diœcesim Augustanam ex duobus conflatam fuisse, nempe Augustana et Neuburgensi, et aliquando Neuburgensem exstitisse diversam ab Augustana. Concilio enim Bavarico, anno* 772 *apud Dingolvingam celebrato, interfuit certissime* Manno Nuvenpurgensis civitatis episcopus, *prout constat ex Collaudatione, quam episcopi et abbates in Bajoaria inter se fecerunt pro fratribus defunctis* (6); *atqui tunc temporis Augustanam sedem occupabat Thosso seu Thozzo, quemadmodum ostendit ipse Braunius* (7). *Quid ad hoc argumentum Augustanus historicus? Nescio qua mentis avocatione præteriit id omnino, licet antea* (8) *monuerat hunc Mannonem confundi non posse cum Mannone Augustano, qui ante medium sæculum* VII *floruerat. Atque hoc palmare argumentum est; eoque validius quod sedis Neuburgensis distinctæ et separatæ ab Augustanæ certa memoria sit in vetust fragmento, quod ex Lazio* (9), *citat Bueus num.* 37, *in Translatione S. Magni* (10), *quam ad sinceros fontes historicos pertinere arbitratur Waitzius* (11) *et ipse Braunius* (12), *et demum in ipsa* S. Simperti *Vita* (13). *Re quidem vera plura in his impugnari possunt; verum hic loci non alia de causa hæc adducimus, quam ut constet sæculo* X *(codicem enim S. Magni Vitæ hoc ævo scriptum laudat Braunius) memoriam viguisse conjunctionis ambarum diœceseon, quæ antea separatæ essent.*

neque ad contrarium probandum valent ecclesiarum consecrationes

3 *Quibus positis, en ut mihi ordinandæ inter se videntur res ecclesiasticæ illarum Alemanniæ et Bavariæ partium. Ante adventum S. Bonifacii in Bavariam,* vivebatur *ibidem, ipso et Gregorio III testibus,* extra ordinem ecclesiasticum, dum episcopus non haberetur in provincia nisi unus, Vivulus *Pataviensis, a Gregorio III paulo ante ordinatus; non quod antea episcopales sedes ibidem non exstiterant, sed potius quod per miseriam temporum omnia neglecta jacebant. Pro sua auctoritate quatuor in diœceses S. Bonifacius Bavariam distribuit, Salisburgensem, Frisingensem, Ratisbonnensem et Pataviensem, probante hanc distributionem Gregorio III papa anno* 740, *die* 29 *Octobris. Sed quid pars illa Bavariæ, quæ ad orientem Lici* (Lech) *fluvii jacet, et quæ ipsissima regio est, de qua disputatur? Equidem non putem eam tunc temporis*

(1) Abhandlung von dem Ehmealigen Bissthume zu Neuburg an der Donau, in Collectione: Neue histor. Abhandlungen der Baierischen Academie der Wissenschaften, ersten band 1779, p. 383-424.
(2) Epist. S. Bonifacii, p. 101.
(3) Geschichte der Bischofe von Augsburg, t. I, p. 114.
(4) Bonifacius der Apostel der Deutschen, p. 290.
(5) Vies des Pères, des Martyrs, etc., tom. XV, p. 331. Louvain, 1831.
(6) Apud Hartzheim, Concil. Germ. tom. I, p. 130.
(7) Geschichte der bischofe, etc., tom. I, p. 106.
(8) Ibid., p. 77 et seqq.
(9) De Gentium aliquot migrationibus, lib. VII, p. 292.
(10) Act. Sanctorum t. II Sept., p. 756, apud Pertz Monum. German. t. IV, p. 425.
(11) Ibid., p. 382.
(12) Geschichte, etc., tom. I, p. 90 et seqq.
(13) Vide tom. VI Octobris, p. 246, num. 9.

A *diœcesis Augustanæ fuisse, licet Bueus num. 41 et sequentibus; et Braunius* (1) *aliud a se probatum æstiment. Urgent enim duo argumenta, prius a S. Wicberto Augustano episcopo consecratam fuisse ecclesiam Benedicto-Buranam, dein ab eodem sepultum abbatem Lantfridum et demum ab eodem consecratam ecclesiam S. Magni; quæ omnia peracta ad Orientem Lici fluminis. Sed hæc non satis ad rem propositam faciunt. Per disciplinam enim illius temporis, de qua alibi* (2) *multa congessimus exempla, plura tamen omisimus, licebat monasteria exstructa in una diœcesi, sed nondum dedicata, subjicere episcopo extraneo; quo casu hic ecclesiam consecrabat et ipse ejusque successores jurisdictionem in id asceterium habebant. Quocirca, licet ex Rotulo Bedicto-Burano et ex Vita S. Magni certum videatur S. Wicpertum Buræ et in S. Magni exercuisse jurisdictionem ecclesiasticam, hinc tamen concludere nequis eum episcopum fuisse ripæ orientalis Lici, neu evertere hoc Laziani fragmenti testimonium:* Zacharias, rogante Carolo [manno] rege, duos

B episcopos ordinavit, Wicconem in Novam Civitatem et Rozilonem in Augustam. *Quæ facta sunt inter diem 20 Novembris anni* 741, *quo Zacharias pontificatum adeptus, et annum* 747, *quo Carolomannus mundo valedixit.*

recensentur episcopi qui Neuburgi sederunt usque ad S. Simpertum;

4 *Verum res non cessere pro votis; adeoque S. Bonifacius, pro sua apostolici legati auctoritate, qua sedes episcopales per totam Bavariam ordinabat, sedens in Civitate Nova,* ob merita sua deposuit Wicconem episcopum et consensu atque præcepto domini Pipini regis et Odilonis ducis ordinavit illic Mammonem. *Ita denuo ex Fragmento Lazii. Sed et hæc ordinatio paulo post mutanda fuit, teste eodem Lazio* (3): Sub Utilonis porro gubernatione, *inquit,* Beatus Bonifacius secundario in Bojariam venit, suoque fungens officio, Mannum Novæ Civitatis episcopum deposuit ob merita, diœcesi illius Reginoburgensi adjecta. *Verumtamen Gaubaldus, quem S. Bonifacius Wicterpo Ratisbonensi senio fatiscenti coadjutorem dederat, non diu loco Mannonis diœcesim Neuburgensem procuravit. Quum enim Manno administratione suæ diœ-*

C *cesis non ob alia privatus merita, quam quod Carolomano et Pipino, Bavaria anno* 743 *violenter potitis* (4), *non placeret, hinc factum ut, quum brevi post ex his terris excesserint ambo Francorum duces, sua illi reddita censenda sit potestas, quandoquidem is ille idem videtur esse Manno episcopus, qui anno* 759 *cum Josepho episcopo, nempe Frisingensi, diplomati Chuniperchti subscripsit* (5), *et certe idem est (ut vidimus) qui anno* 772, *qua* Nuvenpurgensis civitatis episcopus, *concilio Dingolvingensi interfuit. Obiit autem (ni fallor) ante Kal. Maii anni* 774, *quum in vetustissimo catalogo Salisburgensi, de quo multa dicta in Commentario de S. Vitali* (6), *hic inter episcopos et abbates defunctos ordo servetur* (7): Sigirih. eps. *Ratisbonensis anno circiter* 768

D *defunctus* (8); Manno eps. Kilach. eps. *ignotæ sedis* (9); Wissurich. eps. *Pataviensis, pridie Kal. Maii anni* 774 *mortuus* (10). *Porro, ut cum Laziano fragmento pergamus,* eo mortuo ordinatus est illic Hildegart, episcopus. *Quamdiu hic Hildegarius, aliunde ignotus, sederit incertum; sed ante annum* 798, *quo Salisburgum per S. Leonem papam III metropolis facta est, jam obierat, successorem nactus* S. Simpertum.

5 *Hic enim, qui ab anno circiter* 778 *(quemadmodum num.* 13 *ostendit Bueus) Augustanus episcopus erat, sedem Neoburgensem simul occupabat, quum ab episcopo Bavariæ epistolam suam dedit S. Leo III de instituenda provincia ecclesiastica Salisburgensi. Sincero videlicet hujus epistolæ ecgrapho hæc est inscriptio* (11). Dilectissimis nobis Alim ecclesiæ Sabionensis, seu Attoni ecclesiæ Frisinge ac simul Adolwino ecclesiæ Reginensis, necnon Waltrico ecclesiæ Pataviensis et SINTPERTO ECCLESIÆ NIUUINBURGENSIS provinciæ Bajoavariorum episcopis; *qui omnes assignantur suffraganei*

qui ab anno 798 duobus aliquandiu metropolitis subfuit,

E *archiepiscopo Salisburgensi. Per hanc porro constitutionem pontificiam manifesto fiebat ut* S. Simpertus, *qua episcopus Neuburgensis, subesset metropolitæ Salisburgensi, qua vero episcopus Augustanus Moguntino. Neque incerta est hæc conclusio. Ut enim omittam concilium Riesbacense, quod anno* 799 Waldericus episcopus Pataviensis, Arno archiepiscopus, Adalwinus episcopus Ratisbonensis, Atto episcopus Frisingensis, Alimus episcopus Augustensis *celebrasse leguntur* (12), *quodque sincerum esse probare conatus est Florianus Dalham* (13), *alii vero dubium habent; in codice quem descriptum volunt* (14) *anno regni Caroli Magni* XLII, *imperii autem* XI, *reperimus* (15): Secunda provincia Germaniæ habet civitates numero VI. Metropolis civitas Mogontiaca. Civitas Argentoratensis, id est Strasburg. Nemnetis, id est Spira. Vaugionum, id est Wormatium. Wirzburgensis. Constantia. Castrum Rubilocus, quod Heistete dicitur. AUGUSTA VINDELICUM, ID EST AUSBURG. Provincia Bajoariorum, id est Noricus Ripensis super Danubium sive Noricus Mediterranea habet civitates numero VI. Metropolis F

civitas Juvavo, id est Salzburg. Civitas Regino. Patavia. Frisigiensis. CIVITAS NOVA. Sabionensis. *Hæc Notitia condita fuit inter annum* 798, *metropoleos Salisburgis natalem, et annum* 807, *quo mortuus est* S. Simpertus, *ut habes apud Bueum num.* 13, *quandoquidem ante ejus mortem diœceses Augustana et Neoburgensis in unam coaluerant; verumtamen nil vetat quominus anno* 809 *ex prototypo, aliquot annis antiquiori ecgraphum desumptum fuerit.*

6 *Quod vero perpetua harum diœceseon conjunctio, vivo* S. Simperto, *facta fuerit testantur antiquissima documenta. Etenim* suscepto episcopatu *Augustano,* Sintpertus profectus est ad Augustam

donec diœcesis Neuburgensis suppressa et Augustanæ unita est;

(1) Geschichte, etc., t. I, p. 118 et seqq.
(2) Examen hist. et canon. libri R. D. Verhoeven de cleric. regular. et secular. juribus et officiis, p. 163 et seqq.
(3) De migrationibus, etc., lib. VII, p. 301.
(4) Annales Metenses, apud Pertz, t. I, p. 328.
(5) Meichelbeckius, Hist. Frising., t. I, part. I, p. 59 et part. II, p. 27.
(6) Act. SS., tom. VIII Oct., p. 917 et seqq.
(7) Nov. Chron. Monast. S. Petri Salisburg., p. 177.
(8) Cfr Th. Ried. Codex Chron. diplom. episc. Ratisb., t. I, p. XIV.
(9) Reschius, Annal. Eccl. Sabion., t. I, p. 717.
(10) Hansizius, German. sacr. episc. Patav. p. 137.
(11) Apud Braun, tom. I, pag. 114, et apud Florianum Dalham Concil. Salisburg., pag. 11, ex Kleinmayr, Juvavii, app., p. 51.
(12) Concil. Salisburg., p. 32 et seqq.
(13) Ibid., p. 37 et seqq.
(14) Apud Goldastum, Rer. Germ., t. III, p. 91; et Reschius Annal. Eccl. Sabion., t. I, p. 732.
(15) Ibidem; et apud Schelstrate, Antiquit., tom. II, pag. 641 et 642.

Vinde-

A Vindelicam, et per annos fere triginta rexit ipsam ecclesiam, construens basilicam S. Afræ et restaurans cœnobium S. Magni. Parochiam vero in ambarum partium Lici fluminis per auctoritatem Domini Karoli jam facti imperatoris in utroque regno simul, Domino favente, coadunavit. *Hæc ex ea S. Magni Vitæ* (1) *parte, quæ sincera habetur et quam in codice sæculi* IX *repertam fuisse ex Braunio jam intelleximus. Non aliter Adilbertus* S. Simperti *biographus :* Ipse autem Augustensis episcopatus, *inquit* (2), cujus regimen et curam susceperat..., voluntariæ paupertati subjacebat... Quam vir Domini Simpertus omnimodis, prout facultas sibi expetebat, secundum timorem Domini sublimare et ditare studebat. Parochiam quoque in utraque parte Lemannici fluvii, qui Lycus dicitur, qua tunc primum eadem ecclesia augmentata est, auctoritate Domni papæ Leonis tertii, necnon et consensu et confirmatione Domni Karoli, jam facti imperatoris, annuente Deo, in utroque ducatu, Noricorum videlicet et Alemanorum coadunavit.
B *Quæ omnia si recolligamus, manifestum fit ecclesiam Neoburgensem* S. Simperto *jam pridem forte Augustano episcopo gubernandam traditam, quum nondum redacta esset Bavaria in provinciam ecclesiasticam ; deinde cum utrique aliquot præfuisse annos, licet ad diversas jam spectarent provincias ; tertio Neoburgensem sedem ejus ævo suppressam fuisse ejusque diœcesim unitam cum Augustana ; ita ut deinceps nulla amplius auctoritas in agrum Neoburgensem fuerit archiepiscopo Salisburgensi ; atque id demum factum, testibus SS. Magni et Simperti biographis post annum* 800 *seu quum Carolus Magnus imperatoriam cinxisset coronam et simul ante annum* 807, *quo* S. Simpertus *hanc mortalitatem exuit.*

refelluntur objectiones,

7 *Quid ad hæc omnia Braunius? Steinio ad asserendum Neuburgensem diœcesim aliquando ab Augustana distinctam fuisse, palmare argumentum esse* S. Simpertum *a Leone III episcopum Neuburgensem dici ; atqui nil hinc confici posse, quoniam in aliis ejusdem pontificis anno* 800 *datis litteris* episcopus Stafnensis ecclesiæ *dicitur* (3) *et similiter*
C *Salzburgensis præsul in litteris Caroli Magni regis, anno* 791 *conscriptis.* Petenensis urbis episcopus (4) *appellatur. Sed animadvertere mihi liceat præcipuum nostrum argumentum non illinc repetitum fuisse, sed ex eo, quod anno* 772 *Thozzo esset episcopus Augustanus et Manno episcopus Neuburgensis. Porro quum pro hujus argumenti auctoritate in animum induximus revera diœceses Augustanam et Neuburgensem aliquando distinctas fuisse, facile dein admisimus quæ de his suggerebat Fragmentum Lazianum aliaque documenta. Ast id erroribus plenum est, clamat Braunius. Re quidem vera* Carolus *ibidem loco* Carolomanni *scriptus est, quod forte librarius reperiens siglam* K *qua* Carolomanni *nomen etiam in Rotulo Benedicto-Burano* (5) *indicatur, eam per* Karolum *interpretatus est ; cætera*
D *vero bene fluunt, dummodo non plura extundere velis, quam reapse contineant. Ast, quæso, dicat Braunius, quid Rotulum Benedicto-Buranum tanto animo urgeat, licet ibi* (6) *non* Carolus *in* Carolomannum, *sed sæpius* Thassilo *in* Odilonem *mutandus sit? Verum Rozilo Augustanus aliunde non innotescit : fateor : sed an non satis hiulci catalogi Augustani, ut unus aliquis supplendus sit episcopus? Comparentur inter se tres Galliæ Christianæ editiones : quot suppleta passim nomina, prius ignorata? Sed et Wicco Neuburgensis ignoratur : fateor ; ast quid mirum, quum brevi depositus legatur? Verum nulla de erecta sede Neuburgensi in S. Bonifacii Vita ejusque commercio epistolari mentio : atque hoc etiam fateor ; sed dicant adversarii nonne multa in his desiderentur de S. Bonifacii gestis, quæ aliunde innotescunt?*

maxime quæ petuntur ex modo designandi olim sedes episcoporum.

8 *Cæterum hæc omnia plane negativa numquam comparari poterunt cum Mannonis Neuburgensis episcopi præsentia in concilio Dingolvingensi, cum Notitia ecclesiarum ineuntis sæculi* IX *et ne cum titulo quidem episcopi ecclesiæ Niwenburgensis, dato*
E S. Simperto *in epistola S. Leonis III ; licet argumentum inde petitum tam facile a se subverti posse arbitratus sit Braunius. Ut enim id elidat, animadvertit sæpius fieri ut episcopi designentur non titulo suæ sedis, sed aliquo alio loco in sua diœcesi sito. Verum hæc assertio accurata non videtur. In tomo VI Octobris, occasione S. Pantali Rauracorum episcopi* (7) *Berthodus multo acumine id argumentum examinavit, et ostendit tunc tantum fieri ut episcopi loco aliquo suæ diœcesis indicentur, quando ille locus suæ ditioni seu dominio temporali subest ; adeoque secundum hanc regulam recte vocari poterat* S. Simpertus episcopus Stafnensis, *quum Staffelsee ejus temporali ditioni subesset, quemadmodum ostendit ipse Braunius* (8). *Contra Neuburgum numquam dominio episcoporum Augustæ videtur obnoxium fuisse, sed a principio civitas regia, dein vero ducalis* (9). *Verum instat Braunius : Salisburgensis scilicet seu Juvaviensis episcopus dictus fuit* Petenensis urbis episcopus. *Equidem miror a viro*
F *rerum patriarum adeo perito hoc obtrudi potuisse, multoque magis tale argumentum laudari a RR. DD. Rass et Weis* (10). *Quis enim ignorat* Petenensem urbem, Salisburgum, Juvaviam, *etc., nomina esse ejusdem omnino loci? Quæ fuse in prolegomenis explicat Hansizius* (11), *cujus hæc est conclusio : Juvavia a barbaris destructa, non inanem omnino mansisse cultoribus terram, quippe fabricis et commerciis salinariis jam tum frequentatam ; ex quibus et nomen vetus Juvaviam degenerasse in Salzburch ; vulgus deinde ob novam ecclesiam S. Petri appellasse oppidum* Sanct Peter *seu* Petrinam *seu* Petinam civitatem ; *alios tamen scripsisse* Petenam. *Atque hæc de distinguenda diœcesi Neuburgensi ab Augustana dicta sufficiant.*

9 *Verum multo magis implexæ mihi videntur tricæ, quæ sub titulo abbatis Murbacensis,* S. Simperto

(1) Act. Sanctorum t. II Sept., p. 756.
(2) Ibid. t. VI Octobris, p. 216.
(3) Ex Kleinmayr, Juvavia, app. p. 51.
(4) Ibidem, p. 50.
(5) Monum. Boica t. VII, p. 2.
(6) Ibid., p. 2 et seqq.
(7) Acta SS. tom. VI Octobris, de S. Pantalo, § v. p. 78 et seqq.
(8) Geschichte, etc., p. 149 et Histor. Topogr. Beschreibung der Diœcese Augsburg, tom. I, p. 354.
(9) Cfr Braun Hist. Top. Beschreibung, tom. I, p. 267.
(10) Vies des Pères, des Martyrs, etc., t. XV, p. 332, edit. Lovan. 1831.
(11) Germaniæ Sacræ, t. II, episc. Salisburg. proleg., p. 1 et seqq. Cfr Florianus Dalham, Concil. Salisburg., p. 1, in nota.

A perto *dato, latent. Mira enim successio virorum, qui ibidem abbates fuisse dicuntur : usque ad annum* 786 Amicho diaconus *in diplomatibus Murbacensibus* (1) abbas *dicitur ; idibus Julii anni* 789 Sindbertus Christi speculator de monasterio Morbach *seu* episcopus atque abbas *ibidem legitur* (2); *similiter* III *idus Novembris anni* 790 Monasterio Muorbach Sintpertus episcopus atque abbas præesse videtur (3); *et eodem iterum anno* Sindbertus episcopus et abbas de monasterio Morbach *scribitur* (4) ; *neque aliter anno* 792 (5). *Verum eodem anno* XIII *Kal. Novembris* : in Monasterio Morbach domnus rex Karolus pastor eo tempore esse videtur (6). *Ad annum sequentem in Continuatione Murbacensi Annalium Alamannicorum* (7) *traditur* : Et Gerbo episcopo Muarbach monasterium datum. *Anno autem proximo seu* 794 *iterum domnus rex Karolus pastor præest* (8) ; *sed ad* VIII *Kal. Septembris ejusdem anni prodit* Aighilmarus monachus vel abbas (9), *qui idem esse videtur ac Ingermegilmarus, anno* 792 decanus sive præpositus *sub rege Karolo pastore, a quo et constitutus fuerat* (10). *Ast anno* 795 (11), *et* X *Kal. Maii* (12) *et* V *Kal. Julii anni* 796 (13) Gerohus episcopus atque abbas præesse videtur. *Dein* IV *nonas Septembris anni* 801 Fridericus abbas præest (14), *et anno* 805 Kerhoh episcopus, *certe idem qui Gerohus ad annum* 793 *et* 796 ; *demum anno* 810 Beatus abbas, *anno* 811 Guntramnus abbas (15) *et sic deinceps. Quis autem ex his non videat dignitatem abbatialem Murbacensem nil aliud tunc temporis fuisse, quam commendæ quamdam speciem, quam precario jure jam unus, jam alter a Carolo Magno teneret ? Quocirca non ausim adstipulari Bueo in his omnibus, quæ* § II, *de* S. Simperto *Murbacensi abbate tradit. De scriptis* S. Simperti *nil aliud superesse videtur quam statuta regularia, de quibus Bueus* § II, *et formula, qua utebatur scribens ad matrem familias ad annuntiandam mortem filii monachi Murbacensis, et similiter inscriptionem seu indiculum epistolæ ad episcopum aliquem ; quæ edidit Joannes Mabillonius in Analectis* (16). D E

S. Simpertus videtur jure tantum precario commendam abbatiæ Murbacensis habuisse.

B

(1) Schopflein, Alsatia diplom., t. I, p. 54.
(2) Ibid., p. 54 et 55.
(3) Ibid., p. 55.
(4) Ibid., p. 56.
(5) Ibid., pag. cit.
(6) Ibid., p. 57.
(7) Apud Pertz, Monum. German. t. I, p. 47.
(8) Schopflein, t. I. p. 57.
(9) Ibid., p. 58.
(10) Ibid., p. 57.
(11) Ibid., p. 58.
(12) Ibid., p. 59.
(13) Ibid., pag. cit.
(14) Ibid., p. 60.
(15) Ibid., p. 61.
(16) Edit. pr. t. IV, p. 323; et edit. sec. p. 418.

NOTA 19 ad pag. 300, littera B.

DE S. GERALDO COMITE

AURELIACI IN ALVERNIA.

C

De S. Geraldi cultu.

R*ecentiora sibi defuisse documenta conqueritur Berthodus ad calcem egregii sui Commentarii; idcirco tamen vix aliquid supplendum. In nova enim* S. Geraldi *Vita, quam anno* 1828 *R. D. Labiche de Reignefort Semestri Vitarum Sanctorum Lemovicensium* (1) *inseruit, sane nil habes quod ad rem historicam pertineat, vix quidquam spectans ad cultum, quod in Berthodi disquisitionibus non reperias. Vix enim operæ pretium est signare Aureliacense* S. Geraldi *asceterium sæculo præterlapso desiisse ; et prioratum* S. Geraldi *Lemovicensem, quæ simul parochia erat, deletum, ejusque sedem foro et ædibus publicis (la Mairie) occupari. Hæc enim communis rerum sacrarum in Gallia fortuna.* F

(1) Six mois des Vies des Saints du diocèse de Limoges, t. II, pag. 203 et seqq.

NOTA

NOTA 20 ad pag. 357, littera B.

DE S. COLMANO MARTYRE

IN AUSTRIA.

Emendatur textus Vitæ S. Colmani; quibus in locis ejus cultus maxime viguerit seu adhuc vigeat; sodalitia sub ejus patrocinio.

Emendatur Vitæ S. Colmani textus,

Ex quo tempore Jacobus Bueus Acta S. Colmani *Martyris illustravit, prodierunt in lucem plures lucubrationes de hoc sancto Mellicensium patrono. Inter has vero præcipua est nova editio Actorum* S. Colmani, *quam Cl. V. Waitz ope codicis Admontensis sæculi (ut volunt)* XI *et antiquorum Pezii laborum paravit, et qua Monumenta Germaniæ Pertzii* (1) *aucta sunt. Porro Waitzius in præmissis ad lectorem monitis probat imprimis Buei sententiam, qua statuerat fieri non posse ut Erchenfrido abbati Mellicensi tribueretur ipsa* S. Colmani *Passio, sed eam antiquiori scriptori deberi* : Quod jam, *inquit Waitzius* (2), ex codice Admontensi, mbr. s. XI qui dicitur, probatur, qui vitam interpolationibus vacuam et miraculis destitutam continet. Hanc igitur auctori tempore suppari deberi putarim, sæculo vero sequenti sive ab Erchenfrido sive ab alio monacho mutatam et miraculorum libro auctam. *Admontensem itaque codicem secutus est Waitzius, ad imas paginas Pezii seu Buei lectionibus variantibus repositis. Nos vero ex Waitzio eas seligemus, quæ alicujus videantur esse momenti. In Prologo itaque lin.* 14 officio sterili, *habet melius Admontensis* stili officio. *Num.* 2, *l.* 11 cum aliis, *etc.*, *Adm.* cum aliis currens, quibus eadem mens erat. Venit. *Num.* 3, *l.* 24 torta.... floruit, *Adm.* torta.... fronduit. *Num.* 6, *l.* 10 cadaver venerandum. *Adm. omittit* venerandum. *Num.* 6, *l.* 13 nova ostendit miracula *usque ad* circumdatus, *Adm. habet solum* : ostendit miracula, nostris quoque temporibus inaudita. Nam tumulus, quo claudebatur corpus ipsius, aquarum diluvio non attingebatur penitus. *Num.* 8, *l.* 6 miraculis glorificatum *omittit Adm. Num.* 8, *l.* 7 impresso fossorio *omittit Adm. Num.* 10, *l.* 3 nomine Adalgerus *omittit Adm. et ejus loco habet* : Singulorum membrorum officio paralysi privatus. *Num.* 10, *l.* 7 ut suis *etc. Adm.* ut suis gressibus ad propria laudans ac glorificans Deum rediret, *Num.* 10, *l.* 11 cum cætera multitudine laudibus extulerunt, *Adm.* cum cæteris, qui sequebantur, laudabant. *Num.* 10, *l.* 13 signa *omittit Adm. Num.* 10, *l.* 17. Ubi in nonis Octobris Dominicæ Incarnationis millesimo quinto decimo anno *omittit Adm. et ejus loco habet* Tunc : *ostenderat jam Bueus num.* 33 *Commentarii in suo textu errorem cubare. Num.* 10 *l.* 20, australi in abside, *Adm.* australi parte. *Num.* 11, *l.* 21 mirabilia *omittit Adm. Atque hic habes præcipuas discrepantias codicis Admontensis a textu Pezii et Buei; unde pateat, quum quæ omisi nullius fere sint momenti, Erchinfridum vix aliud egisse quam ut quædam nitidius efferret, nec aliam ab eo admissam interpolationem, quam quod tempus translati Mellicum* S. Colmani *corporis signarit; adeoque hoc errarit loco. Sequuntur deinde apud Pertzium miracula* S. Colmani, *sed non diversa a textu Pezii seu Buei.*

Multa egregia de S. Colmani cultu contulit Deppisch.

2 *Licet jam ab anno* 1743 *edita fuisset lucubratio Godefridi Deppisch de* S. Colmano *aliisque memorabilibus Mellicensibus* (3), *hæc tamen in Buei manus non venerat. Est autem copiosa valde, utpote e* 261 *paginis in-folio constans, et ditissimis ornata figuris, æri incisis. Verum quod ad rem historicam pertinet, nil hinc discere licet; quin etiam plura ibidem habes quæ falsa esse ostendit Bueus; de cultu contra permulta ibidem inveniuntur, quæ frustra alibi quæsieris. Hæc autem dividuntur in sex partes : quarum prima est de locis,* S. Colmani *memoriæ sacris; secunda de ejus reliquiis; tertia de primariis ejus cultoribus; quarta de ejus sodalitiis seu confraternitatibus; quinta de recentioribus ejus miraculis; et sexta demum de indulgentiis. Atque ex his præcipua, quæ apud Bueum desiderantur, vel ab eodem non satis explicantur, delibabimus, ordine tamen nonnihil mutato.*

Cultus S. Colmani Stockeraviæ,

3 *Stockeraviæ, in quo loco* S. Colmanus *martyrium et primam sepulturam accepit, exstabat olim* S. Colmani *sacellum, quod anno* 1414 *parochus Stockeraviensis nomine Hauch fundatione aliqua auxit; atque hæc cum sacello anno* 1643 *ad FF. Minores translata est; in quorum templo, anno* 1652 *exstructo, altare præcipuum* S. Colmani *nomen habet et exsurgere dicitur juxta ipsum locum martyrii; ibidemque pientissime colitur pars ipsius restis fruticeæ, ex qua pependisse volunt sanctum Martyrem, et non parva ejus maxillæ particula, aliquandiu post annum* 1708 *accepta. Aucta est populi in* S. Colmanum *pietas, quum anno* 1679, *centum triginta quinque incolis peste sublatis, legitime in patrono electus est. Instrumentum edidit Deppisch.*

(1) Monum. German. tom. IV, p. 674 et seqq.
(2) Apud Pertz, vol. et pag. supra cit.
(3) Geschichte und Wunder Wercke des H. Colomanni königlichen Pilgers und Martyres, auch so wohl des gesammten Nieder-Oesterreich, als besonders des freyen und exempten klosters Molck, ord. S. Benedicti Schutz Patrons, aus denen bewahrtesten Urkunden und Geschichten Schreibern [illegible] verfasset, [illegible] einem Anhang, worinnen das Leben des [illegible], und die Historie von dem Heiligen Marck [illegible] Creutze [illegible] durch P. Godefridum Deppisch, desselben Stiffts Professen. Wienn. 1743.

A *Mellici,* 4 *Secunda statio nostra sit Mellici, quo* S. Colmani *corpus delatum fuisse satis explicitum fuit in Commentario et subjectis scriptis. In tribus autem loculis, quorum figuras habes apud Deppisch, ibidem conditum fuit. Primus nil aliud est quam simplex cista lapidea duobus lapideis fulcris sustentata. Secundus ornatior est et exstructus est impensis Rudolphi IV, qui ab anno* 1358 *ad* 1365 *Austriæ ducatum obtinuit. Hic satis non habens gemmis et lapillis celebrem Mellicensem crucem* ob Dei reverentiam et ob specialem amorem sanctissimi Martyris Colmanni *exornare, novum tumulum poni jussit, ut hæc inscriptio docebat :* Rodulphus IV Dei gratia archidux Austriæ et Carinthiæ, dominus Carniolæ, Marchiæ Portnaonis, Comes Habspurg, Veretis, Chyburg et Athasis, Marchio Burgundiæ et Langravius Alsatiæ me fecit in honorem S. Colomanni. *Constabat autem id sepulcrum ex tribus partibus, quarum infima tumba erat, aliquot figuris supplicantium ornata ; media statuam* S. Colmani *jacentis et coronam, sceptrum tunicamque* B *regiam gestantis continebat ; suprema tandem minores statuas SS. Mariæ Magdalenæ, Hippolyti, Laurentii, Udalrici, Stephani, Mauritii, Pauli, Catharinæ, B. Mariæ Virginis, Barbaræ, Petri, Hieronymi, Ambrosii, Gregorii, Augustini, Benedicti et Joannis Baptistæ, columnis appositas ; demum ex quo latere* S. Colmani *statuæ caput porrigitur, altare valde exiguum erat, utpote appendix ipsius tumbæ. Consilium fuit imperatori Maximiliano anno* 1517 *id monumentum restaurare ; verum anno sequenti morte præventus est. Stetit itaque id mausolæum usque ad tempora Bertholdi Dietmayr, qui, quum ineunte sæculo* XVIII *Mellicensis abbas esset, vetus templum demolitus est et novum multo splendore ab anno* 1719 *fabricare cœpit ; in quo pulcherrimum stylo italico altare exstructum est, tumba nova super eo posita cum inscriptione :* Sepulchrum sancti Colmanni Martyris. *Extra tumbam præterea servatur maxilla beati viri, ex qua multæ aliis ecclesiis communicatæ particulæ. Quum* S. Colmanus *cum SS. Petro et Paulo Millicensis patronus sit, pridie distributis copiosis eleemosynis pauperibus et* C *peregrinis, maxima celebratur solemnitate ejus festum die* 13 *Octobris et per octavam ; verum, ut tunc accolæ plerumque vindemia occupantur, ad Pentecosten habetur altera celebritas, ad quam supplicantium ritu parochi Mellicensis, S. Leonardi ad Forst, Schonbunchlensis, Loosdorffensis, Emmerstorffensis, utriusque Bechlarnæ, Maurensis, Eberstorffensis, Hiermensis, Zelchingensis, Geroldingensis, Hainoldsteinensis, Haindorffensis et S. Margaritæ cum suis veniunt plebibus ; atque tunc quoque fiunt nundinæ.*

in Weickendorff, Kadendorff, Laab et Aggstain, 5 *Quum die* 13 *Octobris anni* 1113 *marchio Leopoldus, consentiente Udalrico episcopo Pataviensi, Mellicensibus dedisset parochias Weickendorff et Kadendorff, factus est hic quoque* S. Colmanus *patronus et concessa cultoribus indulgentia plenaria. In Loup seu (ut nunc vulgo) Laab jam ab anno* 1158 *exstabat capella* S. Colmani ; *qua anno* 1529 *a Turcis eversa, novum templum cum sancti Martyris vocabulo anno* 1680 *ædificatum est, ubi ejus festum ut in choro sic in foro solemniter celebratur. In castro Aggstain forte ab anno* 1113 *et certe a sæculo* XV *altare præcipuum S. Georgium et* D Colmanum *patronos habet ; et quidem in hujus festo Missa est pro accolis de præcepto. Ibidem cernitur imago* S. Colmani *sæculo* XV *picta et satis singularis, ut eam inciso ære referendam æstimarit Deppisch ; nempe cum omni peregrini ornatu et suppellectili exhibetur, dextra præterea gerens restim, qua suspensus est. Ad pedes seu in manu hic nullæ appinguntur rapæ ; licet hæc passim in aliis imaginibus appareant ; quia nempe ob evulsas ex agro rapas sanctum Martyrem occisum persuasum habet plebecula, sed hanc manifestam fabulam habet Deppisch, quoniam, Aloldo teste, enectus fuit beatissimus vir die* 17 *Julii, quo tempore nullæ in illis partibus rapæ. Ast Aloldi testimonium in dubium vocari posse ostendit Bueus num.* 27.

Vindobonæ et in Harras, 6 *Medio sæculo* XIV, *quum pestis Vindobonæ sæviret,* S. Colmani *cultus hic jam innotuerat ; etenim cœmeterium, pestiferis destinatum, nomen* S. Colmani *habebat, adjacens turri Carinthiorum et ecclesiæ* S. Colmani *et alteri S. Antonii ; quæ ambo penes Antonianos religiosos erant. Pertingebat* E *forte hæc Vindobonensium veneratio ad sæculum* XIII. *Anno enim* 1245 *Fridericus Bellicosus, archidux Austriæ, efflagitavit ab Innocentio IV papa bullam, qua abbatibus Cisterciensibus S. Crucis, Zwettlensi et Raynensi in mandatis dedit ut dispicerent an boni consultum foret* S. Colmani *corpus alio transferre, nempe (quantum conjectura assequi licet) Vindobonam, ubi cogitabat Fridericus episcopalem sedem excitare ; verum anno* 1246 *Friderici morte hæc consilia intercepta sunt. Ut autem hæc res non obstitit cultui* S. Colmani *apud Vindobonenses, ita hic ipse non destitit, quum anno* 1529 *ecclesiæ et domus Antonianorum in media obsidione flammis perierunt. Postea scilicet per totam Vindobonensem diœcesim* S. Colmani *festum celebrandum indictum est sub ritu duplici majori ; itemque in acquirendis reliquiis cura multa posita. Et quidem quum ex familia cæsarea complures suæ in* S. Colmanum *pietatis indicia sæpius dederint, nil mirum si in thesauro augustæ hujus domus reliquiæ insignes scapulæ illius religiose coluntur ; quas acceptas autumo medio sæculo* XIV *a Rudolpho IV. Brachium argenteum, gemmis ornatum, donumque ar-* F *chiducissæ Elisabethæ, dein reginæ Galliæ, et reliquias continens, ut ex inscriptione patet,* de brachio S. Colomanni Mart., *colitur in metropolitano S. Stephani templo ab anno* 1590. *Ad idem templum pertinent, quæ ex veteri libro excitantur :* Wyennæ ad S. Stephanum in latere januæ versus curiam præpositi Wyennensis inclusus est unus lapis marmoreus albus, in quo litteris æreis scriptura sequens insculpta est : Hic est lapis, super quem effusus est sanguis ex serratione tibiarum sancti Cholomanni Martyris, quem huc collocavit illustris dominus Rudolphus quartus dux Austriæ. *Claudebat hic lapis alia sacra pignora eique inscriptum erat a patriarcha quodam et undecim episcopis concessas a singulis quadraginta dies indulgentiæ iis omnibus qui se ei pie applicuissent. Demum apud Capuccinos Vindobonenses servabatur pars restis, qua* S. Colmanus *trucidatus fuerat, ut indicabat capsæ inscriptio :* S. Colomanni regis Mart. restis suspen. *Data hæc fuerat anno* 1592 *ab abbate Mellicensi Gaspare Hoffmann archiduci Matthiæ, per cujus manus tandem ad Capuccinos*

puccinos devenerat. Ad Austriam inferiorem quoque pertinet parochia Harras, cujus altare præcipuum anno 1668, *quum jam pridem SS. Pancratius et* Colmanus *patroni secundarii essent, sub eorumdem patrocinio dedicavit Leopoldus v. Kolonitsch, cardinalis et archiepiscopus Strigoniensis.*

in Eysgarn, in Aichabrun, in S. Veit in der Au, in Steyer.

7 *Non procul a præpositura Eysgarn ad fines Bohemiæ ante hominum memoriam indicatur saxum, in quo* S. Colmanum *quievisse volunt. Cernebatur ibidem olim picta tantum tabula sancti Martyris, coram qua infirmi Dei opem invocare solebant. Ejus loco sacellum cum statua lapidea hic erigi jussit præpositus Franciscus Antonius Van Pallingen anno* 1713; *neque hoc contentus, in ipsa præposituræ suæ ecclesia altare* S. Colmani *exstruxit. Pridie festi, quod celebrabatur in choro et in foro, erant nundinæ et fiebat ad utrumque locum supplicatio, et colebatur* S. Colmani *lipsanon, quod inter annum* 1665 *et* 1697 *cardinalis Kolonitsch, Strigoniensis archiepiscopus, dono dederat. In Ebenthall, non procul ab Weickendorff, similiter patronus est* S. Colmanus; *festum agitur in choro solum propter vindemiam; sancti Martyris auxilium maxime ibidem imploratur contra podagram, grandinem et nimbos. Parochiale templum in Aichabrun, non procul ab oppido Laa, patronum habet* S. Colmanum *ab exeunte saltem sæculo* XV. *Anno* 1500 *aliquot cardinales binas centum dierum indulgentias concesserunt. Multus ibidem apud infirmos usus aquæ ex fonte* S. Colmani; *colitur et lipsanon ex corpore* S. Colmani, *sæculo* XVIII *ab abbate Mellicensi Adriano Pliemel datum. In antiquissimo S. Viti templo* (St Veit in der Au) *cernitur in summo altare ad S. Viti dextram statua* S. Colmani, *ad sinistram S. Mariæ Magdalenæ; qui omnes patroni: unde in uniuscujusque festo supplicatio huc procedit ex Seitenstettensi abbatia. Austri* (Steyer) *in Austria superiori viget* S. Colmani *cultus fors, ab anno* 1082 *seu ante ipsum oppidum conditum. Certe anno* 1287 *exstabat hic sacellum sub SS. Ægidii et* Colmani *patrocinio, ut indulgentiariæ litteræ, a Michaele Antibarensi archiepiscopo et quatuor aliis episcopis datæ, his verbis patefaciunt:* Omnibus vere pœnitentibus et confessis et qui ad capellam SS. Ægidii et Colmanni in Styria Pataviensis diœcesis... singulis singulas quadragenas misericorditer in Domino relaxamus. *Id sacellum post mutatum in magnum templum, eosdem tamen servans patronos; ad quorum festa per duas hebdomadas nundinæ celebrantur.*

prope Mansee.

8 *In media silva duabus leucis a Lunæ-Lacus vulgo Mansee seu Mondsee exstabat sæculo præterito et forte etiamnum exstat ligneum* S. Colmani *sacellum; cujus origo hæc videtur esse. Erat ibidem olim fons, indito* S. Colmani *nomine et apposita cruce insignis, juxta domum rusticam; in quam, quum derelicta esset, intulerunt pii aliquot viri Christi crucifixi, B. M. V. et* S. Colmani *imagines, quas ordine in mensa collocarunt. Crevit paulatim pietas; institutæ supplicationes; appensa anathemata. Hæc vero omnia ab accolis anno* 1511 *sponte instaurata. Quæ quum innotuissent Wolffgango Haberl, abbati Manseensi, litteras de iis dedit eodem anno ad Guilielmum, episcopum Pataviensem, postulans ut Commissarius episcopalis designaretur, qui an nulla irrepsisset superstitio examinaret. Porro, quum nulla falsa religio detecta fuisset, continuavit populus pie huc venire, adeoque anno* 1658 *Simon Rebiser, Manseensis abbas, novum ibidem* S. Colmani *sacellum* (*ex ligno tamen*) *ædificavit, et licentiam obtinuit Missæ sacrificii illic deinceps celebrandi. Ab hoc tempore procedit huc ex Manseensi abbatia supplicantium ordo feria* VI *infra octavam Pentecostes et die* 13 *Octobris; multa tum ibidem celebritas. Omni vero anni tempore veniunt huc peregrini, præcipue pro pluvia aut serenitate; infirmi autem, maxime qui oculis ægrotant aut pedibus, aquam ex fonte* S. Colmani *devote adhibent. Restauratum fuit id sancti Martyris sacellum anno* 1744 (1).

Salisburgi, in Dauggel, in Lebenau, in Waging.

9 *In diœcesi Salisburgensi honor quoque collatus* S. Colmano. *Inter annum* 1452 *et* 1461 *Sigismundus Volckenstorff, archiepiscopus, consecravit ipsemet in suo cathedrali templo altare SS. Sigismundi et* Colmani; *adeoque pro sua voluntate in* S. Colmani *sacello sepultus est. Verum anno* 1598 *id sacellum cum reliquis igne deletum, nec restitutum postea. Fundatio tamen cum annexo onere tres singulis hebdomadibus celebrandi Missas permansit. In Dauggel seu Pernegg, ejusdem diœcesis loco, exstitit a sæculo forte* XIV *sacellum* S. Colmani, *et ab anno* 1735 *ecclesia, pluribus ornata anathematibus. Multus huc concurrit populus, maxime in festo dedicationis, die Dominica post Assumptionem B. M. V. Fluit hic quoque* S. Colmani *fons; cujus aqua infirmis salutaris. Similem fontem habes sub altari ecclesiæ SS.* Colmani *et Dionysii in Lebenau ejusdem diœcesis; dies* 13 *Octobris hic maxime celebris. Parochia demum Waging ecclesiam* S. Colmani *annexam habet, in qua antiquissimum* S. Colmani *altare et statua est; sæpius huc per annum ex parochiali templo instituitur supplicatio.*

in Hochen-Schwangau, in Mainburg, in Wifling, in Donnhausen et alibi.

10 *In Bavaria* S. Colmani *cultum vigere ex his, quæ Bucus num.* 48 *recitat, manifestum est. Quibus adde ecclesiam* S. Colmani *exstare non procul ab Hochen-Schwangau, omni anni tempore a peregrinis Tyrolensibus et Suevis frequentatam maxime pro salute pecorum; alteram, leuca a Mainburg distantem, olim ligneam et misero tantum altariolo, statua* S. Colmani *informique ejusdem capite ornatam; ab anno vero* 1674, *crebrescentibus miraculis et piorum donis, constructam ex lapidibus; tertiam prope Wifling; cujus hæc origo. Jam pridem erat ibidem in monte, ad cujus pedes scaturiebat* S. Colmani *fons, ædicula ejusdem nomini sacra. Exeunte sæculo* XVII *mutavit in eremitorium miles emeritus. Postea Martinus Wachinger, in* S. Colmanum *pientissimus, ex collecta in Ærdingensi pago pecunia, a fundamentis novam exstruxit ædiculam, altari, pulchra* S. Colmani *statua et reliquiis insignem; ad quam concursus populi multus et sæpius intra annum instituta supplicatio. Atque his tandem quarta subjiciatur ædicula in Donnhausen, tribus leucæ quadrantibus distans a Freisinga. Neque his exhauritur catalogus locorum et ædium, quibus* S. Colmanus *patronus primarius est. Testis est enim laudatus Deppisch, a quo hæc mutuati sumus, multa alia superesse in Bavaria, in Palatinatu superiori, in*

(1) Pidwein, Legenden Heiliger Gottes in Österreich, Ungarn, etc., p. 229.

Suevia.

A *Suevia, in Tyroli et alibi; cæterum, ut jam dictum, die* 13 *Octobris celebratur* S. Colmani *festum ritu duplici secundæ classis in diœcesi Vindobonensi, semiduplici in Pataviensi, simplici in Salisburgensi. Dum vero illa omnia recenseremus, curavimus simul indicare Reliquias. Aliquot aliæ restant; sed modus nobis adhibendus est. Nolim tamen omittere dissentire Deppischium a Bueo, tradente num.* 56 S. Colmani *caput in Alba regali remansisse, cum beati viri corpus ex Hungaria Mellicum reportatum est. Complura, in contrarium argumenta urget Deppisch, maxime quod maxilla Mellici reliquiariæ pyxidi inserta cernitur, dein quod, qui sancti Martyris tumulum inspexerat abbas, aperte testabatur Hungaros in errore esse.*

Duplex S. Colmani sodalitium.

11 *Quæ de optimatum in* S. Colmanum *pietate perhibet Deppisch, pleraque habes apud Bueum num.* 53 *et sequentibus; ast apud hunc nulla mentio de* D *sodalitio* S. Colmani *anno* 1695 *instituto; cujus præcipuus finis bona mors et mortuorum sodalium in purgatorio refrigerium. Quinquaginta et unum viros, maxime sacerdotes, capiebat hæc societas. Alteram instituit seu potius priorem renovavit et latius extendit Valentinus Larson, prior Mellicensis, anno* 1708*; qui et pientissimas leges condidit: eas libro suo inseruit Deppisch. Auxit et hic suam scriptionem non iis tantum miraculis et beneficiis, quæ in Opere nostro habes, sed et aliis multis quæ seculo* XVII *et sequenti patrata, et* S. Colmani *auxilio adscripta fuere. Hæc brevitatis ergo omittenda ducimus; eademque de causa præterimus indulgentiarum catalogum, quas sæculo* XIII *et deinceps Romani Pontifices, Cardinales et episcopi pluribus locis, in quibus* S. Colmanus *patronus habetur, ad ejus fovendum cultum contulerunt; quum præcipuas in suo Commentario recenseat Bueus.*

NOTA 21 ad pag. 305, littera F. E

B

DE S. CHELIDONIA VIRGINE

SUBLACI IN ITALIA.

S. Chelidoniæ cultus.

S*cripsit Bueus num.* 15 *Commentarii die* 21 *Octobris anni* 1695 *probatam fuisse a S. R. C.* S. Chelidoniæ *in patronam electionem; verum in officiis propriis Sanctorum, quæ in oppidis et castris abbatiæ Sublacensis recitantur, et anno* 1709 *novis typis excusa fuerunt, legitur decretum diei* 21 *Novembris anni* 1665, *quo hæc electio approbatur, et dein alterum diei* 3 *Martii* 1674, *quo quidem novæ approbantur lectiones, sed quod simul nitatur priori; incipit enim:* Quoniam decreto sacræ Rituum Congregationis, superius posito, declaratum fuit constare de valida electione S. Chelidoniæ in patronam et protectricem terræ Sublaci, *etc. Indubium itaque est in Commentario mendum cubare. Oratio et lectiones illæ nil singulare habent, utpote excerptæ ex Vita R. D. abbas Testa submisit nobis ecgraphum Vitæ et Translationis* S. Chelidoniæ, *auctore Vilhelmo Narniensi; verum, quum id ecgraphum desumptum sit ex eodem codice ex quo textus excusus a Bueo, ad nil aliud id nobis valuit, quam ad paucissima emendanda loca.*

C F

NOTA 22 ad pag. 383, littera F.

DE S. MAURITIO ABBATE

CARNOETENSI

IN BRITANNIA MINORI.

Cultus et reliquiæ S. Mauritii.

A*d Syllogen Dyckii de* S. Mauritio *abbate operæ pretium fuerit illa addere quæ de ejus reliquiis adhuc extantibus anno* 1836 *scripsit R. D. Tresvaux in vitis Sanctorum Britanniæ minoris* (1): Pars ecclesiæ abbatiæ S. Mauritii Carnoetensis etiamnum subsistit, possidetque portionem non exiguam reliquiarum ejusdem Sancti, quæ biennio post mortem ejus e terra elevatæ fuerunt. Inclusæ sunt capsæ ligneæ bipartitæ: in cujus inferiori parte duæ tibiæ pulvino serico damasceno rubro cooperto impositæ sunt; in parte vero superiori calvaria simili pulvino imposita cernitur. Ipsam capsam sustinet mensa ex marmore albo fabricata... Parochia Ludeacensis pulcrum habet oratorium memoriæ

(1) Vies des Saints de Bretagne, tom II, p. 423.

S.

A S. Mauritii sacrum, situm in ipso vico illius natali, quod hodie nomen ipsius Sancti gerit. Servantur ibi aliquot Sancti reliquiæ in brachio ligneo argentato necnon in capsula in templi formam constructa. Videtur is locus olim piis peregrinationibus fuisse frequentatus : nam haud multo abhinc tempore inibi adhuc servabatur apographum litterarum Apostolicarum, quibus Sixtus Papa IV indulgentias largitus fuerat fidelibus religionis causa eo accedentibus. *Notat idem scriptor* (1) S. Mauritium *in ecclesia parochiali Ludeacensi ab immemoriali tempore coli ut patronum secundarium, et statuam ejus ex marmore albo sculptam ibidem cerni; præterea Officium ejus die* v *Octobris recitari in tota diœcesi Briocensi ab anno* 1783, *atque in Corisopitensi ab anno* 1835. D

(1) Vies des Saints de Bretagne, tom. II, p. 424

ADDENDA AD DIEM XIV OCTOBRIS.

B NOTA 23 ad pag. 393. E

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES RELATI.

STydyr Confessor *et patronus parochiæ Darowen in Montis Gomerici comitatu in Wallia annuntiatur ad diem* XIV *Octobris in supplemento Martyrologii Anglicani* (1). *Verum Carlisle* (2), *qui plura de hoc festo habet, id reponit ad diem, quo et nos de hoc sancto Confessore agemus scilicet,* XXV Octobris.

His subjicio commentatiunculam aliquam de tribus Cameracensibus episcopis, quorum locus medius sit inter Prætermissos et Sanctos de quibus agendum.

(1) Joannes Wilsonus, Martyrol. Angl.

(2) Memorial of ancient British Piety, suppl., p. 26

DE THEODORICO, JOANNE & ROTARDO

EPISCOPIS CONFESSORIBUS

C CAMERACI IN GALLIA. F

Theodoricus et Joannes inter Sanctos habiti ; nequaquam Rotardus. Improbanda fraude dantur duorum episcoporum corpora Magdeburgensibus loco duorum Sanctorum.

SÆCULO IX

Referuntur hi tres Cameracenses episcopi inter Sanctos, et quidem recte Joannes Bellus,

Sæculo IX *floruerunt in sede Cameracensi, cum Atrebatensi unita, tres sanctissimi episcopi* Theodoricus, Joannes *et* Rotardus, *qui et* Rothadus *seu* Rotradus. *Duos priores prætermiserunt Decessores nostri ad diem* v *Augusti ; verumtamen cultum aliquem olim habuere, ut de* Theodorico *inferius patebit ; et quod ad* Joannem *attinet, ejus corpus a Gerardo, decimo tertio successore, condigna veneratione de sepulcro levatum est et ex ecclesia S. Crucis in monasterium B. Mariæ translatum ibique sepultum ; atque ad hoc novum sepulcrum miracula aliquot facta esse testis est Baldericus* (1), *duo speciatim recensens ; quin etiam passim eum* Sanctum, virum Dei, sanctæ memoriæ *et similibus appellationibus nuncupat. Neque hæc singularis hujus scriptoris mos ; sed similiter in Commentario de recognitis anno* 1078 *S. Amati reliquiis mentio fit* sigilli BEATI Joannis episcopi agnomine Belli (2). B. Joanni *itaque aliquod publici cultus initium collatum fuisse non videtur ullo modo incertum. De* Rothado *autem seu* Rotardo *non æque asseveranter loquar. Re quidem vera Carpentarius* (3), *Castellanus* (4), *Gallia Christiana* (5), *aliique nil dubitantes asserunt* Rotardi *corpus Magdeburgum translatum fuisse ; quin etiam addit*

(1) Baldericus, Chronic. Cameracense et Atrebatense, lib. I, cap. LX et seqq., p. 86 et seqq., edit. Le Glay.

(2) Cfr Act. SS., tom. IV Sept., p. 131.

(3) Hist. de Cambray et du Cambrésis, tom. I, p. 556.

(4) Martyrologe univers. ad 14 Oct., p. 521.

(5) Tom. III, col. 14

Car-

A *Carpentarius* Rotardum *ibidem ut patronum coli. Verum id patrocinium certo falsum est ; et translatio valde dubia seu potius mera conjectura nixa.*

minus recte Rotardus ; *cujus corpus an Magdeburgum translatum fuerit,*

2 *Ecce enim quid rei sit. Quum imperator Otto, cui cognomen Magnus, ecclesiam Magdeburgensem fundasset, magnam curam posuit in conquirendis undique Sanctorum reliquiis. Convenit itaque etiam Fulbertum, Cameracensem episcopum, a quo SS. Autberti et Gaugerici corpora postulavit. Porro episcopus, ut jam S. Autberti biographi verba usurpem,* inter amorem regis et timorem divinæ offensionis anxius, paucos, quos secretioris consilii adjutores elegerat, sibi adhibuit, et cæteris ignorantibus, duorum corpora sacerdotum Theodorici videlicet venerabilis urbis ipsius episcopi, et alterius cujus nomen non occurrit, detectis sepulcris accepit ; quæ regi donanda æstimavit, cum quibus et aliquos articulos de corpore B. Autberti pretiosas reliquias ei concessit, provida consilii ratione, ne et civitas Cameracensis suis patronis viduaretur, neve episcopus mendacii B culpam in se transfudisse videretur. Lætus igitur imperator rebus ad votum succedentibus, gloriosas reliquias suscepit, *etc. Hæc Fulbertus Carnotensis, ineunte sæculo* XI *florens* (1). *Habuit hæc præ oculis Baldericus Cameracensis, dimidio sæculo posterior ; atque ipse aperte profitetur alterius sacerdotis, SS. Autberto et Gaugerico substituti,* nomen excidisse (2). *Neque alibi uspiam ab antiquis scriptoribus id nomen proditur. Et quidem Molanus, cujus auctoritate nunc passim* (3) *traditur* Rotardus *sub hoc ignoto nomine latere, ad marginem scripsit hæc tantum verba* (4) : Quidam Rotardum dicunt ; *quam formulam dubii animi esse nemo ignorat.*

D 3 *Quum itaque Otho imperator has exuvias acceperit medio sæculo* X, *quum quinquaginta annis post Fulberto Carnotensi alterius sacerdotis nomen non occurreret et quum aliquot annis serius testatus sit Baldericus id excidisse, quid jam post tot sæcula id indagare velimus ? Neque dicas melius forte doctos fuisse Magdeburgenses : nam Fulbertus aperte profitetur Magdeburgenses adhuc suo ævo credidisse penes se corpora SS. Autberti et Gaugerici fuisse :* Illis, *inquit,* aliud opinio *(scilicet fama publica)* favebat, nobis aliud servabat veritas. *Eosque in eadem æstimatione perseverasse usque ad protestantismi ævum argumento sit Breviarium Magdeburgense, jussu Ernesti archiepiscopi editum ; in quo festa SS. Gaugerici et Autberti habes, nihil vero de* S. Theodorico, *multa minus de* Rotardo. *Quæ quum ita sint non sane ausim* Rotardum, *qui ne singulariter quidem laudatur a Balderico, Sanctis accensere ;* Theodoricum *vero inter Prætermissos ad diem* V *Augusti repositum fuisse doleo, quum passim ex Balderico pateat eum hujus ævo Sanctorum albo illatum fuisse, siquidem eum passim* Beatum, Sanctum, Virum Dei, *etc., appellet ; adeoque, ubi de ejus ad Magdeburgensem ecclesiam translatione agit, non vereatur scribere* (5) : Hoc autem absque Dei pia dispositione contigisse non dicam, cum etiam Beatus vir Dominus Theodoricus hanc remunerationem a Domino et venerationem a populo mereretur. *Quæ omnia ut demum concludantur, in supplemento ad diem* V *Augusti posset aliquando dici de* BB. Theodorico *et* Joanne Bello *episcopis Cameracensibus ; de* Rotardo *vero neque ad hanc, neque ad aliam quamcumque diem disserendum.* E

nescitur ; satis vero recte Theodoricus.

(1) Act. SS. Belgii, tom. III, p. 563

(2) Chronicum Camerac., lib. I, cap. LXXVII, edit. Le Glay, p. 122 et seq. et apud Pertz, Monument. German. tom. VII p. 430.

(3) Le Glay, Chronic., p. 459. Bethmann, apud Pertz, l. c.

(4) Natales SS. Belgii ad 5 Aug., p. 168.

(5) Chronicum, lib. I, cap. LXXVII, et apud Pertz, t. VII p. 430.

DE S. PARASCEVE VIRGINE

C F

EPIVATIS IN THRACIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sanctæ ab aliis Parascevis distinctio ; memoria in Fastis sacris ; cultus ecclesiasticus ; biographi.

SÆCULO XI

S. Parasceve hæc, quam ab homonymis

P*luries in Fastis Sacris nomen* Parasceve, Venera *et* Veneranda *occurrit. Die* XXVI *Februarii Menæa Græcorum excusa memorant S. Parasceven cum Photina sorore aliisque sociis martyrium passam. Die* XX *Martii eadem in Synaxario Ms. Sirmondi et Menologio Sirleti, hincque in Martyrologio Romano una cum sociis laudatur. Die* XXVI *Junii ab Octavio Cajetano refertur S. Venera Virgo Martyr apud Castrum Regale in Sicilia. Die* XXIV *Julii S. Parasceve Virgo et Martyr in Kalendario Græcorum a Genebrardo vulgato. Die* XXVI *Julii S. Hosiomartyris Parasceves memoria agitur in Menæis aliisque Fastis Græcis ; dum eadem die utrique Catalogo Ferrarii et Kalendariis Capuanis secundo, tertio, quarto et quinto apud Michaelem Monachum inscribitur S. Venera Virgo et Martyr Aletina cum S. Herine passa sub Licinio. Die* XXVIII *Julii S. Venera Virgo et Martyr Locrensis notatur a Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ ex lectionibus ecclesiæ Hieracensis. Die* XIII *Octobris depicta est S. Parasceve Virgo in tabulis Moscorum Papebrochianis ; verum in aliis Fastis Ruthenis notatur die proxime sequenti : quo etiam die sancta Martyr Parasceve, quam Græci die* XXVI *Julii colunt, decollata esse dicitur in Actis a Lambecio inter codices manuscriptos Bibliothecæ*

A *thecæ Vindobonensis recensitis* (1). *Die* XXVIII *Octobris venerantur Rutheni S. Parasceven Virginem et Martyrem, quam Iconii passam sub Diocletiano ferunt. Die* XIV *Novembris Martyrologio Romano aliisque Fastis inserta est S. Veneranda Virgo et Martyr in Gallia. Præterea collocavit Castellanus inter Aemeros S. Veneram, in antiquis Litanus Senonensibus invocatam; ac Papebrochius* (2) *Culciniusque* (3) *dilaudant S. Praxedem sive Parascevem, Polocensium ducis filiam, Romæ* XII *Novembris* 1239 *defunctam, atque a B. Gregorio X anno* 1273 *Sanctorum Catalogo adscriptam.*

distinguere facile est,

2 *In tanto annuntiationum numero aliquas esse quæ ad unam eamdemque Sanctam Virginem et Martyrem spectent, pronum est existimare. Rei examen Decessores nostri primum a die* XXVI *Junii ad* XXVI *Julii, deinde ab hoc die ad* XXVIII *ejusdem mensis, atque hinc demum ad* XIV *Novembris, quo S. Veneranda inscribitur Martyrologio Romano, remiserunt. At per se patet excipiendas ab hoc examine esse tum Parasceven S. Photinæ Samaritanæ* B *(ut fertur) germanam, de qua apud nos actum* XX *Martii, tum eas Parascevas quæ Martyres non fuerunt, scilicet illam quam ultimo loco nominavimus ducis Polocensis filiam, et illam cujus mentio apud Ruthenos fit die* XIII *et* XIV *Octobris. Hanc ergo, utpote immerito a novissimis Decessoribus nostris totum* VI *Octobris scribentibus integri mensis intervallo dilatam, præsenti Commentario illustrare constituimus; sicut etiam de Polocensi Praxede seu Parasceve die obitus sui* XII *Novembris agere poterimus : ita ut in diem* XIV *Novembris solummodo reservetur quæstio num S. Veneranda, quæ eo die in Martyrologio Romano laudatur et Asculi in Piceno officio ritus duplicis colitur, una et eadem sit Virgo et Martyr quæ apud Græcos* XXVI *Julii Parasceve, apud Siculos vero, Aletinos, Hieracenses aliosque Italos Venera audit; ad quam quæstionem nobilis vir Dominicus Ventimiglia dissertatione singulari de hoc argumento edita* (4) *affirmanter respondet. De Iconiensi autem Martyre ad diem* XXVIII *Octobris, quo eam a Ruthenis commemorari diximus, dispici poterit utrum eo die danda sit, an* C *vero etiam ipsa ad* XIV *Novembris transmittenda.*

sacris Ruthenorum Fastis ad diem XIII

3 *Itaque Sanctam de qua hic agimus, in tabulis Papebrochianis tomo I Maii præviis videre est effigiatam juxta SS. Carpum et Papylam ad diem* XIII *Octobris cum epigraphe* ΠΑΡΑСКЕВІА, *quæ recte litteris latinis a Papebrochio transcribitur* PARASCEVIA; *at haud ita bene ab eodem additur* Virgo Martyr, *neque omnino accurata sunt quæ statim Papebrochius explicationis ergo scribit :* Hæc est illa quam Græci XXVI Julii colunt, quamque latino nomine VENERAM appellari superius dixi : addo hic respondere nomini utrique vulgare apud Russos nomen PIATANKA, id est, sexta post Dominicam, scilicet Feria; sic enim Rutheni Ferias hebdomadæ numerant ac nominant. *Nempe in his (nam cætera scriptoris dicta postmodum afferemus) insignis error est quod Martyr dicitur et cum Parasceve a Græcis* XXVI *Julii culta confunditur* Parasceve *hæc, quam martyrium haudquaquam passam fuisse Acta ipsius, ut videbimus, evidenter demonstrant; sed Papebrochio errandi ansam præbuerint illa epistolæ P. Adami Warelkowicz ad eum scriptæ, quam adhuc præ manibus habemus, verba :* Constantinopoli passam audivi a quodam Calugero Basiliano. *Deinde quod ad nomen* Piatanka *attinet, hoc ex eadem quoque epistola accepisse videtur Papebrochius, sed mutata una littera : siquidem* Piatonka *a Warelkowicio scribitur; verum utut sit de hac scriptione, certe Ruthenis communior est* Piatnica, *ut sacerdos aliquis Lithuanus Societatis Jesu anno* 1643 *ad Bollandum scribebat in litteris adhuc superstitibus, et ipsa lexica linguæ Russiacæ ostendunt, ubi ea vox* Feriam sextam *designat. Notandum autem est, dum defectu caracterum slavonicorum litteris latinis nomen hoc expressimus, more Polonorum id pronuntiandum esse, ut sit fere* Piatnitsa, *non* Piatnika.

4 *Inscribitur etiam* S. Parasceve, *sed ad diem* XIV *Octobris, uti jam monuimus, aliis Ruthenorum Fastis nobis obviis. Horum unum est Kalendarium a P. Gregorio David missionario Societatis Jesu Moscuæ residente anno* 1618 *in latinam linguam versum ex libro* Sobornik *sive Synaxario peculiari diœceseos Kijoviensis, quæ præter Sanctos a Græcis acceptos etiam Peczerienses seu Pieczarenses et proprii Ruthenorum continentur. In eo, facta prius SS. Gervasii, Protasii et Nazarii mentione, sic deinde secundum interpretationem latinam legitur :* Item V. M. N. Parasceviæ. *Hinc Decessores nostri in Prætermissis pag.* 400 *aiunt* Parasceven *in laudato Synaxario* Venerabilem *dumtaxat vocari, quod eo sensu ab iis intelligi videtur, quo* Venerabiles *dicere solemus Dei servos nondum* Beatorum *aut* Sanctorum *Catalogo adscriptos. Sed res aliter se habet : nempe vox* Venerabilis *ab interprete adhibetur pro Ruthenica voce masculina* Prepodobnyi *ac fœminina* Prepodobnoia, *quæ respondent græcis* Ὅσιος *et* Ὁσία, *atque, ut de his notavit Papebrochius ad diem* V *Januarii Græcorum metrici* (5), *fere de monachis et sanctimonialibus dicuntur; prout hoc ipso in Kalendario de Antonio Magno, Macario Ægyptio, Euthymio, Simeone Stylite, Saba aliisque Sanctis inter ascetas celeberrimis videre est.* F *Pro græca vero voce* Ἅγιος *aut* Ἁγία *Ruthenis est* Sviatyi *vel* Sviataia, *hancque dictus interpres latine per* Sanctus *vel* Sancta *reddidit.*

vel XIV *Octobris inserta,*

E

Officio proprio ab iis colitur,

5 *Aliud Kalendarium, cujus menses Julium, Augustum, Septembrem et Octobrem latinos fecit baro de Sparwenfeld, sic de Sancta nostra habet :* Item S. Matris nostræ Paraskeva, cujus reliquiæ apportatæ ex patria ejus in urbem Ternow anno 6701 sub imperatore Joh. Asieno; *sed titulo Beatissimæ eam haud afficit, quamvis id decessores nostri in Prætermissis ad* XIV *Octobris asserant, ex male intellecto signo NB, id est,* nota bene, *quod Sprewenfeldius suæ versioni hic apposuit. Invenitur quoque* S. Parasceve *in Horologio Slavonico sub anno* 1547 *Venetiis impresso, ex quo Vitam ejus post hunc Commentarium dabimus. Denique, ne plura afferamus, invenitur in Trypholologio seu Anthologio Ruthenice, Leopoli anno* 1643 *impresso* (6),

(1) Comment. de Bibl. Caes. lib. VIII, col. 767 et seqq., edit. K[illegible]

(2) Tom. I. Maii, Ephemer. Græco-Mosc., p. XXIX.

(3) Specim. Eccl. Ruthen. part. I, p. 36 apud Assemann, Kalend. Eccl. univ. tom. V, p. 289.

(4) Di S. Venera o Veneranda Verg. e Mart. delle Gallie e [illegible] S. Parasceve. Napoli 1831.

(5) Tom. I Maii, Ephemer. Græco-Mosc., p. VII.

(6) Cfr Assemani, Kalend. Eccl. univ., tom. I, p. [illegible]

quo

A *quo plurimum usus fuit Culcinius, vir ipse Ruthenus et apprime catholicus ex ordine S. Basilii Magni, qui ne dubitasse quidem videtur quin S. Parasceve legitimum cultum etiam apud Catholicos obtineret. Neque hac de re a Culcinio dissensisse credendus est ille quem jam supra* (*num.* 3) *citavimus Lithuanus e Societate Jesu sacerdos; siquidem circa Sanctos a Ruthenis cultos hæc inter cætera Bollandum monuit :* Celebrant et Rutheni festum magni ducis totius Russiæ Wladimirii Confessoris; celebrant et festum filiorum ejus Borisi et Hlebi; item Parascevæ Virginis, quam vocant Rutheni Piatnica, ut hispanice scribam, Piatniça. Schismatici plures Sanctos colunt, inter illos Michaelem principem Czernichoviensem. *Nimirum hisce verbis non obscure Sanctos a solis schismaticis cultos discernit ab iis quos et Catholici honorant, hisque* Parasceven *nostram annumerat. Verum pluribus deinceps patebit argumentis fuisse Sanctæ huic honores ecclesiasticos a catholicis tributos. Nunc Culcinium ipsum audiamus, qui Vitæ illius synopsim* B *ex libro jam indicato latinam fecit* (1).

ex quo Synaxarium afferimus.

6 Sancta nostra Mater Parascevia seu Praxedes, *inquit*, sanctimonialis Ternoviensis habet in meo Anthologio proprium Officium cum parvis et magnis Vesperis, cum Canone et Synaxario, quod est tale : « Hæc Sancta Parascevia nata est in Serbia, in oppido Epivatum nuncupato, quod est prope urbem Callicratiam. Quum vero ejus parentes ad Deum migrassent, ipsa angelicam vitam amplecti cupiens, relictis consanguineis, cognatis et amicis, omnibusque mundi pompis conculcatis, petiit eremum, in qua solitariam vitam ducens, in corpore agens incorporeos (quantum fas est homini) Angelos egregie imitabatur. Nam jejuniis vigiliisque corpusculum mortificabat, herbis tantummodo vires restaurabat, quum tamen hac esca valde modice, idque ad vesperam, adhibito potu aquæ, uteretur. Cibus enim ejus potusque erant lacrymæ assiduæque orationes. Quum vero rigidum gelu frigusque eam molestarent forti animo hanc ipsa molestiam sustentabat; et suspiciens in Deum, qui C solus potest infirmos corroborare, perseverantiam in arduo vitæ instituto ab eo humili corde implorabat. Sic illustribus ornata virtutibus, quum haberet animam ab illecebris mundanis mundissimam, fruebatur dulci cum Deo conversatione. Præscia interea sui obitus, relinquens eremum, petiit Constantinopolim, ubi visitatis sacris templis, redditisque Deo suis votis, regressa est in patriam Callicratiam; et paulo post infirmitate extrema correpta, tradidit beatam animam in manus Dei viventis, a quo consecuta est immarcessibilem coronam. Porro et sacra ejus lipsana Deus miraculis magnificavit : nam quicumque energumeni variisque morbis detenti ad ejus loculum accedebant, omnes liberationum curationumque gratias consequebantur. Hinc post longum temporis spatium translatum est solemniter sacrum thaumaturgæ monialis corpus Callicratia seu Epivato sua patria ad celebrem Bulgariæ urbem Ternoviam, ibidemque honorificentissime collocatum in regio templo anno mundi conditi 6701, a Nativitate vero Domini 1175. Jacet incorruptum sacrum pignus usque in hodiernum diem, multisque claret curationibus, quas recipiunt ii qui cum fide ac devotione ad loculum accedunt. Hujus Sanctæ precibus, Domine, miserere nobis. Amen. » Hactenus meum Synaxarium, ex quo colligo hanc nostram Parasceviam vocari a Ruthenis, Bulgaris, Valachis cæterisque Slavis rito græco utentibus Ternoviensem ab urbe Ternovia, ubi ejus corpus multo tempore miraculis claruit. Quum vero Bulgaria occupata fuisset a Turcis, tunc credimus factam corporis translationem ex urbe Ternovia in Valachiam, ibidemque collocatum in urbe Jassensi. *Hucusque Culcinius.* D

Vitam hic edemus ab Euthymio Ternobensi antistite compositam,

7 *Præter Synaxarium modo relatum suppetit nobis inter Mss. Decessorum nostrorum collectanea* Vita S. Parasceves virginis ex Horologio Slavonico sub anno 1547 Venetiis impresso in latinum translata sermonem per P. Fratrem Raphaelem Levacovich Croatam Ordinis Minorum de Observantia, cujus judicium atque examen super inde, necnon super auctore ejusdem Euthimio, suo tempore benevolus lector habebit. *Ita titulus quem suæ operæ ipse præfixit interpres, nomine tantum suo nobis notus : quod vero promittit judicium atque examen tam super ipsa Vita a se latine versa quam super ejus scriptore, si umquam id litteris consignarit, certe a nobis nullibi repertum fuit. Attamen quisnam Euthymius Vitæ illius scriptor fuerit, patet ex hoc altero titulo in ipso Vitæ capite posito :* Vita Venerabilis Matris nostræ Parascevæ, in quam etiam quomodo translata sit Ternovum continetur, conscripta per Euthimium Patriarcham Ternoviensem. *Unde Ternobensium præsulum catalogum, a Michaele Lequien* (2) *ac Jacobo Coleto* (3), *quoad utrique per exstantia documenta licuit, ordinatum, hoc Euthymii nomine, quod neutri eorum cognitum fuit, augere possumus. Et quandoquidem is Bulgarorum patriarcha Vitam hanc* S. Parasceves *conscripsit, dum sacræ hujus reliquiæ adhuc Ternobi quiescebant; ac Culcinius supra citatus non immerito æstimat reliquias illas,* E *quando Bulgaria a Turcis fuerat occupata, Jassium fuisse translatas; consequenter videtur concludendum Euthymium Ternobi sedisse intra illud temporis intervallum quod in catalogo tam Lequieni quam Coleti præsulibus vacuum est a Joachimo, qui sæculo* XIII *exeunte floruit, usque ad Ignatium, qui, ut loquitur Coletus,* Concilio Florentino interfuit anno 1439, et Latinæ ac Græcæ Ecclesiæ optatissimam conjunctionem suo assensu comprobavit. *Namque Bulgaria in Turcarum protestatem magna ex parte jam venerat ab anno saltem* 1393, *exinde tamen principibus Bulgarorum regiis Valachiam adhuc tenere pergentibus ad annum usque* 1462 (4) : *quorum quidem principum cura verisimile est corpus Sanctæ nostræ, ne in Turcarum manus incideret, Ternobo Jassium fuisse avectum.* F

qui antiquiore Basilii diaconi scriptione usus videtur.

8 *Vitæ ab Euthymio patriarcha scriptæ, quam ex latina Raphaelis Levacovich interpretatione, uti jam supra dictum est, hic edemus, præfixæ sunt voces :*

(1) Apud Assemani, op. cit. tom. V, p. 290 et 291.
(2) Oriens Christ., tom. I, col. 1233 et seqq.
(3) Illyrici sacri, tom. VII, p. 210 et seqq.
(4) Cfr Assemani, op. cit. tom. V, p. 100 et seqq.

A ces : Benedicite, Pater. *Hinc inferre licet eam solemni quodam ritu die festo* S. Parasceves *inter divina officia legi consuevisse ; quod et apud Græcos in præcipuis quibusdam solemnitatibus fieri mos est, prout exempli causa in Menæis videre est ad diem* VI *Decembris, ubi præter Synaxarium de S. Nicolao more solito legendum longior extat Sancti ejusdem Vita, cui* Εὐλόγησον, πάτερ *præmittitur. Quod si quæratur ex quo fonte Euthymius hauserit quæ de actionibus ac virtutibus* S. Parasceves *litteris mandavit, hunc equidem fontem non alium esse arbitror quam græcam Sanctæ biographiam a Basilico diacono concinnatam jussu Nicolai Muzalonis patriarchæ Constantinopolitani. Testatur scilicet Theodorus Balsamon in scholio ad canonem* LXIII *Concilii quini-sexti* (1) : Sanctissimus ille patriarcha dominus Nicolaus Muzalon, inveniens Vitam S. Parasceves, quæ in regione Callicratia colitur, a quodam vicano inepte et angelica Sanctæ conversatione indigne compositam, eam jussit igni mandari, et diacono illi Basilico mandavit ut vitam ejus Deo gratam conscriberet. *Atqui Nico-* B
laus thronum patriarchicum occupavit a mense Decembri anni 1147 *usque ad Martii exitum aut Aprilis initium anni* 1151 (2), *quando non multo plus quam sæculum, uti postea ostendemus, ab obitu Sanctæ effluxerat, adeoque vitæ ab ea actæ memoria satis integra debebat superesse. Imo antiquior illa quæ jam tum exstabat Vita, jussu patriarchæ combusta, ut ut rudi stylo ab illitterato homine exarata fuerit, potuit tamen Basilico diacono elegantioris Vitæ auctori documenta satis utilia suppeditare.*

Egit quoque Sanctæ biographum Gregorius archiepiscopus Kijoviensis catholicus.

9 *Ad jam indicatos* S. Parasceves *biographos accedit Gregorius Zamblak sive Tsamblak metropolites Kijoviensis, ab Alberto Wijuk Kojalowicz S. J. latine scribente Cimoulacus* (3), *a Lequieno Keminlaous* (4) *cognominatus. Homo erat natione Bulgarus, singulari sacræ eruditionis commendatione conspicuus, ad hæc, quod ei maximæ laudi fuit, unitatis catholicæ perstudiosus. Anno* 1415 *Alexander Vitoldus seu Vitovtus Lithuaniæ dux, cui tunc Russia Australis parebat, convocatis Novogrodecum Theodoro Polocensi archiepiscopo, nec-* C *non Isaaco Czernigoviensi, Dionysio Luceoriensi, Gerasimo Vladimiriensi, Sebastiano Smolenskensi, Charitone Chelmensi et Euthymio Turoviensi episcopis, eorum opera atque unanimi assensu Gregorium Kijoviensi ecclesiæ antistitem præficiendum curavit, exauctorato Photio acerrimo Ecclesiæ Romanæ hoste, Moscovitarum partibus addicto. Dehinc anno* 1416 *idem Gregorius a duce Vitoldo ejusque cognato Vladislao Jagellone rege Poloniæ Constantinopolim ablegatus fuit, ut cum Emmanuele imperatore et patriarcha Josepho, unitatis amantissimo, de conciliandis cum Romana ecclesia Græcis ageret ; ac biennio post cum pluribus sui ritus episcopis Constantiam ad œcumenicum Concilium profectus, inibi desideratam utriusque Ecclesiæ conjunctionem impense promovit, et certe viam stravit concordiæ sta-* D *bilius deinde ab Isidoro ac subsecutis metropolitis Kijoviensibus aliisque Russiæ Australis præsulibus cum Ecclesia Latina initæ* (5). *Obiit vir meritissimus anno* 1419, *quum vix erat e Concilio Constantiensi ad sedem suam redux. Ipso autem anno* 1418, *quo ad id Concilium se contulerat, solemnem in sua ecclesia celebrandam instituerat* S. Parasceves *Ternobensis festivitatem, ejusdemque Vitam vel ante id tempus vel certe ea occasione litteris mandaverat : quam Vitam inter præcipuas Biographias Sanctorum Ruthenicas cum laude recenset Philippus Strahl* (6), *et ea me carere eo magis doleo quod sit a catholico Sanctæ cultore et insigni inter populares suos scriptore composita. Interim, licet ipsum illud Gregorii opus nobis desit, illius tamen mentionem fecisse juverit, ut novum inde argumentum habeamus* S. Parasceven *non solum a schismaticis, sed etiam (ut num. 5 jam dictum fuit) a catholicis ecclesiasticum cultum fuisse consecutam.*

§ II. Ætas Sanctæ ; locus nativitatis, obitus ac sepulturæ. E

Floruit Sancta,

In *Synaxario Anthologii Ruthenici, quod ex Culcinii interpretatione supra* (num. 6) *exhibuimus, nullum reperire est indicium epochæ qua* S. Parasceve *in terris versata fuit : id tantum inde erui potest non omnino exiguum temporis spatium inter mortem ejus et corporis in Bulgariam translationem quam Synaxarista cum Kalendario Sparwenfeldiano ad annum mundi* 6701 (*Christi* 1193) *refert, effluxisse. Deinde ex Theodoro Balsamone jam citato* (num. 8) *discimus Sanctæ cultum in regione Callicratia ante medium sæculum* XII *viguisse ; sed a quanto tempore, auctor ille divinandum relinquit. Propius ævum Sanctæ determinat, quamvis nec nativitatis nec obitus annos præcise signet, biographus Euthymius hic edendus. Docet enim sororem fuisse Euthymii, qui Madyti episcopus fuit et miraculis claruit. Laudat Allatius* (7) Ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον Εὐθύμιον ἐπίσκοπον Μαδύτου τὸν θαυματουργόν, Encomium in S. Euthymium episcopum F Madytorum thaumaturgum, *auctore Gregorio Cyprio archiepiscopo Constantinopolitano ab anno* 1282 *ad* 1289 ; *quod Encomium in codicibus tribus Parisinis reperire est* (8), *idemque etiam in codice Mosquensi* CCCL *extare notat ex Matthæo Fabricius* (9). *Henschenius noster dubitavit* (10) *an is ipse sit quem sive ad* II *sive ad* XVII *vel* XVIII *Aprilis diem* Sanctum Patrem nostrum Euthymium thaumaturgum *celebrant Menæa Mss. Mediolanensia ac Parisiensia ; sed quoniam Vitam a Gregorio Cyprio conscriptam desiderabat, neque de ætate neque de obitu Euthymii Madytensis judicare potuit.*

uti et frater ejus Euthymius

11 *Ac nos quidem eodem adhuc desiderio tenemur ; verumtamen ad Euthymii atque adeo sororis ipsius* S. Parasceves *ætatem satis prope determi-*

(1) Apud Beveregium, Pandect. Canon., tom. I, p. 232.
(2) Lequien, op. cit., tom. I, col. 268.
(3) Hist. Lituan., part. II, p. 101.
(4) Op. cit., tom. I, col. 1267.
(5) Cfr Karamsin, Hist. de Russie, traduite par MM. St Thomas et Jauffret, tom. V, p. 272 et seqq ; Strahl, Geschichte der Russischen Kirche, part. 1, p. 433 et seqq ; Theiner, die neuesten Zustände der kathol. Kirche in Polen und Russland, p. 47 et seqq.
(6) Beytrage zur Russischen Kirchengeschichte, tom. I, p. 97 et 181.
(7) De Simeonum scriptis, p. 92.
(8) Catalog. cod. mss. Bibliothecæ reg. tom. II, pag. 162, 530 et [illegible].
(9) Biblioth. Græc., vol. VII, p. 475, alias vero vol. VIII, pag. 416.
(10) Tom. II Apr. [illegible], p. [illegible].

nandam

A *nandam præsto nobis est in Lequieni Oriente Christiano documentum, ubi de ecclesia Madyti, civitatis provinciæ Europæ in Thracia sub Heracleensi metropoli, sermo est* (1). *Nempe, ut ait Lequienus,* Michael Psellus junior in oratione quam de Michaelis Cerularii patriarchæ laudibus habuit, Euthymii Madytorum episcopi meminit, qui non ita pridem vitæ sanctitate claruerat. *Invenitur ea Pselli oratio in codice olim Mazarinæo* LXXXI (2), *nunc Bibliothecæ publicæ Parisinæ* MCLXXXII (3); *eamque Combefisius se editurum promiserat* (4), *et ab eo ante obitum prælo paratam cum aliis Pselli opusculis se legisse Pagius testatur* (5), ex quibus *inquit hic de Psello loquens,* certo constat eum schismati promovendo omnem operam posuisse, *quamvis alia ei tribuatur oratio ad synodum in causa depositionis Michaelis Cerularii habita, ubi hunc hæreseos insimulat.*

Madytensis episcopus,

12 *Ecce modo quibus præconiis Euthymius in dicta oratione, interprete Lequieno, exornatur :* Fuerat Madyti quispiam episcopus haud procul B ea qua nunc vivimus ætate, homo quidem externa specie, sin intus spectaretur, Angelus vel Deus, animo vere divinus, qui perfunctorie solum in corpore viveret, Deo totus addictus, magnæ victimæ minister, sed mysterii quoque spectator prorsus : vir simplex velut admirabilis ille Jacob, ab omni circumforensi sese actione et commercio abstrahens, divinarum rerum divine eximieque callentissimus, cui nomen Euthymio erat. *Post hæc, nonnullis interjectis, quæ prætermitto, ad Michaelis commendationem inde deveniens, ait :* Huic magno præsuli Euthymio divinus noster et magnus pater ea devinctus erat animi illecebra quæ nec verbis efferri posset. *Ad quæ verba recte Lequienus animadvertit :* Quæ hic postremo loco Psellus subdit, innuunt prorsus Cerularium Euthymio olim familiarem fuisse. *Quod si ita est, liquet quo circiter tempore Euthymius floruerit, quandoquidem Cerularius anno* 1040 *ob conjurationem adversus Michaelem Paphlagonem imperatorem in monasterium detrusus, triennio post sub Constantino Monomacho patriarchatum adeptus est, quem* C *ad annum usque* 1058 *tenuit. Neque tamen prorsus ætate pares videntur fuisse Euthymius et Michael, sed hic illo junior : etenim Psellus laudatoriam illam quam diximus orationem in Michaelem sub hujus successore Constantino Lichude* (6), *ac proin intra quadriennium post Michaelis mortem, pronuntians, Euthymium perhibet tamquam tempore aliquantum jam tum remoto episcopatu functum :* ἀρχιερατεύει, *inquiens,* οὐ πόῤῥω πολὺ τῆς καθ' ἡμᾶς γενεᾶς, *seque adeo ei supparem fuisse significans. Unde equidem confici posse censeo partem vitæ Euthymii satis magnam pertinuisse ad sæculum* X, *attamen eum sæculi* XI *initio aliquot certe annos supervixisse. Neque improbabiliter idem de* S. Parasceve, *cujus frater ille fuit, dixerimus.*

paulo ante schisma Michaelis Cerularii

13 *Jam vero, hisce expositis, neminem arbitror fore qui Euthymio Cerularii amicitiam eo nomine crimini vertat quod miser is patriarcha schismatis Photiani instaurator tandem exstiterit; ac multo* D *etiam minus labem inde aliquam* S. Parasceve *quis insperserit. Utrumque enim ex hactenus dictis verisimile est vivendi finem prius fecisse quam in apertum scelus Cerularius prorumperet, quod ab eo factum dumtaxat fuit post decem in patriarchatu transactos annos, nimirum anno* 1053. *Atqui a Photii altera ejectione, quæ anno* 886 *contigit, ad patriarchatum Cerularii usque, licet simultates interdum exortæ fuerint, perstitit tamen passim Constantinopolitanorum antistitum cum S. Petri successoribus conjunctio, ut Stiltingus noster in Dissertatione de conversione et fide Russorum demonstrat* (7), *atque etiam prolata ab Allatio argumenta in opere de Ecclesiæ occidentalis atque orientalis perpetua consensione evincunt* (8). *Imo vero Cerularii ejusque sequacium privata initio fuere odia, quibus sua ipsi culpa peccabant, sed quæ non statim, prout merito observat Allatius* (9), *tanti fuere ut totum Ecclesiæ Græcæ corpus a Latina avellerent sejungerentque. Quamobrem, etiamsi* S. Parasceve *aliquamdiu ultra annum* 1053 *vitam produxisse supponeretur, tamen ne ideo quidem extra unitatem et* E *pacem Ecclesiæ obiisse dicenda foret.*

14 *De loco natali Sanctæ apud Synaxaristen supra (num.* 6) *ex Culcinio allegatum sic legimus :* Hæc S. Parascevia nata est in Servia, in oppido Epivatum nuncupato, quod est prope urbem Callicratiam; *dein :* Regressa est in patriam Callicratiam; *demum :* Translatum est... corpus Callicratia seu Epivato sua patria ad celebrem Bulgariæ urbem Ternoviam. *Prima inter has phrases duo videtur loca distinguere, secunda vero et tertia unum locum binominem fuisse innuunt. Theodorus Balsamon, cujus item verba antea attulimus (num.* 8): in regione Callicratia, ἐν τῷ χωρίῳ τῇ Καλλικρατείᾳ, *Sanctam cultam fuisse asseverat. Euthymius virginis biographus tradit eam patriam habuisse* Epivatos, *adeoque in ipso ore Sanctæ post mortem suam apparentis illa ponit verba :* Patria mea hæc est Epivati nuncupata, *et ibidem in ecclesia sanctorum Apostolorum corpus ejus conditum congruoque deinceps honore habitum fuisse tradit, quin* Callicratiæ *uspiam meminerit. Tandem in Officio ecclesiastico decantari a Ruthenis in honorem* S. Parasceves *solito neutiquam de* Epivatis, *bene vero de* F Callicratia *agitur, ut nobis testatus est R. P. Joannes Xaverius Gagarin S. J., qui ipsa Ruthenorum Menæa hac super re consuluit. Notandum autem est Menæorum volumina, quibus Sanctorum Officia apud Ruthenos continentur, diversa esse a Prologo seu Synaxarista, qui Vitas Sanctorum intra Officia prælegendas exhibet; dum ea quibus Græci nunc utuntur Menæa Officiis simul et Synaxariis constant.*

Nata erat

15 *Estne igitur Sanctæ nostræ patria* Epivati *an potius* Callicratia *appellanda? Equidem, quoad investigando assequi potui, utrumque nomen recte usurpari posse opinor, prout modo exponam. De Callicratia mentio fit a S. Theophane in Chronographia sequentibus verbis* (10) : Τοῦ δὲ υἱοῦ τοῦ βασιλέως ἅμα Γερμανοῦ τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ εἰς Καλλικράτειαν κυνηγετοῦντος κ. τ. λ., *quæ in Historia*

in oppido vel vico Epivatis.

(1) Tom. I, col. 1141 et 1142.
(2) Montfaucon, Biblioth. biblioth. Mss. p. 1318.
(3) Catal. cod. mss. Biblioth. reg., t. II, p. 239, num. 77.
(4) Auctar. noviss., tom. I, p. 13.
(5) Critic. ad an. 1054, num. II.
(6) Cfr Pagius, Critic. ad an. 1071, num. XIV.
(7) Tom. II Septembris p. XII et seqq.
(8) Lib. II, cap. VII et VIII, col. 600 et seqq.
(9) Ibid., cap. IX, col. 625.
(10) Tom. I, p. 444, edit. Bonn. 1839.

Miscella

A *Miscella* (1) *ita latine sonant :* Filio imperatoris *(Mauricii)* Theodosio una cum Germano socero suo apud Callicratiam venationes exercente, *etc. Porro eamdem venationem memorans Theophylactus Simocatta* (2) *hanc nomini Callicratiæ apponit elucidationem :* Χῶρος γὰρ πρὸ τοῦ ἄστεος οὗτος, λίαν ὡς ἔπος εἰπεῖν ὡρικός, Regio ante urbem *(scilicet Constantinopolim)* hæc est, perquam, ut verbo dicam, amœna. *Aliunde habemus Epivatum sive Epivatos (græce* Ἐπιβατόν *aut* Ἐπιβατοὺς *dici crediderim) vicum Thraciæ esse non procul Constantinopoli. Narrat enim Georgius Wheler in suo Itinerario* (3) *se navigio Heraclea profectum, inde Selymbriam attigisse, tum longius progresso plures vicos hortis, vineis prædiisque voluptariis luxuriantes in conspectum venisse, quorum uni nomen* Pivadis; *quod pro* Epivatis *corrupte dictum quis dubitet? Et perinde sentiendum est de nomine* Bevados, *quo is vicus Propontidi adjacens in Mappa Græciæ a Guilielmo Delisle delineata designatur. Denique in Mappa* 62 *Atlantis Spruneriani* (4) *duplex ejus-*
B *dem loci notatur appellatio* Epibaton *et* Bivados, *ac situs illius statuitur ad oram Propontidis et ripam dextram fluminis Athyræ, quem Græci recentiores* Γλυκὺ νερόν, *id est,* Dulcem aquam, *vocitarunt* (5). *Hujus ripæ sinistræ, ut Mappa* 61 *Spruneri ostendit, apposita erat Athyra civitas, quam a Justiniano cisternis instructam atque instauratam fuisse docet Procopius* (6) ; *eamque Nicephorus Callistus suburbium regiæ civitatis,* προάστειον τῆς πόλεως, *nuncupat* (7), *licet a Constantinopoli distet decem vel amplius leucis, non duabus tantum, ut opinatus fuit Petrus D'Outreman* (8).

regionis Callicratiæ in Thracia, 16 *Quocirca sic existimo, tractum suburbanum, cui nomen Callicratia erat, juxta Propontidem satis late patuisse, ita ut plura oppida vicosque caperet, quorum e numero fuerit Epivatum sive Epivati. Atque hinc facile intelligitur qua ratione* S. Parasceve *et Epivatis et in Callicratia nata fuisse dici vere queat; sed simul deprehenditur errasse Synaxaristen Ruthenum, qui Callicratiam* urbem *fuisse pronunciavit Epivato oppido vicinam : ipsius enim hoc vitium est, non Culcinii, siquidem hic*
C *verba slavonica latinis verbis ad amussim repræsentavit, ut certior factus fui a R. P. Gagarin. Insuper manifestum est sphalma in nomine* Serbia *pro* Thracia *usurpato : nisi fortassis eo loco primitus scripta fuerit vox* Tsarstvie (*nunc russiace* Tsarstvo), *eaque librarii alicujus errore deformata sit. Quippe hæc vox a* Tsar, *qui titulus græco* βασιλεύς *æquipollet, derivatur, ac proinde* Imperium *significat; speciatim autem Byzantinum imperium ab antiquis Slavis propter excellentiam* Tsarstvie *dictum fuisse ex eo liquet quod ipsi urbi Byzantio nomen* Tsaregrad, *id est* πόλις βασιλική, urbs regia, *proprium esse voluerint. Atque hanc quidem conjecturam meam de voce* Serbia *perperam Synaxario* S. Parasceves *intrusa peritorum judicio permitto. Interim illud cuique persuasum esse puto primam dicti Synaxarii phrasim, ut veritati consulatur, emendatione indigere. Prior nimirum illius pars ita legenda est :* Hæc Sancta Parascevia nata est in D
Thracia *vel* in Imperio; *pars vero posterior in græco exemplari, quod Slavo scriptori præluxisse probabile est, ita fere sonuerit :* Ἐν τόπῳ Ἐπιβατῷ καλουμένῳ τῆς πρὸ τοῦ ἄστεος Καλλικρατείας, *hoc est,* in loco Epivato nuncupato regionis suburbanæ Callicratiæ. *Qua correctione adhibita, bene omnia componuntur.*

17 *Natali solo Sancta, mortuis parentibus, vale-* *ubi etiam obiit.*
dixit, atque in eremum nescio quam, Deo rebusque divinis unice vacatura, se recepit; donec post multos annos, cœlitus admonita de instanti obitu, Constantinopolim ad visitanda templa, ac mox Epivatos in patriam rediit, ibique mortalem vitam cum immortali feliciter commutavit, popularibus suis tum quidem ignota, si vera narret biographus, sed aliquamdiu post non sine prodigiis manifestata. Sane quum post diuturnam absentiam redux esset, ipsos ejus cives, quænam et unde esset, latuisse, haud est difficilius creditu quam quod de SS. Alexio ac Joanne Calybita ferunt historiæ, eos vel suis parentibus visos fuisse peregrinos. Postquam vero sanctitas ejus E
divinitus innotuit, e terra levatæ exuviæ, atque in ecclesia honorifice collocatæ, Epivatis per duo fere sæcula secundum calculum nostrum permanserunt; quo spatio elapso, Ternobum translatæ fuere a Bulgaris, atque inde postmodum Jassium. De utraque illa translatione paragrapho sequenti agendum.

§ III. Translatio corporis S. Parasceves in Bulgariam, deinde in Moldoblachiam.

Ternobus vel Ternobum Trinobusve, *inquit Lequien* (9), Mœsiæ inferioris civitas, Bul- *Ternobum in Bulgaria*
garorum in regiones cis Danuvium excursione recentior, ad Escanum seu Jatram fluvium haud procul ab Hæmo monte posita, atque omnium illius regionis munitissima, quam Bulgariæ reges ditionis suæ regiam fecerunt, ex quo Basilius imperator, Bulgaricida cognominatus, magnam illius tractus quem in Macedonia vicinisque pro- F
vinciis Byzantino imperio eripuerant, partem recepit. Quum itaque Achrida seu Justiniana vetus Bulgarici regni antea caput fuisset, ea a Constantinopolitanis recuperata, Bulgariæ reges Ternobum saltem suam eadem quoque jura in his quæ res ecclesiasticas spectant, habere voluerunt, ac Ternobi pontificem, archiepiscopi titulo ornatum, a Byzantini et Achridensis jurisdictione immunem esse; quod quidem ab Innocentio Papa III institutum est. *Nempe Joannes, alias Joannicius vel Calojoannes appellatus, solus post fratrum Asanis ac Petri mortem Bulgariæ et Blachiæ dynasta, inde ab anno* 1197 *Romanæ ecclesiæ communionem atque tutelam sibi gentique suæ poposcerat. Cui postulato satisfactum ab Innocentio Papa III fuit, inter quem et regem Joannicium, pluribus ab anno* 1199 *ab annum usque* 1204 *ultro citroque*

(1) Muratori, Rer. Ital. Scriptt. tom. I. p. 121.
(2) Histor. lib. VIII. cap. VIII. p. 328, edit. Bonn. 1834.
(3) Voyage de Dalmatie, de Grece et du Levant, traduit de l'anglais, tom. I. p. 126.
(4) K. von Spruner, Histor.-Geograph. Hand-Atlas, edit. Gotha 1846.
(5) De la Martinière, Dictionn. géograph. voce *Athyras*.
(6) De Ædificiis, lib. IV, cap. VIII, tom. III, p. 296, edit. Bonn. 1838.
(7) Hist. eccl. lib. XIII, cap. XXXIII.
(8) [illegible], lib. VI, cap. XIII, p. 6[illegible].
(9) Oriens Christianus, tom. I, col. [illegible].

A *citroque missis et acceptis epistolis ac legationibus, convenit ut rex chrysobullo se suamque ditionem Romanæ Sedis subjiceret potestati, vicissim vero Summus Pontifex regiæ dignitatis insignia coronam et sceptrum cum vexillo Christi cruce ac Petri clavibus insignito ad regem mitteret; ad hæc Basilium Ternobensem archiepiscopum Ecclesiæ Bulgaricæ primatem institueret, atque episcopos Belesbugdensem et Præslabensem metropolitica dignitate auctos una cum Basilio primate palliis ornaret. Rerum gestarum seriem longa oratione prosecuti fuere Joseph Simonius Assemanus* (1) *et Jacobus Coletus* (2), *ad quorum scripta, sicuti etiam ad Historiam Innocentii III a Frederico Hurter concinnatam* (3), *lectores remittimus: apud Græcos autem scriptores altum est de hisce rebus silentium; quin imo, dum concessum Ternobensi antistiti a Pontifice Romano privilegium celant, id ipsum triginta post annis eidem a Germano patriarcha Byzantino, eoque ex sede sua extorri, primum collatum fuisse comminiscuntur* (4).

B *cura Joannis Asanis regis*

19 *Quamvis porro Joannicius inde ab anno* 1205 *plurima inimice egerit in Latinos Constantinopolim magnamque imperii orientalis partem tunc occupantes* (5), *ipsumque adeo Balduinum imperatorem captum et in vincula conjectum tandem crudeli nece (ut passim creditur) affecerit* (6), *tamen ad finem usque vitæ, quem anno* 1207 *apud Thessalonicam accepit* (7), *perstitit in Ecclesiæ Romanæ communione, quantum ex mutuis illum inter et Innocentium III Papam epistolis sub id tempus datis colligere licet* (8). *Successit ei Borilas, sororis ipsius filius; hunc vero post septennem urbis Ternobi obsidionem anno circiter* 1217 *regno privavit patruelis Joannes Asan, filius Asanis senioris, qui Joannicii frater fuerat. Novus is rex, fœdere cum schismaticis Græcorum dynastis inito, sed nec his sat fidus constansque amicus, per plures annos in proprii dominii augmentum Latinorumque perniciem magnis viribus intendit, captis urbibus, vastationibus vel ad Illyricum usque et Thessaliæ montana exercitis, atque ad ipsos Constantinopoleos muros copiis aliquando adductis* (9). *Ast anno* 1236, *seu reverentia erga*
C *Gregorium Papam IX monitis ac minis utentem, seu timore ne ipsos Græcos tandem se potentiores experiretur, sive etiam copiarum ex Occidente in auxilium Constantinopolitani imperii properantium metu, in Latinorum partes ad tempus concessit, petiitque etiam a Gregorio IX ut legatum mitteret quocum de firmanda Latinorum in Oriente potentia consilium inire posset. Neque tamen diu in proposito perstitit: dum enim anno* 1237 *conjunctis cum Latinis viribus Tzurulum castrum oppugnat, accepto nuntio uxorem ac filiolum et Ternobensem archiepiscopum obiisse, Numinis iram ratus, subito Ternobum redit, atque exinde amicitiam cum Græcis schismaticis instaurat, accepta etiam paulo post in conjugem Irene Theodori Angeli Thessalonicensis despotæ filia. Rursus demum, Hungaris hortatu Gregorii IX Bulgariam invadere parantibus et Balduino II ex Occidente cum exercitu adventante, a* D
Græcis Asanus desciscens, Latinos sibi conciliare et Pontificis Romani animum emollire studuit; utrum tamen sacræ ejus potestati sese iterum ex animo subjecerit, an vero in schismate obierit, divinandum posteris reliquit (10). *Mortem ejus Cangius ad annum* 1241 *refert* (11), *alii ad* 1245 (12).

20 *Hæc translationi corporis* S. Parascevæ *ad Ternobum urbem præfanda duximus, tum ut ex iis probabilem epocham eruamus qua illa translatio contigisse censenda sit, tum deinde ut statuamus eam in illud tempus incidisse quo catholica vigebant apud Bulgaros sacra. Jam vero illud primum evidenter patet pugnantia inter se esse verba Kalendarii a Sparwenfeldio versi, supra a me allegata (num.* 5), *quibus scilicet asseritur reliquias Sanctæ Ternobum apportatas fuisse anno mundi* 6701, *qui fuit Christi annus* 1193, *idque sub rege Joanne Asane. Etenim, si vel de Joanne Asanis fratre seu de Joannicio sermo hic esset, ne is quidem ante annum* 1195 *Bulgariæ imperavit; qui vero proprie Joannes Asan dictus fuit, nempe Asanis filius, is nonnisi post annos amplius viginti regnum capessivit; atque hunc fuisse cujus studio atque cura sacris* Parasceves *reliquiis ditatum fuit Ternobum, Euthymius Sanctæ biographus diserte testatur. In Synaxario autem quod ex Culcinio pridem descripsimus (num.* 6) *non solum idem qui in Kalendario error deprehenditur, sed insuper novo errore annus Christi* 1175 *anno æræ Constantinopolitanæ* 6701 *æquiparatur; quam in rem observat Assemanius* (13) : Nescio utrum auctor Synaxarii an Culcinius ipse annum mundi conditi 6701 cum anno a Nativitate Domini 1175 composuerit; quisquis tandem is fuerit, insigniter erravit: nam annus ille orbis conditi respondet anno Christi non 1175, sed 1193, juxta communem Græcorum Moschorumque supputandi rationem, qui Christum natum volunt anno mundi 5508. *Crediderim equidem errorem hunc cum altero illo connexum esse quo Culcinius opinatus fuit* (14) *in tabulis Papebrochianis ad diem* XXV *Decembris Nativitati Christi assignari annum mundi* 5526; *si enim cum numerum* 5526 *ex alio illo* 6701 *subduxeris, residuum habebis* 1175 : *quamquam merito Assemanius advertit* (15) *in dictis tabulis notas tantum* εφ *(id est,* 5500, *deficiente prom* ϒ) *ad annum Nativitatis Christi spectare, dum reliquæ duæ* κϛ *ad proxime sequentem diem* XXVI *Decembris designandum referuntur.*

corpus Sanctæ

E

F

21 *Sed ut ad propositam inquisitionem redeamus, ex Euthymii auctoritate pro explorato habendum*

solemniter translatum fuit

(1) Op. cit. tom. V, p. 125 et seqq.
(2) Op. cit., tom. VIII, p. 210 et seqq.
(3) Hist. du Pape Innocent III, traduite de l'allemand, tom. I, lib. III, V et VIII, p. 283, 424, 563 et seqq. edit. Bruxell. 1839.
(4) Cfr Assemani, loc. cit. p. 170 et seqq.
(5) Cfr Stritter, Memoriæ populorum olim ad Danubium, etc. incolentium, tom. II part. II, p. 706 et seqq.; D'Outreman op. cit., lib. IV, p. 251 et seqq.; Michaud, Hist. des Croisades, t. V, lib. XI, p. 140 et seqq.
(6) Cfr Cahour, Baudouin de Constantinople, p. 295 et seqq.
(7) Georg. Acropol. Annal., p. 26, edit. Bonn. 1836. Cfr Nota Allatii, ibid., p. 236 et 247, et Acta Sanctorum Octob., tom. IV, p. 199 et seqq.
(8) Cfr Coletus, loc. cit., p. 228 et seqq.
(9) Stritter, loc. cit., p. 722.
(10) Coletus, loc. cit., p. 230 et seqq.; Raynaldus, Annal. eccles. ad an. 1236 et seqq.
(11) Hist. Byzant., part. I, p. 320.
(12) Stritter, loc. cit., p. 732.
(13) Op. cit. tom. V, p. 292.
(14) Specim. Eccles. Ruthen., part. II, p. 107, apud Assemann. op. cit., tom. I, p. 162 et 163.
(15) Op. cit., tom. V, p. 499

est

A est corpus Sanctæ Ternobum devenisse sub Joanne Asanis filio : quo vero regni ejus tempore, expresse quidem Euthymius non determinat, at videtur tamen ex narratis ejus apte satis colligi posse. Nam licet virum præter modum magnificet, neque in illius potentia ac religione commendanda atque extollenda intra strictæ veritates limites sese contineat, tamen quantum ad præcipuas translationis circumstantias fidus habendus est, nec rerum male gnarus historicus, qui eas, ut credere pronum est, ex suæ Ternobensis ecclesiæ tabulis didicerit. Itaque, ut summatim dicta ejus repetamus, memorat Joannem Asanem, multis quaquaversum regionibus sub potestatem redactis, tandem Byzantium usque universa sibi subjecisse, ipsamque adeo urbem fuisse depopulatam, et Francos, qui eam possidebant, sibi fecisse obsequentes ; audita autem fama S. Parasceves, petiisse illum a Francis, atque ab eis, ad gratum illi faciendum paratissimis, facile obtinuisse, ut, quod summopere optaret, corpus Sanctæ hujus virginis in Bulgariam deportari permitterent : B quamobrem missum ab eo fuisse Marcum metropoliten Prœslabensem, qui sacrum thesaurum Epivatis Ternobum afferret, eique adventanti magna pompa obvium processisse regem ipsum cum matre et uxore, necnon Basilio primate universoque clero et magnatibus, ac sic demum Sanctam in principe civitatis æde honorificentissime tumulatam fuisse.

anno, ut videtur

22 Si Euthymii oratio necessario ferret omnes illas quas deprædicat Joannis Asanis victorias et ad Byzantium usque incursiones prius contigisse quam is corpus S. Parasceves a Francis nactus fuerit, translatio de qua agimus, anno 1236 vel proxime secuti initio innectenda foret, quo tempore Asanes, pace cum Latinis composita in gratiam cum Romano Pontifice redierat. Etenim numquam ad Byzantium proxime accessisse scitur ante autumnum anni 1235 ; et anno 1237 labente, ut supra diximus (num. 19), et uxoris suæ et archiepiscopi Ternobensis jacturam fecit, quorum mortem ex Euthymii narratis translatio præcedere debuit. At vero nihil videtur obstare quominus mentem Euthymii alia ratione interpretemur : ita scilicet ut bellicas Joan- C nis Asanis laudes universim omnes congesserit ille quidem ad æstimationem lectorem ei parandam, neque tamen ideo intelligi voluerit eum hasce omnes laudes jam promeruisse ante corporis S. Parasceves translationem. Hinc integrum nobis fuerit etiam in tempus anno 1236 anterius respicere, indeque eo probabilius quod hoc pacto minorem difficultatem facessit ætas Basilii Ternobensis antistitis, quem translationi præsentem fuisse Euthymius refert. Fuerat enim Basilius, antequam Ternobi sedere cœpit, inde ab anno 1186 episcopus Debelti sive Zagoræ ordinatus (1), ac proinde jam tunc secundum jus ecclesiasticum Græcorum annos ætatis numerare debuerat saltem triginta quinque : unde sequitur eum sæculo XIII ineunte circiter quinquagenarium vel etiam ætate provectiorem fuisse, ita ut merito subdubitari saltem possit an successor potius Basilii fuerit ille Ternobensis antistes cujus mortis nuntium anno 1237 Joanni Asani Tzurulum cum Latinis obsidenti allatum fuit.

23 Itaque, prætermisso etiam illo spatio, quo Joan- D nes Asanes Græcorum amicitia implicitus alienum se passim a Latinis exhibuit, retro deveniendum existimo ad regni illius initia, sub quibus omnino credibile est Latinos, ut virum ad arma promptum demulcerent sibique adversus Græcos conciliarent, voto ejus de possidendis S. Parasceves lipsanis haud gravate indulsisse. Et certe jam tum de hac Sancta inaudire Asanes potuerat a Bulgaris Scythisque illis, qui sub rege Joannicio anno 1206 universam pene Thraciam vastaverant, ac nominatim oppidum Athyra, quod Epivatis vicinissimum fuisse pridem notavimus (num. 15), ad internecionem delerant (2) : qua occasione neque ab Epivatis abstinuisse censendi sunt, et sic in Virginis ibi sepultæ ac miraculis conspicuæ notitiam devenisse. His positis, et ratione simul habita Kalendarii ac Synaxarii de quibus paulo ante sermo fuit (num. 20), in eam demum sententiam tamquam maxime verisimilem venio, translationem S. Parasceves ad urbem Ternobum anno æræ Constantinopolitanæ 6730, qui a Septembri anni 1221 æræ vulgaris nostræ currere E incepit, esse constituendam, eamque fortassis incidisse in diem XIII vel XIV Octobris, quo deinceps Sanctæ memoria quotannis agi consuevit. Nempe anni jam indicati nota numeralis apud Ruthenos Græcis fere characteribus utentes est ЅѰΛ : facile autem fieri potuit ut vitio minus periti aut minus ad rem attenti librarii, præsertim quum litteræ Λ et Α exigua tantum lineola inter se discrepent, in libros ecclesiasticos irrepserit scriptio ЅѰΑ pro ЅѰΛ. Unde ex una parte explicatur quomodo translatio S. Parasceves in Synaxario et Kalendario Ruthenorum anno orbis conditi 6701 perperam sit affixa ; ex altera vero parte, uti modo innuimus, argumentum aliquod sententiæ nostræ confirmandæ idoneum exsurgit. Hac autem stante sententia, perspicuum est a catholico adhuc principe (qualiscumque is demum postea evaserit) catholicisque episcopis exuvias Sanctæ nostræ in urbem et basilicam Ternobensem fuisse introductas.

1221 æræ vulgaris,

Inde post modum

24 Post hæc, probabiliter circa sæculi XIV finem, ubi Bulgaria, ut alio loco meminimus (num. 7), Turcicæ succubuit tyrannidi, sacer is thesaurus Jas- F sium, quæ tunc Moldoblachiæ, hodie vero Moldaviæ a Blachia seu Valachia sejunctæ metropolis est, provida dynastarum regionis illius cura (ut credere licet) avectus fuit : Ubi, ut ait Papebrochius (3), insigne monasterium Basilianorum constructum fuit, a quibus ipsum sacrum corpus etiam nunc servatur, et hoc die solemni populorum ipsorumque Walachiæ (simul et Moldaviæ hodiernæ) principum accessu colitur. Pergit idem : Ibi illud se vidisse, speciosissimis indutum vestibus et adhuc integrum, anno MDCLXIV, quando pro rege Poloniæ legatus Ibad ad Magnum Cham Tartarorum, asserit nobis Joannes Znini nunc sacerdos, et procul a patria vitam tantum non solitariam in hac nostræ Antverpiensis urbis frequentia degens. Noveram istic aut esse aut fuisse aliquam nostræ Societatis residentiam : itaque in spem adductus plura discendi de historia vitæ, passionis, translationis atque miraculorum, quæ istic fre-

(1) Coletus op. cit., tom. VIII, p. 509.

(2) Nicet. Choniat. Hist., p. 832 et seqq., edit. Bonn 1835

(3) Tom. I Maji p. XLVIII

A frequentia fieri dicebantur, scripsi in Lithuaniam, indeque a R. P. Adamo Warelkowicz, in eadem missione aliquot annis versato, responsum accepi, vera esse quæ jam dixi omnia, *etc. Sed pro litterarum epitome, quam porro Papebrochius subjicit, ipsas litteras Warelkowicii, quas pene nos adhuc esse jam antea dixi* (*num.* 3), *hoc loco legendas exhibere præstiterit.*

Jassium in Moldoblachiam devectum fuit.

25 Idem qui infra, quæ vel ipse vidi, aut etiam audivi. Sancta PARASCEVE, alias VENUS, Valachice VINERA dicta, sub cujus nomine Jassiis est monasterium erectum (SWYNTÆ VINERÆ) Sanctæ Veneris Basilitanis Græci ritus, dictis calugeris, ruthenice vocatur PIATONKA, alias PARASZKA, quod etiam Valachis commune est. Dies illius festus celebratur in mense Octobri; quo vero die, id mihi non constat: celebratur vero juxta stylum Calendarii antiqui. Constantinopoli passam audivi a quodam calugero Basilitano, probabile est cum adhuc Græci essent uniti Romanæ Ecclesiæ. Vidi eam in tumba inclusam, obductam
B panno rubro, ni fallor, an serico dicto axamit (ἐξάμιτον *et* exametum *in Cangii Glossariis teutonice* sammet): hic variare debeo, quod memoria id exciderit. Altæ staturæ est corpus: totum non lustravi, faciem cum collo et pedibus vidi: facies fusca: an intermediæ partes ibi sint, affirmare non audeo. Vestita est pretiosis indumentis more illius gentis: habet pretiosas res acu pictas, margaritas, annulos pretiosos. Votivas tabellas in illo loco notavi nullas, quia Græcis nulla consuetudo talia appendendi. Miracula vulgus dicit multa fieri; sed cum quæritur quæ illa tandem, hæc in particulari enumerare non potest. De Vita istius Sanctæ hæc accepi ab aurito auditore Vitæ illius, cum legeretur lingua græca ipsius die festo in ecclesia Prezswyntytelorum *(id est, ni fallor, Hierarcharum, quo titulo affici arbitror primariam ædem sacram)* Jassiis, præsente principe pro tunc Duka et Boieris *(id est magnatibus)*: qui autem mihi eam auditam retulit, is erat bonus catholicus Romanus, medicus prænominati principis, dominus Joannes Baptista Antonius Timones na-
C tione Venetus. Hic ergo, cum quærerem, dixit multa se audivisse ibi talia quæ Sanctorum gesta et vitam dedecent, multa se advertisse inconvenientia et absurda: hæc mihi ille, homo revera prudens. Plura non habeo. Ita testor me partim hæc vidisse, partim audivisse a variis, cum essem in illa missione. Adamus Warelkowicz S. J.

ibidemque

26 *Alteris præterea litteris, nobis incompertis, idem Decessores nostros certiores fecit* nullos denique e nostris ibi amplius esse, propterea quod locus pœne desolatus per pestilentiam, Turcico insuper jugo prematur: quo fit, *inquit Papebrochius*, ut minor spes sit inde accipiendi Vitæ istius qualiscumque exemplar, uti optabam. Optabam id autem, uti cætera id genus alia, ad certius de re tota judicandum, deque iis quæ græce ac latine scripta habere nos dixi fabulositatis multæ plena: quare etiam nunc pergo ista Walachorum scripta optare. *Scilicet animum Papebrochii, ut pridem notavimus* (*num.* 3), *præjudicata occupabat opinio* Parasceven *hanc nostram eadem esse Martyrem quam Græci* XXVI *Julii colunt, quæque apud Latinos etiam Venera aut Veneranda audit: de cujus vita Decessores nostri multa collegerunt, quæ, judice Papebrochio* (1), prorsus sunt fabulosa, sic ut difficillimum futurum sit aliquid solidæ verosimilitudinis ex tanta caligine prudenter ratiocinando elicere. *Sed hoc ad diem* XIV *Novembris conandum nobis erit. Quam nunc damus* S. Parasceves *Ternobensis sive Jassiensis Vitam, ea nihil cum intricatis illis homonymæ Martyris Actis commune habet; sicut nec crimina illa quæ in Vitam græcam a se auditam conferebat Timones medicus, jure quis impegerit scriptione Euthymianæ, quam mox in medium afferemus.* D

in honore haberi perrexit.

27 *Præsenti tempore, ex pacto Adrianopoli anno* 1829 *inito, Moldavia, perinde ac Valachia, Turcici imperii propemodum immunis est, licet quadam adhuc fiduciarii juris specie ab eo pendeat, eique tributaria manserit. Propriis nunc utitur legibus, et despotarum electionem magnates civiumque primores sibi vindicant, comprobandam tamen non solum a Sultano, rerum etiam a Russiarum autocratore, qui ditiones Moldoblachicas suo tutatur præsidio. Jassium, despotæ Moldavorum atque archiepiscopi sedes, nuperis incendiis, bellis, pestilentiis aliisque calamitatibus non parum diminutum atque ex pristino splendore collapsum, in præsentia relevari et populi frequentia crescere videtur* (2). *Quo interea statu* S. Parasceves *reliquiæ illic sint, dicere non habeo; sed nullus dubito quin religiosus sanctæ Virginis cultus etiamnum apud populos illos perseveret, quos nemo ignorat sacrorum usuum suorum, ac maxime quidem in iis quæ ad venerationem Cœlitum spectant, esse tenacissimos atque observantissimos. Ad extremum addam, quum Sanctæ biographus patrocinium ejus non tantum in Thracia et Mœsia, sed in Dalmatia quoque salutare fuisse scribat, vehementer me suspicari non esse ab ea diversam S. Venerandam illam cujus cultum in Dalmatia et Serblia vigere Coletus asserit* (3). *Habet hæc in iis regionibus vicinaque Albania plures ædes sacras sub suo nomine Deo dedicatas. Ejusmodi est in insula Pharia maris Adriatici, vulgo Lesina dicta, templum S. Venerandæ, de quo scribit Michael Millescichius in Chorographia patriarchatus Ipekiensis a laudato Coleto allegata* (4), *illuc orandi causa convenire solitos nautas Serbliani ritus, esseque in eo duo altaria, alterum græci ritus, latini alterum, quod catholicæ communionis quondam inibi servatæ indicium est. Insuper mihi tomum VII Illyrici sacri Farlati vel obiter pervolventi obviæ fuere apud Dalmatas græci ritus, qui se circa annum* 1648 *Ecclesiæ Romanæ adjunxerunt, parochia S. Venerandæ regionis Zuppæ et parochia item S. Venerandæ Mainotarum* (5); *in Albania vero ecclesia S. Venerandæ in monte Saldia* (6) *atque ad Drinum fluvium* (7), *necnon aliæ ejusdem nominis ecclesiæ de Baldreni, de Nchtella ac de Reeja, atque hæ quidem omnes sub* E F

(1) Tom. I Maji, p. XXXV.

(2) Cf. Balbi, Abrégé de Géographie, part. 1, p. 57 et 580, edit. Bruxell. 1840; Hoffmann, Beschreibung der Erde, tom. II, p. 320 et seqq.; Guibert, Diction. géograph. vocibus *Moldavie*, *Valachie* et *Jassy*.

(3) Illyr. Sacr. t. VIII, p. 58.

(4) Ibid., p. 55.

(5) Op. cit. tom. VII, p. 131.

(6) Ibid. p. 331.

(7) Ibid., p. 332.

catho-

A *catholicis episcopis Scodrensi, Alexiensi et Albanensi seu Crojensi constitutæ* (1). *Ceterum res hæc, de qua suspicionem tantum meam aperui, diligentius dispici poterit ad diem* XIV *Novembris, ubi ardua illa de S. Veneranda Martyre, una an multiplici, quæstio erit enodanda.*

VITA S. PARASCEVES,

Auctore Euthymio primate Bulgariæ,

Interprete P. F. Raphaele Levacovich Ordinis Minorum.

S. Parasceve, Sole apparebit splendidior venerabilis memoria Parasceva, si vitæ rationem gestaque ac peregrinationes ejusdem, quæ Christi amore suscepit, minutim enarraverimus. Sed quis vel ex parte acta miraculaque ejus affari poterit? Quis beneficia, protectiones et patrocinia, quæ in Thracia Ternoviique et in Mesia et in Dalmatia præstitit, poterit recensere? non solum autem per has provincias, sed per universum orbem hujus invenies circumferri nomen. Multa itaque et longa de Sancta hac erit nobis historia, atque sensus noster omnem eleganter non sufficit enarrare. B

mortuis parentibus, 2 Hæc ergo Sancta ac venerabilis Parasceve patriam habuit Epivatos *a*, parentes pios ambulantes in omnibus mandatis Dei, sine querela, eleemosynis et bonis operibus omnem vitam suam decorantes. Educarunt porro hi bonam hanc castamque columbam Christi congruis in moribus, et in lege Dei eam instruentes, ad cœlestia migrarunt tabernacula, hærede domus Parasceve relicta cum fratre Euthimio, qui postmodum Madyti episcopus fuit *b*, ubi multa famosaque edidit miracula; atque post obitum mirabiles reliquiæ ejus copiosum liquoris fontem emiserunt, cujus rei in præsens usque plurimi extant testes, narrantes mira prodigia et opera illius. C

in eremum. 3 Quare sancta Parasceve, amandatis ad Deum parentibus, apostolicam ex animo æmulata vitam, jejuniis atque vigiliis pœnitentiisque et humicubationibus corpus affligebat. Unde etiam divino succensa ardore non sustinuit in multitudine sese exercere; sed relictis omnibus fugam iniit, ac eremum assecuta, spiritualem in illa angelicamque vitam agebat, speculatoris Domini Heliæ vel certe Joannis Baptistæ vitam imitata jejuniis et vigiliis se affligens, solitudinis herbulis idque parce et insipide victitans, frigore et æstu agitabatur, atque ad eum solum qui a pusillanimitate et calamitatibus salvare potis est humiles corde, oculos sublevabat. Sed neque ipsas herbulas aut aquam ad satietatem capiebat, verum modice et continenter, idque valde tarde sub vesperam.

rebus divinis vacatura 4 Quis ejus tunc fontem lachrymarum effabitur? Suspiria crebra et continua quis enarrabit? Humicubationes et disciplinas quis demonstrabit? D Neque enim ibi aliquis alius repertus est, qui hæc considerare potuisset, præter eum cujus oculi cuncta intuentur *c*. Non huic in solitudine de boum jugis cura erat, non de auro frænatis equis, non de indumentis et lectulis, non de domibus et ancillis, sed de animi expurgatione, de ratione reddenda in futuro judicio et de occursu Sponsi: Te, Sponse mi, inquiens, quæro; illudque Canticorum semper in corde ruminans: Indicate mihi, quem diligit anima mea. Zelabat frequenter quomodo ornaret lampadem, quomodo oleo repleret, quomodo suavem Sponsi vocem audiret, quomodo sapientum choro virginum jungeretur, quomodo Sponsi frueretur conspectu, specie, gloria, lumine, contubernio, beatitudine. Circa hoc tantummodo cor ejus laborabat, circa hoc oculi ejus semper caligabant: Quando veniam, inquit, et apparebo ante faciem Dei?

5 In his et similibus dum hæc sese exinaniret *se recipit* et sollicita esset, nequaquam desiit malignus hostis tentare eam phantasmatibus et spectris, sæpius etiam in varias sese transfigurando bestiarum formas, quo eidem aberrandi laqueos pararet: licet venerabilis Parasceve altissimum posuisset refugium suum, lachrymarum fontem indesinenter ex oculis fundens. Sic igitur hæc in femineo sexu virilem consecuta animum, omnes artes dæmonum ad instar cujusdam aranearum telæ disrumpebat, et tamquam David per singulos dies mysticum dejiciebat Goliath; visusque est perquam in malitia sese glorificans draco summopere deprimi et conculcari a prudentissima hac virgine, non secus ac vilis quædam avicula. Atque ita naturam supergressa suamque exornans animam, impletum est in illa propheticum illud: Concupivit rex speciem tuam. Hac via, operatione in scientia invenit ascensum, verboque et opere cursum vitæ adornans, mansit annos sufficientes in solitudine. E

6 Quadam autem nocte oratione se pro solito *Inde post plures annos, cælitus monita,* committens, elevatis ad cœlum manibus, vidit divinam quamdam visionem, juvenem videlicet quemdam lucidum ad se venientem, atque dicentem: Relicta eremo, in patriam revertere: illic etenim oportet te corpus terræ reddere, spiritum vero in immaterialia traducere habitacula. Magnitudine visionis considerata, divinamque esse intelligens, gaudebat quidem de corporis dissolutione, sed de solitudinis amissione tristabatur, cum nihil sic animam purget atque pristino candori restituat sicut eremus et silentium. Proinde, invita licet, relicta solitudine, ad seculum regreditur; atque Constantinopolim perveniens, ad Sophiæ sive Verbi Dei speciosissimum templum *d* accurrit. Quid non ibi fecit illa et gessit? Frequentissime genua flectendo, lachrymarum fontes manando, crebra cordis suspiria emittendo, solitariamque recolendo mansionem, acerrimo consummabatur angore. Post hæc, tanquam sedula et operosa apis cunctos vernos flosculos, universa illic existentia loca sacra sollicite circumiens, ad sacrosanctam Dei Genitricis accessit ædem, quæ in hodiernum diem Vlacherna quoque dicitur *e*; F

(1) Op. cit., p. [illegible], item apud Mansi, SS. Concil. [illegible] t. VI [illegible], 271, 272, 274 et [illegible].

atque

A atque ibi ad venerandam ejusdem procumbens imaginem *f*, fervidas prodiga lachrymas fundebat : Tibi, inquiens, Domina mundi, omnem meam commisi vitam. In te omnem meam spem et fiduciam colloco, Virgo. Ne repellas me pauperculam, ne despicias famulam tuam, ab adolescentia unigeniti Filii tui vestigiis inhærentem. Nosti fragilitatem feminei sexus, Virgo, nosti afflictionem animæ meæ. Non est mihi alia spes, non aliud tegumentum. Tu gubernatrix, tu protectrix mea, tu totius vitæ meæ conservatrix. Donec desertum deambularem, te singularem habebam : nunc vero in mundum regressa, quod aliud auxilium postulo præter te? Adesto ergo mihi pauperculæ, Domina, et esto mihi comes, directrix et gubernatrix usque in finem vitæ meæ : aliam enim spem præter te non habeo.

natalem locum Epivatos repetit, ibique moritur.

7 Hujusmodi ex toto corde facta oratione, et omni fiducia in Dei Matre collocata, in patriam festina properabat. Postquam autem pervenit Epivatos, habitavit ibidem tempore non exiguo *g* labores laboribus infirmitatesque infirmitatibus addendo, vigiliis ac jejuniis se decorans, solaque ad solum perpetuo sermocinans. Transacto vero haud exiguo tempore, intellecta sua ex hoc mundo migratione, statim ad orationem conversa est, et lachrymis faciem terræ irrigabat, atque dicebat : Amator hominum Domine, ne despicias me pauperem ancillam tuam, quæ propter nomen sanctum tuum cuncta reliqui, teque secuta sum. Et nunc, misericordissime Domine, jube ab Angelo pacis pauperculam animam meam in pace suscipi ; et ne impediatur mihi ascensus ab immundis, sordidis et malignis dæmoniis ; sed dignam me fac cum fiducia consistere ante tremendum tribunal tuum, quoniam benedictus es tu in sæcula sæculorum. Amen. Hoc modo beatam animam in manus Dei tradidit. Corpus vero ejus positum fuit in sepulcro a quibusdam Christum amantibus. Neque enim manifestavit cuiquam quænam aut unde esset ; sed permansit incognita usque ad diem migrationis ejusdem ad Deum. Ejusmodi fuerunt certamina venerabilis Parascevæ, ejusmodi luctatio spiritualis matris : quæ brevi tempore in terris certans et mala tolerans, magnam in cœlis gloriam adepta est.

Corpus ejus incorruptum

8 Verum ne hoc quidem modo passus est Deus ancillam suam longo tempore in oblivione jacere, vel putredine immaculatum illud corpus corrumpi : stupendum et circa illud miraculum exhibendo. Turricola siquidem eo tempore proximo ibidem in turri quadam semotam a rumoribus vitam agente Deoque et sibi ipsi attendente *h*, contigit nautam quempiam gravi interire morbo, atque alibi illic ejectum jacere. Cujus cadaver intolerabilem cœpit emittere fœtorem, ita quod nullus transire posset vicinam inibi viam. Non solum autem, sed et turricola, cum non posset intolerabilem fœtorem illum pati, coactus fuit de turri descendere, ac quibusdam mandare ut, excavata fossa, fœtidum illud in eam injicerent cadaver. Illis mandata exequentibus et in fodiendo festinantibus, ubi altius foveam cavarent, invenerunt corpus in terra prostratum, omni corruptione liberum. Obstupescentibus et miraculo perculsis, hæsitabant attoniti de eo quod accidis-

D set. Cæterum tamquam improbi et ignari despicientes casum seu rem parvi momenti et nihili, proximo ibidem putridum illud et fœtidum nautæ cadaver sepelierunt, perque domos dispersi omnibus manifestarunt rem quæ contigerat.

mire repertum

9 Georgius autem quidam ex illis, vir pius et Christum amans, existens in domo sua, contulit sese vesperi ad orandum, prout consueverat, supplexque Deum pro tota domo sua deprecabatur. Hic ad matutinum tempus, somno oppressus, putabat se reginam aliquam in glorioso solio sedentem videre, et multitudinem plurimam splendentium militum illi circumstantem. Hos ubi conspexisset Christi amator Georgius, illico timore correptus est, humique prostratus, nequibat claritatem et speciositatem eorum fiducialiter intueri. Unde unus illorum, apprehensa manu ejus, allevavit illum, dicens : Georgi, quare sic despexistis corpus sanctæ Parasceves? Cito extrahentes illud, in honorifica tumba collocate. Concupivit enim Rex speciem ejus, et complacuit glorificare eam in terris. Tunc et splendida illa E ad illum locuta est : Cito, inquit, extrahentes reliquias meas, decenti condite loco. Non enim diutius valeo fœtorem cadaveris illius tolerare. Nam et ego homo sum, de utero matris egressa ; patriaque mea hæc est Epivati nuncupata, quam vos nunc inhabitatis.

in templo Epivatensi honorifice conditur.

10 Eadem nocte Euphemia quædam devota femina similem huic visioni vidit visionem : quam uterque, ubi dies illuxisset, omnibus significaverunt. Quibus auditis, omnes impetu facto, magno cum affectu reliquias extrahentes, tamquam thesaurum aliquem insolitum et pretiosum admirabantur. Et accepto corpore, cum candelis et incenso aromatibusque et odoribus, cum gaudio posuerunt illud in ecclesia sanctorum et gloriosissimorum Apostolorum. In qua jacens plurima et admirabilia signa operabatur ; neque solum in regione illa, sed per cunctas circumjacentes provincias miracula ejus et signa omnibus nota facta sunt. Omnes enim circumvicini infirmitatibus detenti vel dæmonia habentes, qui cum fide accedebant, sanitati restituebantur. Et egressa est F fama illius per universam circa regionem.

Postmodum

11 Post decursum vero non exigui temporis, debilitato Græcorum imperii sceptro, permissione divina, Romani *i* hoc potiti sunt, quos virgam quoque ferream divinæ nominant Scripturæ. Constantinopoli ergo obtenta, omnia sacra vasa impudenter accipientes, sed et Sanctorum reliquias, ecclesiasticum apparatum omnem cunctasque imperii facultates atque simplici verbo universam urbis speciositatem Romam transmittentes amandarunt *k*. Cuncta hæc piorum spectante cœtu, tristitiæ ac mœroris nube contecti, nihil ab iis audiebatur nisi illud : Exurge, quare obdormis, Domine? Quare oblivisceris inopiam nostram et tribulationem nostram? Itaque in his et similibus tristitiæ nubes pios possidebat.

Joannes Asænes rex Bulgarum

12 Eodem tempore clare et fortiter pietatem sustentante piissimo Bulgarum rege Joanne Asænio, filio senioris regis Asænii *l*, nec quidquam horum improperiis perterrefacto : immo, capta temporis opportunitate, ad impiorum subjectionem viriliter exiliens, omnem Macedoniæ obtinuit di-

tionem

A tionem *m*, adhuc autem et Sær *n*, cum universo Athone sive verum dicendo Monte Sancto *o*, adhæc et gloriosam Thessalonicam *p* cum omni Thessalia *q*, necnon et Triballos *r*, Dalmatiam quoque, quæ et Arbanensium nuncupatur provincia, usque Dyrrachium *s*; in quibus metropolitas et episcopos illustres et religiosos constituit : quemadmodum claræ ejusdem chrisobuliæ *t* in almæ Lauræ Montis Sancti et Protati *u* aperta facie testificantur. Neque his contentus, sed Constantinopolim usque potenter et viriliter universa subjecit et obtinuit, ipsamque Constantinopolim depopulatus et subdens, una cum Francis qui eam possidebant, ad obedientiam suam redactis *x*.

illud a Francis Constantinopolim possidentibus

13 Hoc itaque universa possidente et corripiente, pervenit etiam ad illum fama Sanctæ Parasceves. Qua perquam jucunde accepta, inflammatus corde et sicuti cervus flammans ad fontes aquarum, ita quodammodo affectabat hic frui reliquiis Sanctæ, honorabili tumba, incorruptibili thesauro. Undique etenim miraculis claruerat, B undique jubar beneficiorum diffuderat, omnes collustraverat fines terræ. Quapropter commoditate temporis utens rex iste piissimus, bonum et Deo acceptum iniit consilium, utileque et commendatissimum. Statim ergo ad Francos Constantinopoli existentes mittit, non aurum vel argentum exigens, non margaritas aut lapides pretiosos, sed honorabilem sanctæ Parasceves tumbam. Quid enim amabilius huic fieri potuisset corpore Parasceves? Etenim assidue animo meditabatur : Etiamsi medietatem regni mei petierint, omnia paratus sum dare, sive facultates, sive aurum, sive argentum, sive margaritas, sive lapides pretiosos, cuncta dare desidero, cunctis privari, ut optatum mihi tribuant thesaurum.

obtinet, et Ternobum

14 Hæc ubi audissent Franci, mox assensere postulato, atque omni cum promptitudine et festinatione, sicut in omnibus, sic et in hoc eidem obtemperarunt, optatumque concedere jusserunt, et alia quæ humilitatem significarent miserunt, promittentes sese, si possibilitas afforet, proprias quoque animas tradituros. Cum ista imperator C intellexisset, arbitratus est se per aera volare, nec sciebat præ gaudio quid ageret. Statim ergo misit sanctissimum Marcum metropolitam magni Preslavæ *y* cum pompa plurima ad efferendum sanctum corpus Epivatorum ex loco in gloriosam civitatem Ternovo *z*. Qui cum festinatione abiens, omnia quæ honoris sunt explens, ac acceptis reverenter sacris reliquiis, celeriter in propria properabat, gratias agens Deo et sanctæ Parascevæ.

magna pompa transfert

15 Ut primum autem fines Francorum prætериisset atque in suam appulisset provinciam, omnes qui in circuitu erant, concurrebant cum candelis, incenso et myrrha odoriferis, comitantes tumbam sanctæ Parascevæ ad regiam urbem Ternovo. Quo cognito, piissimus rex Joannes Asæn egressus est civitate cum matre sua regina Elena *aa* cumque regina uxore sua Anna *bb* et universis magnatibus; cum his et reverendissimus patriarcha Kyr Basilius *cc* cum universo cœtu ecclesiastico ac innumera multitudine gentis. Et rex quidem, quique cum illo fuerant, pro- D gressus est pedes ab urbe ad quatuor stadia magno cum honore in occursum sanctæ Parasceves, quam manibus amplexantes, animo et corde amanter deosculabantur. Et allatum corpus posuerunt in basilica urbis, ubi in hodiernum diem requiescit, diversas sanitates tribuens omnibus cum fiducia et charitate ad sacram tumbam ejus currentibus. Per gratiam et philanthropiam Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium, cum Patre non habente principium, et Sancto, optimo vivificanteque Spiritu, et nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De natali Sanctæ loco Epivatis egimus num.* 14, 15 *et* 16 *Commentarii prævii, ostendimusque eum ad suburbanam Constantinopoleos regionem Callicratiam pertinuisse : unde et errorem aliquem Synaxarii Ruthenici correximus.* E

b *Conferantur num.* 11, 12 *et* 13 *Commentarii prævii, ubi hac Sanctæ nostræ et Euthymii Madytensis fraternitate adjuti fuimus ad ætatem ejus præterpropter definiendam.*

c *His verbis ipse Euthymius confitetur, quod cæteroquin lectoribus satis per se patet, in hac Vitæ parte oratorem magis se agere quam historicum proprie dictum : quidquid tamen narrat, vitæ eremiticæ congruum et pietati fovendæ aptum est.*

d *Vere speciosissima quondam erat illa æternæ Sophiæ apud Byzantinos ædes, quam prolixe diligenterque descripsit Carolus de Fresne dominus du Cange, latine Cangius passim vocatus* (1). *At modo a tribus sæculis Mahumeticæ impietatis fanum est.*

e *Templum hoc cum pluribus aliis in honorem Deiparæ exstruxit S. Pulcheria Augusta regali plane magnificentia, ita ut a Græcis tamquam metropolis quædam omnium sub Mariæ nomine dedicatarum ædium haberetur, et Nicephorus Callistus inter laudandum S. Pulcheriæ in ecclesiis monasteriisque excitandis zelum dicere non dubitaverit :* Opus ejus est sacrum Dei Genitricis templum, quod Blachernæ dicitur, dignum illa ipsa Verbi Matre, quod inhabitaret, judicatum domicilium. F *Videantur quæ de eodem scripsit laudatus Cangius* (2), *qui etiam ex Gyllio refert insigne illud pietatis Pulcherianæ monumentum jam dudum solo æquatum esse.*

f *Verisimile est hanc imaginem eamdem fuisse de qua Cangius in descriptione ædis Deiparæ Blachernarum loquitur, quamque narrant miro prodigio ad singulos dies sabbatinos sponte retegi fuisse solitam.*

g *Pro* haud exiguo *dubito an melius scripsisset interpres* aliquanto, *quum Sancta suæ in patriam reversioni non diu videatur fuisse superstes. Ita certe Synaxaristes num.* 6 *Commentarii prævii allegatus :* Regressa est in patriam Callicratiam, et PAULO POST infirmitate extrema correpta, tradidit beatam animam in manus Dei viventis.

(1) Hist. Byzant. dupl. Comment. illustr., part. II, Constantinop. Christ., lib. III, p. [illegible] et seqq. [illegible]

(2) [illegible] p. [illegible] et seqq., edit. [illegible] 1837 [illegible]

h

A h *Vivendi ratio hujus turricolæ videtur imitatio quædam fuisse vitæ Stylitarum, de qua consule Bollandum aliosque hagiographos de S. Simeone Stylita agentes ad diem* v *Januarii. Dum enim scriptor noster mox narrat eum intolerabili cadaveris inhumati fœtore coactum fuisse e sua turri descendere, hoc ipso innuere videtur eum alias inibi perpetuo perstitisse.*

i *Scriptores quidem Byzantini suos populares* Romanos *dicebant; noster vero hic scriptor, ut nemo videt, eo nomine intelligit Occidentales seu Latinæ Ecclesiæ homines, quos infra vocat* Francos : *quæ quidem posterior appellatio hodiedum quoque in Oriente adhiberi pergit ad designandum non Franciæ solum, sed et aliarum regionum occidentalium incolas.*

k *Fatendum est non omnino falsa esse ea quæ auctor hoc loco memorat de direptione urbis Constantinopoleos a victore Latinorum exercitu, deque rebus pretiosis ac speciatim Sanctorum reliquiis in Occidentem missis. Plura circa hanc rem, non tan-*
B *tum ex Niceta Choniate, qui nimium fortassis Latinos criminatus est, verum etiam ex scriptoribus occidentalibus adducunt Hurter in Historia Innocentii III* (1) *et Michaud in Historia bellorum sacrorum* (2). *Cæterum male Euthymius* Romam *solam hic nominat, ac si omnes illi thesauri tam sacri quam profani ad eam urbem missi fuissent, quod sane a vero abhorret.*

l *Senior Asan is est, qui cum fratre Petro Bulgaris auctor fuit defectionis a Byzantino imperio circa annum* 1185 : *unde altera regum Bulgariæ series ab eo inchoata fuit. Occiso Asane anno* 1195, *moxque Petro quoque e medio sublato, regnum capessivit frater eorum Joannes sive Joannicius. Huic successit Borilas sororis filius, Joanne Asanis filio adhuc impubere apud Russos interim commorante : qui post aliquod tempus in patriam reversus cum copiis, devicto Borila, universa ditione Bulgarorum potitus est. De eo igitur agit hoc loco Euthymius, et nos jam egimus in Commentario prævio num.* 19 *et sequentibus.*

m *Reapse Joannes Asanes aliquando ex Bulga-*
C *ria austrum versus cum exercitu profectus, Adrianopolim præcipuam post Byzantium Thraciæ civitatem, deinde Didymotichum, Serras aliaque loca sibi subjecit, sicque Macedoniam ingressus est; unde ad meridiem in Thessaliam excurrit, quæ et Magna Blachia dicebatur, ex parte vero occidentali ad Illyricum usque rapinis omnia vastavit. Tum castellis aliquot in Græcorum dominium relictis, sed plerisque sibi reservatis, in quibus milites et duces quæstoresque ad tributa exigenda reliquit, in patriam triumphans regressus est, Theodoro Angelo Comneno, qui imperatoris nomen sibi Thessalonicæ adsciverat, captivo secum abducto. Narrat hæc Gregorius Acropolita* (3) : *non tamen, uti Euthymius noster nimio patriæ studio facit, hæc omnia pro pietate gessisse Asanem jactat; quin potius aperte adstruit eum dominandi cupidine hæc fuisse molitum, quod utique* D
propius fidem est.

n *Nomine* Sær *haud dubie hic* Serra *seu* Serræ *significantur, quæ erat Macedoniæ quondam civitas, et nunc etiam sub Turcico dominio satis conspicua atque incolis frequens est, vulgo* Seres *dicta.*

o Athos *mons Macedoniæ, a Græcis* Mons sanctus, ὄρος ἅγιον, *per antonomasiam vocitatus, instar peninsulæ in mare Ægæum excurrit, et monachorum Græcorum, Ruthenorum, Moldoblachorum, Serbliaorum ac Bulgarorum habitaculum est, qui illic cœnobia habent circiter viginti. Illius descriptio, facta a Joanne Comneno medico sub initium superioris sæculi, in Palæographia Græca Montfauconii* (4) *legi potest; sed cum illa viri schismatici lucubratione conferre juverit illa quæ missionarius Societatis Jesu nescio quis circa idem tempus de famoso illo monte ejusque incolis in commentarios suos retulit* (5).

p Thessalonica *Macedoniæ olim metropolis, hodie per corruptionem* Saloniki *nuncupatur, estque etiamnum insigne emporium, quinquaginta incola-* E
rum millia numerans.

q *Pristinæ* Thessaliæ *pars australis novo regno Helladis nunc accensetur; reliqua pars Turcarum sultano adhuc subjacet.*

r *Erant* Triballi *Bulgarorum vicini occidui* (6), *quos eosdem ac Servios fuisse asserit Nicetas Choniates* (7).

s *Optime Farlatus* (8) : Albania nostra Illyrica extremam Dalmatiæ partem et finitimam Epirum novam cis ultraque Drilonem fluvium *(vulgo* Drin *vel* Drino) complectitur. Hinc duplex Albania Illyrica, altera Dalmatica inter Drilonem et sinum Rhizonicum, altera Epirotica a Drilone usque ad montes Acroceraunios. *Posterioris hujus Albaniæ civitas est* Dyrrachium, *antiquitus* Epidamnus, *nunc vulgari nomine* Durazzo, *ad mare Adriaticum.*

t *Rectius* chrysobulla *vel* chrysobullæ, *id est,* bullæ aureæ, *diplomata cum appensis aureis sigillis. Quos autem metropolitas et episcopos Joannes Asan in devictis a se regionibus instituerit, vellem Euthymius singillatim indicasset.*

u *Monasterium* Laura *dictum, inter præcipua* F
Montis sancti connumeratum, in ipsis radicibus celsissimi montis qui proprie Athos vocatur, situm est. Longius inde atque a mari distat Protaton, *apud quod est locus* Caræs *seu* Kereis *nuncupatus, ubi est monachorum forum variæque artificum officinæ, ac sedes præfecti Turcici ad civile regimen et tutelam Athonitarum deputati, qui communibus monasteriorum expensis victum habet : præterquam quod et vectigalia graviora magistratui Thessalonicensi monachi solvunt* (9).

x *Verum est Joannem Asanem cum Asane Duca Vatacio ad annum* 1235 *ingentem vastitatem intulisse Latinorum terris atque ipsam Constantinopolim obsedisse; sed tantum abfuit ut Francos urbem tenentes ad obedientiam suam redegerint, ut potius*

(1) Hist. d'Innocent III, t. I, lib. VIII, p. 592 et seqq., edit. Bruxell. 1839.
(2) Hist. des Croisades, t. V, lib. XI, p. 107 et seqq., edit. Bruxell. 1841.
(3) Annal., p. 11 et seqq., edit. Bonn. 1837.
(4) Pag. 441 et seqq. Cfr ibid., p. 111.
(5) Lettres édifiantes, mémoires du Levant, tom. II, p. 58 et seqq., edit. Tolos. 1810.
(6) Cfr Cellarius, Notit. orb. antiq., t. I, lib. II, cap. VIII, sect. [illegible], p. 156, edit. Swartz.
(7) Pag. 23, edit. Bonn. 1835.
(8) Illyr. Sacr., tom. VII, p. 190.
(9) Montfaucon, Palæogr. Græc. pag. 436-437, 452-457, 484, et 485.

cum

A *cum paucis admodum militibus Joannes Briennius numerosissimum Græcorum et Bulgarorum exercitum fuderit atque dissipaverit* (1). *Quam victoriam Georgius Acropolita dissimulavit, noster vero Euthymius prorsus distorsit in contrarium.*

y *Qui hinc innotescit* Marcus *Preslavæ seu Marcianopoleos antistes, latuit penitus Lequienum* (2) *et Coletum* (3), *ac proin catalogo metropolitarum Marcianopolitanorum a duobus iis scriptoribus concinnato addendus est. De Marci decessore, qui anno* 1204 *pallium ab Innocentio Papa III accepit, agunt illi quidem, at nomen ejus ignotum sibi esse uterque profitetur, sicut et Belesbugdensis, qui simul pallio ornatus fuit, metropolitæ* (4). *Porro hunc* Anastasium, *illum* Saccam *vocatum fuisse, demonstrant litteræ pro palliis petendis ad Innocentium missæ, quas anno* 1791 *publici juris fecerunt academici Galli Feudrix de Bréquigni et Laporte du Theil* (5). *Sed alios plurium ecclesiarum præsules per easdem litteras cognoscimus, quos perinde ac jam dictos metropolitas Lequienus et Coletus ignorarunt.* B *Quare omnium nomina ac titulos hic referre juverit, prout ipsi Romano Pontifici indicarunt, scilicet :* In primis peccator et humilis metropolitanus sanctissimæ ecclesiæ Belesbudii Anastasius; post eum peccator et humilis metropolitanus Saccas magnæ ecclesiæ Prostlave; et episcopus, licet indignus, sanctissimæ ecclesiæ Dei Genitricis de Scopia Marinus; humilis episcopus sanctissimi episcopatus [Prisdiani Abraham; peccator et humilis episcopus] sanctissimæ ecclesiæ beati et gloriosissimi magni Martyris Procopii de Niso Kiricus; et indignus episcopus atque peccator sanctissimæ ecclesiæ Dei Genitricis Hydmensis Clemens. *Quæ uncis inclusimus, laudati academici in marginem rejecerunt. De ecclesia* Scopiensi *Coletus agit initio tom. VIII Illyrici sacri. Episcopatus qui hic* Prisdianus *dicitur, idem fortassis est ac* Pristensis *seu* Sexantapristensis, *de quo Coletus eodem tomo pag.* 125, *inter suffraganeos ecclesiæ Marcianopolitanæ. Ecclesiam de* Niso *arbitror esse* Naissitanam, *quæ a Coleto sub metropoli Scopiensi collocatur. Denique* Hydmensem *ecclesiam nullibi* C *locorum reperi equidem; suspicio vero mihi est de sphalmate a librario vel typotheta commisso : quippe* D *Bydinensem episcopatum, de quo Coletus a pag.* 154 *citati tomi agit, hic intelligendum esse opinor, quum locum illum Bulgariæ regibus olim paruisse certum sit.*

z *De* Ternovo *seu* Ternobo *diximus num.* 18 *Commentarii prævii.*

aa *En nomen uxoris Asanis senioris, quod in genealogiis regum Bulgariæ apud Cangium* (6) *et Stritterum* (7) *frustra quæsieris. Narrat Nicetas, sed tacito* Helenæ *nomine, eam ab Isaacio Angelo, contra Asanem ejus conjugem in aciem progresso, captam fuisse* (8), *anno circiter* 1187 *: qua ex captivitate quando aut quomodo evaserit in incertis relictum est.*

bb *Hanc* Mariam Ungaram *nuncupat Acropolites* (9), *et secundum ipsum Cangius* (10) *ac Stritterus* (11). *Cangius filiam dicit Andreæ II regis Hungariæ, ex quo etiam S. Elisabeth Thuringiæ landgravia nata est; carpit vero Pistorium, quod Belæ IV filiam et* Annam *appellarit, sed carpit immerito : nam Pistorius Annam Belæ IV filiam non at-* E *tribuit Joanni Asani uxorem, sed Roscislao regi Bulgariæ* (12), *quem potius ducem Bulgariæ cum Balbino* (13) *dixerim; Pistoriumque in hac re sequitur prænobilis S. Elisabethæ biographus comes de Montalembert* (14). *Jam vero, ut ad propositam de uxore Joannis Asanis quæstionem redeamus, quum solus Acropolita, isque Bulgaris alienus, auctor sit eam* Mariam *habuisse nomen, forsitan potior in hoc argumento fides adhibenda est Euthymio regiæ quondam Bulgarorum urbis archiepiscopo, eamdem* Annam *diserte nominanti : nisi tamen quis malit factam fuisse in ipsis nuptiis metonomasiam, uti Græcis tum temporis familiare fuisse asserit Cangius* (15), *aiens Margaritam Hungaram, quando eam Isaacius Angelus uxorem duxit, Mariam nuncupari cœpisse; et idem hodie apud principes Russos, quum alienigenas sibi matrimonio conjungunt, in more positum esse cernimus.*

cc *Est vox truncata* Κύρ *pro* Κύριος. *De* Basilio *Ternobensi antistite videantur quæ in Commentario prævio num.* 18 *et* 22 *diximus; sed præsertim de eo consulatur Coletus in Illyrico sacro, qui tamen* F *breviorem facit Basilii vitam, quam eam reipsa fuisse ex Euthymio nostro discimus.*

(1) Raynald. Annal. eccles. ad an. 1235, num. LI et seqq.
(2) Oriens Christ., tom. I, col. 1220.
(3) Illyr. Sacr., tom. VIII, p. 103.
(4) Lequien, t. cit., col. 1240; Coletus, t. cit., p. 246.
(5) Diplomata, Chartæ, etc., part. II, tom. II, p. 449.
(6) Hist. Byzant., part. I, p. 319.
(7) Memoriæ populorum, etc., t. I, part. II, p. 459.
(8) Hist., p. 521, edit. Bonn.
(9) Annal. p. 54.
(10) Loc. cit. p. 320.
(11) Loc. cit.
(12) Genealog. reg. Hungar. inter Script. rer. Hungar., t. I, p. 764, edit. Schwandtner.
(13) Miscell. hist. regn. Bohem. dec. I, lib. VIII, tab. V, genealog. post p. 138.
(14) Hist. de Sainte Elisabeth, tabl. généal., ad p. 343, edit. Paris. 1841.
(15) Op. cit. p. 334.

DE

A

DE B. MAGDALENA DE PANATERIIS

VIRGINE, TERTII ORDINIS S. DOMINICI

TRIDINI IN DIŒCESI VERCELLENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

B **B. Magdalenæ biographi, ortus, mors, sepultura, miracula, imagines, conventus, legata, cultus approbatio.**

ANNO MDIII.

Quum *de cultu* B. Magdalenæ de Panateriis, *quam aliqui* de Tridino *appellant, nil satis certi reperirent Decessores, eam inter Prætermissos posuerunt ad diem* XIII *Octobris. Verumtamen jam ab ejus mortis tempore, anno nempe* 1503, *ei in patrio oppido cultus publicus delatus fuit; qui quum die* XXII *Septembris anni* 1827 *a S. Rituum Congregatione probatus fuisset, ejus nomen inscriptum est Martyrologio ordinis FF. Prædicatorum, auctoritate apostolica approbato, quod in modum auctarii editum habes post Martyrologium Romanum, anno* 1846 *Mechliniæ juxta exemplar Romanum anni* 1845 *typis excusum. Ibi itaque ad diem* XIV *Octobris legitur :* In oppido Tridinensi Beatæ Magdalenæ de Panateriis Virginis ordinis nostri, quæ innocentiam simul et patientiam conjungens, promeruit donis cœlestibus insigniri, ac tandem meritis et virtutibus plena, repositam in cœlo coronam accepit. *Præterea celebrari in diœcesi Vercellensi et in universo ordine FF. Prædicatorum alibi dicendi locus erit. Extra omnem itaque controversiam beatæ hujus Virginis cultus positus est.*

B. Magdalenæ, *cujus cultus certissimus.*

C

2 *Antiquissima quæ de* B. Magdalena *exstat memoria legitur in opere Ms. de Insignis Ordinis Prædicatorum Distinctione septima F. Ambrosii Taegii,* B. Magdalenæ *coævi* (1). *Hinc scilicet in Summarium, confectum pro cultus recognitione, illata sunt hæc verba* (2) : De quibusdam Sanctis mulieribus, quæ de isto statu *(tertio ordine)* fuerunt.... In castro Tridinensi etiam claruit quædam devotissima virgo, quæ soror Magdalena dicebatur : in vita et in morte miraculis clarissima, cujus venerabile sepulchrum ab incolis devote visitatur. *Hæc Taegius circa annum* 1517. *Proxime, ni fallor, sequitur Vitæ summarium, quod Seraphinus Razzi, ex O. P. et ad S. Marci Florentiæ professus, Vitis Sanctorum sui ordinis inseruit. Prodiere hæ lingua Etrusca primum Florentiæ anno* 1577 ; *ibidem iterum et quidem auctæ anno* 1588 ; *similiter Panormi anno* 1605 ; *et demum, in idioma Gallicum a Joanne Blancone Minorita conversæ, Parisiis anno* 1616 (3). *Sola editio Panormitana mihi ad manum est* (4) ; *sed video eam consonare cum secunda Florentina, quæ in Summario citatur* (5). *Quantum vero studium Razzi seu Ractius, vir cæterum in omni fere litteraria disciplina præcellens, in his conscribendis posuerit, ubique fere deprehenditur ; adeoque testatur ipsemet se intra unum annum* 1572 *plura quam* 900 *milliaria italica peditem ivisse, præcipuas Italiæ regiones percurrendo, Picenum, Romandiolam seu Flaminiam, Longobardiam et Pedemontium, vetera in tabulariis monumenta perscrutando, bibliothecas lustrando, et chronica locorum ac conventuum revolvendo ; ut nulli sane diligentiæ pepercerit* (6). *Nil itaque mirum, si tam eximie hoc opus suis probaverit, ut Fr. Seraphinus Cavalli O. P. generalis magister, anno* 1575 *omnibus et singulis conventibus Fratrum et Sororum provinciarum Italiæ præceperit ut hunc sibi librum coemerent, quo domestica exempla pro bene instituenda vita illis suppeterent. Quod præceptum novis deinceps editionibus adjectum legitur.*

Vitam scripserunt plures in Italia sæculo XVI

E

3 *Similem collectionem italicam anno* 1607 *et iterum anno* 1620 *edidit Joannes Michael Pio* (7) ; *atque in hac quoque* B. Magdalenæ *Vitam exstare intelligo* (8) : *adeoque quæ in ea leguntur præcipua in Summarium* (9) *translata fuerunt. Vitam vero italice ex professo, breviter tamen, conscripsit Petrus Antonius Fondazucca ex eodem Ordine, patria Tridinensis et* B. Magdalenæ *consanguineus* (10), *eamque anno* 1644 *typis Mediolanensibus excudendam curavit* (11); *quæ scriptio latuit Quétif et Echard. Fondazuccæ vestigiis institit Dominicus Maria Marchese ejusdem ordinis, qui anno* 1679 *Neapoli in lucem dedit tomum quintum Sacri Diarii Dominicani* (12), *cui ad diem* XIII *Octobris* B. Magdalenæ *Vitam jure merito illevit.*

itemque sæculo XVII

F

4 *Fondazuccam quoque secutus est Joannes Andreas Baci, Congregationis Oratorii presbyter, qui anno* 1707 *Florentiæ prelo subjecit Acta quorumdam Sanctorum et Beatorum O. P. italice pariter*

et sequentibus;

(1) Biblioth. FF. Prædic., tom. II, p. 35.
(2) Summarium, etc., pag. 17.
(3) Quétif et Echard Scriptt. O. P., tom. II, pag. 387.
(4) Vite dei Santi et Beati del sacro ordine de' Frati Predicatori cosi huomini come donne. Con aggiunta di molte vite, che nella prima impressione non erano.
(5) Summarium, etc., pag. 18.
(6) Cfr Quétif et Echard, l. c.
(7) Ibid. tom. II, pag. 540.
(8) Cfr Marchese Sagro Diario Domenicano, t. V, p. 406.
(9) Summarium, etc., pag. 17.
(10) Joannes Andreas Iric. Histor. Tridin. pag. 376.
(11) Ibid. l. c. et Marchese pag. 406.
(12) Sagro Diario Domenicano, tom. V, pag. 408-413.

conscripta

A *conscripta* (1). *Similiter Fundazuccæ vestigiis institit canonicus Josephus Antonius de Moroni, U. J. D., qui Memorabilibus suis Casalensibus, lingua italica conscriptis, sat amplum* B. Magdalenæ *encomium inseruit; quod mihi iterum præsto est in Summario* (2). *Copiosior est Joannes Andreas Iricus J. C. ac Theologus Tridinensis, qui in Historia patriæ suæ, quam anno* 1745 *Mediolanensibus typis excudendam curavit,* B. Magdalenæ *res passim explicat. His adjungas oportet brevem notitiam, a Canonico Galliona conscriptam et anno* 1757 *typis regiis Taurini editam* (3); *eam quoque excusam habes et quidem integram in Summario* (4). *Atque hoc Italorum agmen claudit Joannes Rosatinius, qui coram S. R. C. causam dixit de cultu immemoriali* B. Magdalenæ; *qua occasione nitidum et valde bonum hac de re edidit commentarium; cui pro more additum est Summarium, ea omnia complectens, quibus palam fieret* B. Magdalenam *publice cultam fuisse centum annis ante decreta Urbani papæ VIII, quæ ab aliis anno* 1634,
B *ab aliis* 1639 *edita censentur.*

similiter in Gallia et alibi;

5 *Demum de* B. Magdalena *notitias habes in pluribus libris gallice conscriptis videlicet in opere Joannis a S. Maria* (5), *cui Michael Pio dux præivit; in priori parte Octobris Magni Anni Dominicani, quam Jacobus Lafon O. P. anno* 1712 *Ambiani typis credidit; item in Supplemento Vitarum Sanctorum Butleri seu Godescardi* (6), *quod R. D. Tresvaux anno* 1834 *publici juris fecit, et quod R. D. De Ram per nuperrimam suam earumdem Vitarum Sanctorum editionem disposuit* (7) *et in aliis similibus libris.*

præcipui tamen fontes Ractii et Fundazuccæ scripta.

6 *Atque ex hac recensione manifestum est præcipuos fontes, ex quibus hauriantur* B. Magdalenæ *gesta, scriptiones esse Ractii et Fondazuccæ; quum reliqui fere omnes narratus suos ex alterutra prompsisse videantur. Ipse vero Ractius omnia fere sua desumpsit ex vetusta tabula picta; Fondazucca autem* B. Magdalenæ *acta, teste Joanne Andrea Irico* (8), diligenter undique conquisivit; *adeoque præ oculis habuit commentarios seu informationem juridicam, quam anno* 1609 *et* 1610 *de miraculis instituit Laurentius Cortino, protonotarius apostolicus et vicarius generalis Tullii seu Julii Carretti, episcopi Casalensis, et quæ in Tridinensi Prædicatorum cœnobio anno* 1644 *adhuc conservabatur* (9). *Quocirca operæ non peperci, ut, si quo modo fieri posset, Fondazuccæ librum alicubi nanciscerer; verum ita incassum cesserunt conatus, ut ne in bibliotheca quidem conventus Romani O. P., cui vulgare nomen Minerva, eum repererim. Quid ergo? Satius visum est qualemcumque de hac Beata conscribere Commentarium quam in nescio quod aliud hunc laborem differre tempus. Et quidem, quum Marchesius et Iricus, qui Fondazuccæ opusculo usi sunt,* mirum in modum inter se concordent, hoc fere solo D *discrimine quod Marchesius in narrando copiosior est; quumque similiter lectiones secundi Nocturni, in officio ecclesiastico recitandæ, maxime ex Fondazucca depromptæ fuerint; intellexisse mihi visus sum Marchesium universum Fondazuccæ libellum in sacrum Diarium intulisse, miraculis solis epitomatis: unde fit ut, dum ex una parte dolendum sit quod non liceat ex ipso fonte bibere, ex altera tamen non ambigendum videatur quin rivi pleni sint et omnino puri. Quibus præmonitis, venio ad* B. Magdalenæ *ortum, vitæ tempus et cultum.*

B. Magdalenæ locus, paternum et maternum genus,

7 *Milliario vix altero a Pado flumine, Aquilonem versus in ea Italiæ regione, quæ Monsferratus dicitur, octavo circiter ab urbe Vercellis lapide Tridinum assurgit, munitissimum olim municipium, nunc vero tametsi bellorum injuria circumpositis mœnibus dejectis atque arce eversa, inter præcipuas ejus oræ urbes et principum et scriptorum consensu recensitum: ita Iricus* (10) *de patria sua scribens anno* 1745; *adeoque anno* 1839, *ut ex tabulis statisticis* (11) *constat* 8217 *incolas capiebat. Olim, ut dictum, intra Montisferrati fines claudebatur, nunc* E *annumeratur provinciæ Vercellensi; olim pars diœcesis Casalensis* (12), *nunc vero per concordatum anni* 1817 *Vercellensis* (13). *Florebat in hoc oppido ab ineunte saltem sæculo* XIV *nobilis familia de Panateriis, seu de* Panatieri (14), *paternum* B. Magdalenæ *genus; et similiter domus de Fondazucca* (15), *ex qua beatæ virginis mater nomen et originem ducebat. Fondazuccæ, testis utique idonei utpote consanguinei, auctoritate fulti Joannes Iricus* (16) *Marchesius* (17) *et reliqui consentiunt hæc fuisse patris et matris nomina gentilitia, cognomina vero ignoraverunt.*

tempus nativitatis et mortis,

8 *Quo anno nata sit discendum foret ex comparatione ejus ætatis cum anno mortis: verum hic non minima difficultas. Ractius* (18) *enim, qui notitiam suam ex inscriptionibus, tabulæ pictæ Anconitanæ illetis, desumpsit, sic hac de re disserit:* Quum tela, *inquit,* corrupta sit, pictura lacere et literæ et abaci fere omnino cancellata, hinc factum ut, sæpius ad illas notas considerandas redierim, eas tamen interpretari non potuerim: id solum intelligere potui Beatam vita functam post annum MCCCC. *Verum Fondazucca et Iricus oculis suis lustrarunt Tridini* B. Magdalenæ *imaginem, statim pictam post obitum (ut inferius dicetur), in qua etiamnum hæc leguntur verba* (19): Obiit hæc Beata Virgo Magdalena anno Domini 1503 die 13 Octobris. *De mortis itaque tempore nullum legitime moveri potest dubium. Ast annus nativitatis minus certus. Ractius enim, vir tam sollicitus ne incerta pro certis obtrudat, asseverat* B. Magdalenam *anno ætatis suæ* quinquagesimo *ad Superos ivisse; quo fieret ut anno* 1453 *in lucem edita esset.*

(1) Hist. Tridinensis, pag. 243.
(2) Summarium, pag. 25 et seqq.
(3) Atti de' Santi che fiorirono ne' dominj della real Casa di Savoja tratti da un cod. ms. del Canon. Pier Giacinto Gallizia di Giaveno tom. VI, pag. 373.
(4) Summarium, pag. 15 et et seq.
(5) Les vies et actions mémor. des Saintes et Bienh. du premier et du tiers ordre de S. Dominique, tom. II, pag. 252.
(6) Supplém. aux Vies des Peres, Martyrs, etc. Oct. Nov. Déc., pag. 67 et seqq.
(7) Cfr Vies des Peres, etc. edit. Bruxel. 1858, tom. V, pag. 471.
(8) Hist. Tridinensis, pag. 376.
(9) Marchese, tom. V, pag. 413, Iricus, pag. 338.
(10) Hist. Trid., pag. 1.
(11) Informazioni Statistiche, censimento della popolazione, 1839 pag. 37.
(12) Iricus, pag. 1.
(13) Traités publics de la M. R., de Savoie, t. IV, p. 317.
(14) Iricus, pag. 116.
(15) Ibid., loc. cit.
(16) Pag. 242.
(17) Pag. 408.
(18) Pag. 6 f
(19) Summarium, pag. 2.

A *Contra Michael Pio* (1) *annum sexagesimum scribit; quem etiam habet Fondazucca et Marchesius; atque juxta id assertum nata esset* B. Magdalena *anno* 1443; *et quidem Galliona* (2) *et Moronius* (3) *apertis verbis hunc annum signant. Magnum sane huic sententiæ pondus addit Fondazuccæ nomen; verum quum fieri posset ut ipse, non secus ac reliqui, per Michaelem Pio in hanc partem ducti fuerint, non ausim Ractio fidem abrogare; sed satius ad medium circiter sæculum* XV B. Magdalenæ *ortum signaverim.*

cultus incœptus statim post mortem; sepulturæ et reliquiarum fata.

9 *Quam primum ex his terris abivit* B. Magdalena, *cœpit populus Tridinensis perrexitque deinceps eam publice colere: adeo fama sanctitatis et quæ narrabantur prodigia omnium animos commovebant! Et quidem, ut testes sunt ex Fondazucca Marchesius, Iricus aliique, sacrum cadaver, ut confluentibus ex universa Montisferrati ditione populis satisfieret, triduo fere insepultum, suavissimum semper efflavit odorem; et cum paternis ex ædibus ad Prædicatorum Sanctæ Catharinæ templum inter* B *communes civium lacrymas deferretur, visa est nubes candida splendoribus coruscans feretrum tegere; cujus rei quadraginta homines testes fuisse addit Ractius, et quatuor ardentia luminaria, de quibus etiam meminerunt Galliona* (4), *Pio* (5) *et Marchesius, ad angulos apparuisse: virtutum cardinalium, quas egregie coluerat, indicia, prout nubes candida illibatæ ejus innocentiæ signum. Ita* B. Magdalenam *sepultam in Tridinensi FF. Prædicatorum templo unanimiter tradunt Taegius, Ractius, Pio, Fondazucca, Marchesius, Galliona, Iricus et Moronius; ejus corpus postea retectum fuisse et nonnullas partes recisas certum quoque videtur, quandoquidem medio sæculo* XVIII, *teste Irico, manus argenteo vasculo inclusa colenda proponeretur; et caput (nisi forte sphalma sit, quo capo pro corpo in Summario excusum sit) quoque seorsim ibidem aliquando servatum fuisse, sed postea bellorum tempore furto aut casu deperditum tradit Moronius* (6). *Verum quo loco primitus repositum fuerit* B. Magdalenæ *corpus jam pridem ignoratur. Re quidem vera anno* 1620 *scripsit Michael Pio* (7) id multa C veneratione servari in altari, sub ejus nomine dicato, *de quo plura postea; sed id, si verum sit, quomodo scribere potuit Galliona memoriam sepulturæ periisse aut saltem nesciri quo bellorum tempore corpus fuerit delatum? Non enim ab anno* 1620 *videtur Tridinum graviter a bellis passum, sed medio sæculo* XVI. *Cæterum præsenti ævo ne ipsa quidem amplius videtur superesse manus; nulla saltem anno* 1825 *et sequenti, quum de cultu probando actum est, informatio de reliquiis facta legitur. Sed ex hoc diverticulo ad miracula redeamus.*

miracula authentice collecta;

10 *Iricus* (8) *itaque, veniens ad sanationes aliaque id genus:* Multis etiam post obitum, *inquit*, claruit miraculis, duos enim sanavit paralyticos, claudis *(duobus)* gressum, *(duobus)* in agone jam laborantibus salutem, et puellæ, quæ mortua in lucem edita fuerat, vitam invocata donavit. *Duo ex his miraculis picta erant in tabula, de qua jam pluries cum Ractio diximus: adeoque hinc idem* D *Ractius alterum sic exponit:* Mulier nobilis puellam mortuam pepererat; ast a fratre suo germano, qui Prædicatorum Ordini inscriptus erat, excitata ut, concepto voto, B. Magdalenæ auxilium imploraret, reapse votum fecit, eaque intercedente, filiolam suam vivam recepit et salvam. *Alterum autem hoc narrat modo:* Paralyticus, audiens miraculorum famam, quæ, implorato B. Magdalenæ auxilio, fierent, votum quoque Deo obtulit; atque ipse similiter ejus meritis et orationibus incolumis factus, prodigium palam fecit Deumque in sua Sancta gloriosum prædicavit. *Utrumque hoc miraculum, adjectis aliquot adjunctis narratur etiam a Moronio* (9). *Atque hæc videntur brevi post* B. Magdalenæ *obitum patrata. Sed postea videntur multo plura facta esse; ut manifeste testatur Iricus, quum post narrata septem illa prodigia subdit:* Hæc pauca tantum insigniora prodigia commemoravimus, plura enim sunt vel quæ a scriptoribus recensentur, vel oculis nostris conspeximus. *Similiter Marchesius, postquam septem illa* E *indicavit miracula, indefinite de multis aliis loquitur; de quibus informationes juridicæ institutæ fuerunt, non anno tantum* 1610, *ut habet ille idem, sed et præcedenti, quemadmodum habemus ex Irico, laudes Laurentii Cortini his prosequenti verbis* (10): Laurentius Cortinus, patricius Tridinensis municipio nostro magnam peperit laudem, inter canonicos cathedralis basilicæ Casalensis VIII Kal. Octobris anno MDCV merito computatus. Mox apostolici protonotarii dignitatem assecutus, a Tullio * Carretto Casalensi episcopo in vicarium generalem assumitur. Hoc muneris, prout publicæ nos docent tabulæ, jam exercebat anno MDCIX et sequenti, qui fuit salutis humanæ MDCX; miraculorum, quibus beatam civem nostram Magdalenam decoraverat Omnipotens, testes examini subjecit, quemadmodum posteros monuit in Actis ejusdem virginis Petrus Antonius Fondazucca.

* Julio?

alia cultus argumenta, brevius hic exhibita.

11 *Sed et luculentius illustrat* B. Magdalenæ *cultum ille idem Iricus* (11): Ab ipso statim obitu, *inquit*, summa veneratione a Tridinensibus finitimisque culta est, convenientibus ad aram ipsius F nomine Deo dicatam in ipso S. Catharinæ templo omnium ordinum viris tamquam ad tutissimum patriæ asylum; quod etiam testantur argenteæ imagines, pictæque tabellæ complures susceptorum votorum monumenta, inter quas parentes quoque mei, quod me vix natum dysuria laborantem beneficentissima virgo repente sanaverit, argenteum puerum appenderunt. Hoc ideo commemorare libuit, ut aliqua saltem ex parte gratum erga tantam civem animum posteritati commendarem. Annua transitus ejus die, qua publice dextera illius manus, argenteo inclusa vasculo et episcopalibus munita sigillis, colenda proponitur jam post bina sæcula incorrupta, feriari solent artifices, sacroque solemni patriæ decuriones cum prætore ex vetusto avorum placito inter-

(1) Cfr Summarium, pag. 17.
(2) Ibid., pag. 16.
(3) Ibid., pag. 25.
(4) Summarium, pag. 16.
(5) Ibid., pag. 17.
(6) Ibid., pag. 27.
(7) Ibid., pag. 17.
(8) Pag. 243.
(9) Summarium, pag. 27.
(10) Pag. 338.
(11) Pag. 243 et 244.

sunt....

A sunt.... Constans adeo est apud nostrates ejus sanctitatis fama ut, cum alii plures ex utroque sexu cives nostri, quemadmodum vel ex hac patet qualicumque Historia, inter Superos cum Christo æterna luce frui credantur, Magdalena tamen quasi per antonomasiam BEATA appelletur, ejusque imagines radianti diademate coronatæ non recentis tantummodo, sed vetustissimi etiam operis in templis, privatisque ædibus asserventur.

explicantur: atque imprimis describitur ejus altare,

12 *Sed de his omnibus explicatius dicendum; et imprimis de ara et capella* B. Magdalenæ. *Ipsemet Iricus, templum FF. Prædicatorum Tridinense describens, hujus aræ et capellæ ornatum in hunc modum delineat* (1) : Superest, *inquit*, describenda nunc ara Beatæ Virgini civi nostræ Magdalenæ sacra. Plasticis ornamentis totum decoratum est sacellum, quibus insertæ sunt tabulæ plures, quas inter memorabilis Christi Redemptoris nativitatem exhibens, opus Octaviani de Canibus patricii nostri, aliaque proferens cum divino infante matrem, Joannem Baptistam, virginemque B Luciam. Hanc tabulam majorem olim memorati sacelli Pergamorum Gaudentius Ferrarius elaboravit. In ara autem ædiculæ, de qua verba facimus, prostat haud ita pridem ad veteris normam renovata tabula, quæ intuentibus subjicit Christum Dominum fulgura stringentem; ad cujus pedes provoluta preces effundit Beata Civis nostra, ut quod vivens impetraverat a patriis finibus iracundiæ fulmen avertat ; adstantibus etiam patriarcha Dominico et Rosa Limensi, *imo S. Catharina Senensi.*

dein tabula statim post mortem picta,

13 *Quum autem anno* 1825 *ageretur de impetranda confirmatione cultus* B. Magdalenæ, *duo pictores, videlicet R. D. Hieronymus Accomazzi, parochus, et Cl. V. Nicolaus Pezzana, coram Josepho Marchisio, præposito, vicario foraneo et delegato Ill. D. Josephi Mariæ Grimaldi, episcopi Vercellensis, die* 17 *Octobris cum juramento declararunt* (2), *se examinasse secundum artis suæ leges illam tabulam, in qua nempe* B. Magdalena, *vestibus religiosis induta, pedibus suis stans et gloriosis radiis coronata, exhibetur, atque ex hoc examine* C *sibi constare eam esse veram* B. Magdalenæ *imaginem, eamque fuisse pictam ex cadavere (ut faciei et manuum lineamenta satis indicare videantur), licet artifex studuerit ut omnino viva appareret Christi Serva ; præterea subtus effigiem hanc a se lectam inscriptionem :* Obiit hæc Beata Virgo Magdalena anno Domini 1503 die 13 Octobris; *hanc vero inscriptionem et capiti circumfusos radios ejusdem esse ævi. Hæc illi. Ex quo testimonio colligitur hanc tabulam pictam esse intra triduum, quo insepultum mansit* B. Magdalenæ *cadaver ; deinde ejus cultui publico statim initium datum post mortem, ut argumento sunt radii et* Beatæ *appellatio ; et demum picturæ restaurationem, quam non diu ante* 1745 *factam dixit Iricus, ita fuisse levem ut antiqua tabulæ species nil passa sit.*

præterea plura anathemata,

14 *Imagines argenteas, quarum meminit Iricus, aliaque anathemata adhuc exstare authentico documento testatus est magistratus civilis die* 27 *Septembris anni* 1825 (3) ; *sed ex tabellis pictis, susceptorum votorum monumentis, ut ille idem Iricus loquitur, una adhuc superest, et altera postea accessit, quemadmodum ex alio documento authentico* (4) *diei* 15 *Octobris anni* 1825 *intelligimus. Illa autem, ut ibidem legitur, annum* 1611 *inscriptum habet refertque matrem, cujus filiolus in ignem lapsus, supplicantem* B. Magdalenæ *atque hanc e flammis educentem puerum ; altera anni* 1757 *est, refertque effigiem* B. Magdalenæ *et religiosi Dominicani, lecto decumbentis. Cujus autem rei gratia apposita fuerit hæc tabula italice hunc in modum indicatur :* Die duodecima mensis Junii, Dominica infra octavam Corporis Domini, Alexandriæ in gravem morbum incidi, meque instanter commendavi precibus B. Magdalenæ Tridinensis. Eodem porro momento temporis, quo ei supplicabam, mortis periculo liber factus sum. Quocirca in gratiarum actionem et in signum memoris mei animi in Sanctissimam Virginem, et B. Magdalenam, hanc tabellam pingendam curavi. F. Albertus Hyacinthus Valsueda Astensis, impræsentiarum Prior E FF. Prædicatorum conventus Tridinensis S. Catharinæ V. et M. Manu propria.

ptura legata,

15 *Demum de celebrato quotannis festo hæc testabatur anno* 1825 *magistratus civilis :* Quotannis, *inquiunt* (5), die 13 Octobris celebratur B. Magdalenæ festum ; et semper facta est ad ejus altare in FF. Prædicatorum templo oblatio cereorum pondo duarum librarum ; et magistratus civitatis missæ solemni interest ; quæ consuetudo ad hoc usque tempus viget. *Ut* B. Magdalenæ *cultum ad illam aram augeret Petrus Antonius Fondazucca, lector Theologiæ in Tridinensi FF. Prædicatorum conventu et* B. Magdalenæ, *ut diximus, Vitæ scriptor, anno* 1635 *die* 29 *Maii custodienda dedit confraternitati Tridinensi S. Petri Martyris sex candelabra et crucem ex ligno deargentato, quæ illi altari apponerentur primis diebus Dominicis cujusque mensis et præcipuis anni festivitatibus* (6) : *anno vero* 1657, *die* 6 *Aprilis, ille idem eidem confraternitati cum Magistri sui Generalis licentia legavit omnia sua bona paterna et materna, ea lege ut ex his quotannis solveretur medius ducatus argenteus concionatori, qui panegyricam* B. Magdalenæ *orationem haberet, et dein emerentur ornamenta pro eodem altari* (7). *In publicis civitatis catastris inscripta erant hæc bona sub nomine* B. Magdalenæ (8). *Anno* 1757 F *R. D. Josephus Maria Crosius Tridinensis non absimile fecit legatum, ex quo videlicet fierent expensæ novendialis expositionis SS. Sacramenti ad altare* B. Magdalenæ *cum ordinaria luminum copia et concione morali matutina* (9). *In visitatione regulari ejusdem altaris, die* 31 *Januarii anni* 1767 *instituta,* in hoc altari sub nomine B. Magdalenæ adesse *reperta sunt* legata quædam Domini Baptistæ Buffetti, qui anniversarium solemne perpetuum in quolibet anno fieri mandavit, et quondam Dominæ Theresiæ Tricorsi, pro qua pariter aderat legatum unius anniversarii in quolibet anno, sicut etiam Domini Fabritii Giaretta Missarum viginti septem (10).

(1) Summarium, pag. 147.
(2) Summarium, etc., pag. 1 et seqq.
(3) Ibid., pag. 5 et 6.
(4) Ibid., pag. 5.
(5) Ibid., pag. 4.
(6) Ibid., pag. 7.
(7) Ibid., pag. 8 et seqq.
(8) Ibid., pag. 11.
(9) Ibid., pag. 12.
(10) Ibid., pag. 13.

A *alia pictura, nunc cum ædificio destructa.*

16 *In templo FF. Prædicatorum Tridinensi erant olim alia etiam piæ in* B. Magdalenam *venerationis testimonia. Inter ea certe referenda effigies ejus, picta cum imaginibus S. Catharinæ patronæ et S. Dominici circum effigiem B. Mariæ Virginis, quæ in eodem templo locum pristinæ januæ australis olim occupabat* (1). *Hæc ex Irico. Magistratus autem Tridinensis in authentico suo 27 Septembris anni* 1825 *testimonio* (2) *meminerunt antiquissimæ picturæ, quæ* B. Magdalenam *referret gloriæ radiis coronatam, et quæ non ita pridem ante (videlicet priusquam ad breviorem formam templum suum reducerent FF. Prædicatores) in anteriori ædium parte erat ; sed de eadem eos agere imagine, quam modo ex Irico memorabam, indubium videtur. Hæc in illo templo.*

tertia pictura campanæ.

17 *Eodem anno* 1825 *duo illi pictores, quibus id in mandatis dederat Vercellensis archiepiscopus, examinarunt in domo medici Tridinensis, Dominici Caldera, tabulam pictam, ibidem pendentem, in qua deprehenderunt insignia gentilitia antiquæ familiæ* B *Tridinensis Vasinæ ; monialem Dominicanam, radiis caput circumdatam, et genibus flexam coram Christi cruci affixi imagine, in lapide velo albo cooperto posita ; atque hanc inscriptionem :* B. Magdalena de Tridino ordinis Prædicatorum 1575 (3). *Examinarunt similiter in templo confraternitatis S. Joannis aliam tabulam ligneam pictam, exhibentem in campo aureo Matrem Dolorosam cum cadavere demortui filii in gremio, juxtaque* B. Magdalenam, *genibus nixam, manum Salvatoris dextera sua sustinentem, atque iterum radiis splendidam : vetustum opus, atque ante annum* 1815, *quo palatium civitatis destructum est, in hoc ipso asservatum* (4). *Præterea ineunte hoc sæculo pendebat adhuc in turri ecclesiæ principalis Tridinensis campana, dicta* Scholarum, *quæ* B. Magdalenæ *effigiem insculptam habebat ; adeo ut cultus ejus omnibus modis Tridinum penetraverit !*

demum pictura quarta Anconæ olim servata

18 *Verum non diu post mortem is jam transierat Anconam ; quemadmodum manifestum fit ex tabula picta,* B. Magdalenæ *gesta referente et de qua sæpius secundum Ractium diximus. Pendebat hæc in* C *sacello B. M. V., quod ad dextram in exiguo sed pulcherrimo* (5) *B. M. V. Incoronatæ templo* (l'Incoronata d'Ancona) *cernitur, prout testis est ipse Ractius : adeo sæculo* XVI B. Magdalenæ *nomen in veneratione erat !*

Collegium virginum, quæ ejus sequuntur vestigia, instituitur.

19 *Verum non continuerunt se Tridinenses intra hos quos diximus limites ; videlicet* anno 1616, *ut loquitur Iricus* (6), ut novum decus oppido nostro accederet, Fabricius Giaretta patricius supremis tabulis cavit ; nimirum sacris quinque virginibus, quæ B. Magdalenam civem nostram imitatæ, assumpto tertii ordinis S. Dominici habitu, sæculum reliquerant, ædes suas legavit, ut in parthenonem conversæ ejusdem B. Magdalenæ nuncupatione insignirentur. Piissimo voto non defuit bonorum omnium auctor omnipotens ; nam ab ea ætate ad nostra usque tempora (*annum nempe* 1745) adeo auctum est harum virginum collegium, ut jam vigesimum excedant numerum, D pietatis et religionis studiis addictissimæ puellæ : e quibus Hyacintha Albertonia, (quæ gens ab Varallo insigni oppido Tridinum superiore sæculo lares transtulit), clarissimæ virtutis et sanctimoniæ virgo hic jure nobis memoranda est. Hæc LXII, quibus inter mortales vixit, annos, B. Magdalenam egregie moribus reddens, orationi deditissima, sanctitatis fama post se relicta, fato concessit XII Kal. Februarii anno MDCCII, cum annos septem et viginti in sancto proposito transegisset.

Cultus demum approbatur et festum

20 *Quum ita* B. Magdalena *plures quam centum ante celeberrima Urbani papæ VIII decreta publicæ in templis venerationis honores accepisset, nil deerat omnino ut cultus legitimus haberetur. Sed quum per Ecclesiæ statuta nil pristino cultui liceret addere, jam pridem cupiebant Tridinenses illa initia rata haberi Romano pontifici, quo potestas fieret Beatam suam festivius celebrandi. Quocirca* non defuerunt, *ut Iricus* (7) *iterum testatur,* qui sperantes aliquando fore ut Apostolicæ Sedis judicio Sancta- E rum Virginum adscribatur, *seu potius ut cultus immemorialis probetur,* multa legaverunt supremis titulis in usum hunc convertenda, ut novissime hoc ipso anno MDCCXLIX fecisse accepimus Theresiam Salabue, matronam Tridinensem, quæ inter alia pie testamento decreta, bina librarum millia ab hæredibus suis pendenda mandavit, quoties de Beata cive inter Sanctos referenda curetur. *Hæc ille ; et quidem hanc testamenti partem Summario* (8) *insertum fuit. Id porro negotium anno* 1825 *iterum assumptum fuit, novique tandem conatus, ut initio diximus, fausto fine coronati sunt, quum ad postulationem R. P. Velzi, provicarii generalis ordinis Prædicatorum, necnon cleri populique Tridinensium, post relationem factam a cardinali de Somaglia, S. Rituum Congregatio die* 22 *Septembris anni* 1827 *pronuntiavit constare de cultu immemoriali, cumque retinendum esse. Concessit deinde Leo papa XII ut FF. Prædicatores et clerus Vercellensis Missam et Officium ritu duplici de* B. Magdalena *recitarent die* XIV *Octobris.*

ad diem XIV Octobris ponitur.

21 *Quam vero ob causam ad hanc diem* B. Magdalenæ *festum dilatum fuerit plane me latet. Sane* F *biographi omnes narrant eam mortuam die* XIII *Octobris et quidem hora* XIV, *seu* VIII *circiter post mediam noctem ; ita ut ratio, ob quam S. Teresiæ festum in sequentem diem repositum fuerit* (9), *hic locum non habeat. Crescit admiratio, quod non tantum in Menologiis aliisque priscis FF. Prædicatorum id genus libris* B. Magdalenæ *festum ad diem* XIII *notaretur, verum etiam in Kalendariis Taurinensibus anni* 1722 *et sex sequentium, quæ in Summario* (10) *forma authentica producta fuerunt, et in quibus ad diem* XIII *Octobris habes :* S. Eduardi regis Angliæ ; B. Magdalenæ de Panateriis Tridinensis et B. Catharinæ Visconti. *Utut est, jam in supplemento pro FF. Prædicatoribus ad Martyrologium Romanum legitur ad* XIV *Octobris memoria, quam initio recitavimus.*

(1) Iricus, pag. 146.
(2) Summarium, pag. 6.
(3) Summarium, pag. 2.
(4) Ibid., pag. 3 et 6.
(5) La Martinière, Dict. Géogr., tom. I, pag. 257.
(6) Iricus, pag. 151.
(7) Ibid., pag. 244.
(8) Cfr. l'Ami de la Religion, ad 20 Octobris 1827, tom. LIII, p. 313.
(9) Act. Sanctorum, tom. VII Octobris, part. prio pag. 750.
(10) Summarium, pag. 28.

A

Lectiones II Nocturni, gesta

22 *Lectiones secundi Nocturni, ex Irico et Fondazucca desumptæ, paucis tantum initio additis, probatæ fuerunt secundum formam a postulatoribus propositam. Eas hic loci edidisse juverit.* LECTIO IV. Magdalena, honesta stirpe de Panateriis Tridini diœcesis Vercellensis orta circa medietatem sæculi decimi quinti, specie corporis, et animi amabilis apparuit. Cœlestibus donis præventa, omnia pericula declinavit, unde vitæ sanctimoniam ac innocentiam maculare posset. Nam luxum, sæculi consortium, linguæ excessus, liberamque oculorum vagationem cohibuit; quapropter nihil mirum, si adhuc puella virginitatem suam Deo voverit. Inter sorores postmodum de pœnitentia Ordinis Sancti Dominici, ut enixe postulaverat, adscripta, Seraphicæ Catharinæ Senensis aspera premens vestigia, jejuniis, vigiliis, assiduis precationibus, flagellis, patientia, humilitate ac mansuetudine dignam se divinis nuptiis efformare studuit. Cibi, ac somni parcissima, in oratione ac cœlestium rerum meditatione ita defixa erat,
B ut aliquando in iis contemplandis integras noctes duceret insomnes: Christi passione ferventer affecta, Sponsi sui dolorum particeps fieri meruit. Sanctissimi Jesu nomen summa religione venerabatur, solita quotidie ad sacram mensam accedere.

B. Magdalenæ virtutes

23 LECTIO V. Charitate in proximum excellens, mendicos quacumque poterat ope juvabat, seipsam oblita, modo eorum necessitatibus non deesset. Infirmos etiam sedulo invisens, eisque summa diligentia inserviens, et verbo, et opere ad patientiam incitatos consolabatur. Cum die quodam se illi obtulisset Dominus, uti traditum est, stricto fulmine Italiam eversurus, ab eo illud obtinuit, ut Tridinensi saltem oppido indulgeret. Salutis animarum Sancti Patris sui Dominici instar sitientissima, non semel impios ad pœnitentiam ferventissimis exhortationibus adduxit; quos inter quemdam generis nobilitate clarissimum precibus Deo commendans, in virum alterum repente mutavit.

complexæ, recitantur.

24 LECTIO VI. Prophetico donata spiritu, bel-
C la et calamitates Italiæ impendentes divina revelatione præscivisse fertur; mortem quoque suam triennio ante sibi cœlitus revelatam novit. Ætate demum confecta ac bonis operibus cumulata, divinis munita sacramentis et Deum pro Ordine Prædicatorum, proque dilectissima sua patria votis omnibus deprecata, dum Psalmum Davidicum: « In te, Domine, speravi, » jam ad extremum recitaret, in illis verbis: « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; » placidissime, anno millesimo quingentesimo tertio, obdormivit in osculo Domini. Sacrum ejus cadaver triduo insepultum suavissimum semper efflavit odorem. Multis claruisse miraculis vetera monumenta testantur. Ab ipso statim obitu cultu religioso donata est, convenientibus ad aram, ipsius nomine Deo dicatam, omnium ordinum viris, tamquam ad tutissimum patriæ asylum, quem cultum numquam intermissum, sed potius propagatum, Leo duodecimus Pontifex Maximus ex Sacræ Rituum Congregationis consulto probavit, utque quotannis Beatæ Magdalenæ memoria Officii recitatione fieret, universo Prædicatorum Ordini ac Vercellensi diœcesi potestatem fecit. D
Superest ut ex Marchesio latina faciamus B. Magdalenæ Acta et, quantum res feret, illustremus.

VITA

B. MAGDALENÆ DE PANATERIIS

Seu de Tridino ex tertio Ordine S. Dominici,

Latine facta ex Sacro Diario Dominicano Marchesii.

B. Magdalena a prima ætate pueritiam agit,

Vercellas inter et Casale S. Evasii, celebres civitates, jacet Tridinum Montisferrati oppidum; hic nata B. Magdalena, vulgo ex loco E
ortus *de Tridino* dicta, paterno genere descendens ex Panateriis, materno ex Fondazuccis. Ornarat eam naturæ auctor et dominus donis omnibus, quæ puellæ non modo amorem verum etiam admirationem conciliarent: singulari enim corporis venustate prædita, blandissimo lepore affluens et sagacissima præstans mente, avidissime discebat quæcumque sexum suum deceant, atque optima disciplina instituta, brevi tam rara virtute excelluit, ut per universum Montisferrati tractum eximia ejus pulchritudo cultissimumque ingenium æque celebrarentur. Verumtamen neque naturalibus illis donis neque his animi ornatibus superbiebat, aut ad captandos ambitiose vaneque amores, seu ad plurium sibi corda devincienda utebatur; sed mente recogitans se divinis donis cumulatam fuisse, ardescebat magis magisque in Dei amorem et servitium *a*; ita ut, a puerili nondum egressa ætate, exemplo S. Catharinæ Senensis regem gloriæ in Sponsum elegerit seque ei perpetuæ castitatis voto obstrinxerit. F

novum decus addit tertio Ordini S. Dominici;

2 Exhinc versabatur omnis ejus cura ut pro sacra hac sponsione se servaret suo Sponso illibatam ab omni profano affectuque terreno, animamque suam locupletaret virtutibus, quæ cœleste illud matrimonium condecerent. Exhinc, spreta feminea ostentatione, induebatur veste modesta et simplici; neque diu stabat coram speculo vultum suum condecoratura, sed multas horas inter orandum intuebatur speculum dilectissimi sui Jesu cruci affixi, virtutibus maxime arduis animam suam illustratura. Neque his se continuit, sed firmioribus vinculis studuit Deo conjungi. Petiit itaque adhuc adolescentula et demum efflagitavit vestem tertii ordinis S. Dominici *b*; atque ut hanc est nacta, continuo ad mores suos ad exemplum hujus Sancti et S. Catharinæ Senensis componendos animum applicuit. Exhinc quum jejunium, a festo Exaltationis S. Crucis ad Pascha usque ex regulæ præscripto producendum, spiritus sui ardori par non esset,

totum

A totum annum tanta abstinentia vivebat ut perpetuo jejunare dicenda esset. Carni præterea applicabat lanas asperrimas, et cilicium horridum pungensque; dein singulis noctibus flagellabat corpus usque ad sanguinem; sibi dormienti substernebat duras tabulas capitique fascem paleæ; et sæpissime justo molliorem hunc lectum judicans, ex nuda humo capiebat brevem somnum, solita quippe paucas horas (quantum scilicet tempus afflictum corpus omnino requirebat) dormire, reliquam noctem ferventissimæ orationi dare.

sublimiori orationi vacat;

3 Erat cæterum id sanctum exercitium panis quotidianus hujus Servæ Dei; et tanto id peragebat ardore, ut sæpe, sensibus ereptis et toto corpore quasi mortuo, in admirabiles ecstases raperetur; in quibus non paucas cœlitus accepit visiones, revelationes et lumina. Nulla, quæ in ecclesia celebraretur, præteribat solemnitas, quin cœlites, quibus fieret honor, ad se venientes videret, aut mysteria, quæ celebrarentur, cum adjunctis suis omnibus adimpleri cerneret, maxime
B in Hebdomada Sancta et infra octavam Paschatis. Tunc enim ducebat diem in sacello Nominis Dei, quod in ecclesia S. Catharinæ FF. Prædicatorum Tridinensium extructum est quodque præ cæteris ad solitarie contemplandum elegerat. Atque hic potissimum feriam VI in Parasceve solebat in ecstatica tristium Christi Domini passionis et mortis contemplatione exigere; quas tam vivis in mente sua expressas habebat coloribus, ut in ejus quoque corpore exprimerentur, non actione tantum et gestibus, sed et sanguinis fluxu; qui ad horam sanguinei sudoris apparebat pellem inter et carnem in fronte; ad horam flagellationis in brachiis et humeris; ad horam coronationis spineæ in capite; et demum qua hora manus pedesque clavis transfixi sunt, in manibus et pedibus: quin etiam coronationis tempore videbatur sanguis in rivi modum faciem aliaque corporis membra copiosius irrigare: quemadmodum in Resurrectionis festo apparebat facies gloriosa; videlicet ardens et jucunda, gloriæque et beatitudinis lu-
C mine radians. Sæpe visitata fuit a principibus Apostolorum Petro et Paulo, quos singulari pietate venerabatur; et e manibus Beatissimæ Virginis nonnumquam accepit puerum Jesum, jam qua forma erat in Nativitate, jam qua in Circumcisione, aut in Purificatione seu oblatione in templo. Sæpius in spiritu translata est Hierosolymam, Nazarethum, Bethleemum et Bethaniam; quæ dein loca norat accurate describere. Tandem prout ipsamet aperuit P. F. Petro de Centumcellis *c*, quo diu usa est confessario, nil unquam petiit a Domino aut a Sanctissima ejus Matre, quod pro fiduciæ suæ mensura aut integre aut saltem partim non fuerit assecuta. Quo referas prodigiosa miracula, quæ pro ejus postulatione patravit Deus. c

precibus suis fratri vitam corporis servat, animæ restituit;

4 Beninus, B. Magdalenæ frater, Navaria veniens, in eo aliquando erat ut Cervum *, flumen Vercellis vicinum transiret. Quum id itaque cum equa ingressus est, tam rapidas undas expertus est, ut cum equa subversus fuerit et aquis coopertus. Porro dum in hoc periculo versaretur, visus est sibi ad latus videre beatam sororem,

* Cervio

D quæ se brachio apprehenderet sanumque et incolumen in ripa collocaret. Et quidem orationi tunc temporis vacabat Virgo, vidensque fratris discrimen, precibus suis auxilium ei contulerat; dein vero ex cella sua in inferiorem domus partem descendens, dixerat: Beninus frater meus in magno fuit periculo aquis pereundi; sed Deo sint grates; licet equa, qua huc veniebat, submersa occubuerit, ipse tamen salvus factus est et brevi domum erit redux. Reapse non multo post aderat, narrans quæ in itinere acciderant. Quum idem frater aliquando inhonestis feminis convixisset, in pœnam sui peccati labe, quam malum Gallicum appellant *d*, infectus erat: terribilior d tunc pestis, licet minus formidata; et ut non ita pridem in Italiam inducta, sic minus medicabilis. Ad sororis aures venit hæc res; quæ eum his convenit verbis: Tu, frater mi, inquit, experiris jam inhonestorum amorum fructus; sed si mihi spondes te vitam mutaturum in melius teque purgaturum a peccatis, supplicabor Domino ut tibi valetudinem restituat. Emendationem pro- E misit miser Joannes *e*, soror vero se in cubicu- e lum ad orationem contulit. Dum autem preces pro fratre funderet, ecce apparet ei magna cœli regina et dein divinus ejus filius, tanta luce et majestate circumdatus, ut Magdalena timore percita animoque deficiens ad eorum pedes procideret. Allevavit eam B. Maria filioque eam obtulit, rogans ut ejus exaudiret preces. Tum Magdalena oravit Jesum fratris valetudinem, audivitque ex illius ore se ab eo singulariter amari *f* et accepit ab eo benedictionem. Dein quum cessasset visio, rediit ad fratrem, quem sanum reperit.

5 Tulit aliquando ad eam quædam mulier infantem, qui cæcus natus erat, et cum lacrymarum imbre eam obtestata est, ut misero suo filiolo visum impetraret. Matri condolens Magdalena puerum secum in oratorium portavit; dein genibus coram Christi cruci affixi imagine flexis, eum rogavit ferventer ut dignaretur infelici puero visum dare. Extemplo apparuit suus ei Sponsus, ejusque preces admisit: adeo ut, prehensa pueri manu, signum crucis ejus oculis imprimeret, F usumque pupillarum concederet et visum. Tum B. Magdalena, oratorio suo exiens, matri filium reddidit lumine diei fruentem. Suis familiaribus complures alias gratias obtinuit; quas inter sanitas multis infirmis reddita, multisque feminis sterilibus exoptata fœcunditas.

puero cæco visum restituit;

6 Spiritus propheticus ei quoque abundanter datus. Ostendit enim ei primo Dominus quot ærumnæ, bella et populorum civitatumque strages in Italiam ingruerent in ultionem gravissimorum scelerum, quæ tunc ibidem patrari solemne erat. Quibus portentis fidem fecere exercitus Francorum, Germanorum et Hispanorum, quum bellum ferveret inter imperatorem Carolum V et Franciscum Galliæ regem. Hæc quidem ei ostensa, quum in sacello SS. Nominis Dei oraret. Ibi enim ei apparuit Dominus, quasi jam accinctus ad vindicanda enormia, quæ quotidie admittebantur, peccata. Ter ei supplicavit Magdalena quam instantissime ut indignationem suam temperare vellet; sed nil obtinere potuit *g*: quam ob cau- g sam reliquum vitæ suæ tempus, quod diuturnum

spiritu prophetico Lombardiæ mala prævidit; utilis est Guilielmo, Montis-Ferrati marchioni;

non

A non fuit, in mœstitia egit, cogitans quippe semper de futuris aliquando calamitatibus, cernensque peccata, nedum minuerentur, in dies augeri. Fuit ei etiam revelata victoria, quam Marchio Montisferrati *h* in Gallia de duobus potentissimis adversariis retulit, eademque hora, qua partus hic triumphus, eum Tridini aliis indicavit. Similiter prædixit eidem Marchioni alia plura; quibus eventus accuratam fidem fecit: quocirca magni eam faciebat hic vir neque alio quam *matris* suæ nomine eam vocare solebat. Præsagiit et prædixit alia plura, quæ supra indicavimus, et triennio ante mortem transitus sui horam præsignificavit, quemadmodum inferius dicemus.

opera misericordiæ corporalia

7 His aliisque multis gratiis, gratis datis, adornavit suam sponsam Dominus. Verum multo majoribus donis supernaturalibus et habitibus virtutum ejus ditavit animam. Ut autem initium sumamus a caritate, reliquarum virtutum regina, eximiam in proximum suum habebat B. Magdalena. Siquando in mendicum incideret, B condolebat ejus miseriæ ex imis visceribus, eique, quum posset et quantum posset, suis auxiliabatur eleemosynis; suimet ita oblita, ut, de rebus vitæ necessariis servandis nil cogitans, suum eis ministraret cibum et multa subiret incommoda et difficultates, quo largius posset egenorum paupertatem sublevare. Quin etiam invitabat eos ad suam mensam sæpius, tantoque libentius, quanto fœdiores eorum infirmitates. Ministrabat eis de cibo suo, ipsa contenta reliquiis, dicebatque se numquam suavius comedere, quam quum vesceretur micis et reliquiis mensæ, ad quam pauperibus et infirmis ministraverat. In territorio Tridinensi infirmabatur nemo, quem non quotidie visitaret; et quo pauperiores, eo accuratius eis serviebat. Consolabatur autem eos et ad dolores suos patienter tolerandos tanta dexteritate adhortabatur, ut, sensim sine sensu animi ægritudinem ponentes et ad libenter patiendum incensi, ærumnas suas leves paucasque esse ipsimet ducerent. Ut peccata sua sacramentaliter confiterentur, monebat eos similiter, et C tam belle noverat omnem fugam excusationemque præludere, ut eos ad sua consilia facienda et ad utendum divina gratia suaviter æque ac fortiter impelleret.

et spiritualia miraculose [illegible]

8 Præterea si ei innotesceret aliquem e suis popularibus infirmitate spirituali, odio aut alio peccato laborare, etiamsi æger non esset, in inquieta quadam sollicitudine versabatur, donec eum induxisset vel ad concordiam cum inimico ineundam, vel ad linquenda illicitos amores et peccata carnalia, quorum visco, tamquam insolubilibus laqueis, animæ solent impediri. Neque parvus fuit eorum numerus, quos orationibus suis e peccatorum retibus liberavit. Juverit narrasse specimen aliquod, quod ut adjunctis mirabile est, sic quoque manifestum est argumentum prophetici spiritus, quo eam (ut supra diximus) dotarat Dominus. Aliquis ex Ordine nostro prædicator, quadragesimali tempore in quoddam Montisferrati castrum ad habendam concionem profectus, hospitium nactus erat in cujusdam potentioris viri domo. Cujus uxor, mœstitia obruta et in lacrymas effusa, miserum mariti sui statum ei exposuit suosque graves narravit dolores: Quindecim D abhinc annis, inquit, nupsi maritone dicam an tyranno nescio: non enim arbitror majorem esse posse tyrannum quam qui post inflicta horrenda tormenta non solum vetat, quin infelix querelas et lacrymas mediis in suis angustiis fundat, sed qui et cogit ut se propriis manibus cruciet. Jam vero crudelissimus ille cordis mei carnifex non tantum per diuturnum hoc temporis spatium me uxoris loco numquam habuit; sed nil curans habere prolem, nuptiali thalamo induxit famulam, quam hic in domo inveni, et cui ut non secus ac ancilla ipsamet serviam tyrannico imperio jubet; volens ut propriis manibus igni invidiæ, quo meum cor in hanc jurium meorum nuptialium raptricem aduritur, pabulum afferam. Ita hæc misera matrona cum tristitia maxima et lacrymarum imbre tetram suam sortem explicabat. Ad hæc misericordia motus prædicator: Ne dubites, inquit, o domina, quin te commendem egregiæ Dei servæ, quæ solis suis precibus efficiat ut maritus tuus divino illustretur lumine pravamque E suam vitam ponat. Hæc locutus, socium suum nomine F. Petrum Tridinensem accivit et ad B. Magdalenam destinavit, eum monens ut suo eam rogaret nomine id negotium Deo commendare. Continuo iter ille arripuit; ast ut eum adventantem vidit B. Magdalena, continuo eum, nil adhuc locutum, his subridens affata est verbis: Omnino opus non erat hunc a te suscipi itineris laborem; quæ in mandatis habes jam feci, et matrona illa exoptata potietur consolatione. Dein quasi cuncta prophetico nosset lumine: Dic matronæ illi, ait (eam suo nomine designans, non secus ac si eam aliquando cognovisset), maritum ejus jam valedicturum pravo illi amori eumque secundum matrimonii leges uxorem dilecturum, atque hanc brevi ex eo concepturam filium masculum. Quibus auditis, obstupescens F. Petrus ad concionatorem cum hoc responso rediit; sed crevit admiratio, quum continuo impleta vidit B. Magdalenæ dicta. Redux enim reperit illum nobilem virum jam gratia Dei motum, uxorique suæ ut sibi veniam daret supplicem, et domo pulsum F prostibulum. Sine mora instituit ille idem scelerum suorum confessionem apud concionatorem, et novem mensibus post suscepit ex uxore filium; pergensque ei pacifice convivere, dein alterum, et duas postmodum filias. Per B. Magdalenam multi alii ad frugem reducti inveterati peccatores. Sed harum rerum accurata notitia periit in Tridinensi strage *i*: et tantum illa pauca colligere potuit diligentissimus Beatæ Virginis biographus.

conspicua [illegible] spiritualibus, [illegible] divina.

9 In colloquiis spiritualibus, quæ sæpius instituere solebat B. Magdalena cum his, quibus ad bonam frugem ex peccati cœno reducendis operam suam contulerat, tanta vi tantaque simul suavitate sermocinabatur *k* ut, licet ejus adhortationes quatuor aut quinque durarent horas, vix temporis momentum durasse viderentur auditoribus: Dei et virtutis amore ita incensis, ut ad omnia potius patienda parati essent, quam ad offendendam semel divinam majestatem. Quam vero pia esset in Jesu nomen et Sanctissimum Sacramentum satis explicari nequit. Quum ejus

auribus

A auribus insonaret dulcissimum id nomen, terror inferni et cœli felicitas, præ dulcedine liquefiebat ejus cor, et maximæ reverentiæ signis patefaciebat teneros sui animi affectus. Quotidie sacræ communionis fiebat particeps : quæ res illis miseris frigidisque in usu Sacramentorum temporibus prodigium videbatur; et quum divino illo cibo vesceretur, adeo sui amoris ardorem palam faciebat, ut videretur non posse discedere a sacrosanctis speciebus sacramentalibus; sed totum matutinum tempus, continuo in orationem absorpta, in ecclesia transigeret. Solebat autem dicere Deum quidem ubique esse præsentem, sibique omnem opportunitatem esse secedendi ad orationem, quum parentes sibi dedissent secretum cubiculum, quo pro commodo suo se recipere et exercitiis suis spiritualibus vacare posset; verumtamen in ecclesia Deum suum, sacramentalibus velis absconsum, singulari sibi esse auxilio, quo in orationibus quas ibidem fundebat non ordinario accenderetur fervore et quo tenera B in Dominicam passionem, cujus id sacramentum perenne monumentum est, in pectore nasceretur devotio : unde dein vehementi patiendi suique demittendi exardesceret desiderio, quod ille tanta pro se erat passus et ad humillimam conditionem sponte devenerat.

patientia, oblata etiam altera gena percutienti,

10 Ut autem hoc desiderium expleret insignem aliquando occasionem nacta est. Videlicet vir quidam, nomine Dominicus Grandi, injuria potitus erat aliquo FF. Prædicatorum Tridinensium prædio. Qui quum dives esset et consanguineorum, Tridini habitantium, amicitia potens, nedum seculari judicio jus suum recuperare possent, ne audiri quidem poterant religiosi. Quocirca Romanam adierunt curiam et a summo pontifice sententiam excommunicationis efflagitarunt in Grandium, utpote bonorum ecclesiasticorum usurpatorem. Fuit autem hæc sententia publicata et affixa portæ nostri templi. Quod quum vir ille ferre non posset, misit illuc cum armata manu amicum quemdam suum, nomine Bartholomæum Perduto; qui a foribus avelleret et laC ceraret litteras apostolicas. Pro jussis fecere, tantis in statum et auctoritatem ecclesiasticam additis contumeliis et probris, ut B. Magdalena, forte illic præsens, non potuerit eos non monere de reverentia habenda Ecclesiæ ejusque ministris: verbis id fecit tam humilibus tantaque caritate ut emollivisset omnem alium ac illum, nomine minus quam scelere perditum. Sed miser ille, nedum a sacrilega sua temeritate resipisceret, novum facinus addidit, sexcentis turpibus infamibusque dicteriis Christi Sponsam onerans ejusque tandem ori excussissima palma alapam ducens. Quam illa animo placido et his verbis : O benedicte Jesu! excepit; et dein memoria recolens consilium, quod Christus Dominus dedit Apostolis : *Si quis te percusserit in maxilla una, porrige ei alteram*; ipsa genibus flexis, alteram ei exhibuit genam. Ecce, inquiens, frater mi, alteram genam : eam quoque percute : quam libentissime enim omnem pro amore Dei ejusque Ecclesiæ contumeliam patiar. Illico abiit ille miser; sed brevi post ingruit in eum divinæ justitiæ ira. Nondum enim annus integer transierat, quum jam ille omnesque sui socii et fautores pessima D morte diem obiissent. Iniquus prædii usurpator a Deo quoque castigatus est. Ante occupatam quippe villam in tam horrendum incidit morbum, ut paulatim exsiccaretur et aresceret, membrorumque usu privaretur. Verumtamen non resipuit, sed rabie percitus et in divinam justitiam contumeliosus, animam efflavit.

singulari adversus dæmones constantia;

11 Non minori patientia, adeoque majori etiam constantia superavit impetus et aggressiones, quas non jam homines iniqui, sed ipsi eorum duces, dæmones, inquam, in eam fecerunt. Hi enim rabie quadam acti, non tantum quod ab imbelli femina vincerentur, sed maxime quod quotidie mille ex suis manibus eriperentur ab ea prædæ, moverunt in ejus mentem teterrimum bellum, jam inhonestis imaginibus ejus animum implentes, jam desperatione, blasphemiis, dubiisque adversus fidem, sexcentis ingestis sophismatibus; et quum se despectos cernerent, duplicabant oppugnationes, ad vanam gloriam Christi servam seu ad sibi in relata victoria assentandum inducere nitentes. Sed divino roborata auxilio, re- E pellebat jejunio et oratione omnes hostiles impressiones. Quam ob causam infernus, desperabundus eam a se internis illis armis victum iri, externa tela adhibuit, eam videlicet flagellando et tam crudeliter percutiendo, ut domestici horrendum ictuum fragorem audirent, et fortissimam virgunculam dæmoni his verbis illudentem intelligerent : Percute, crudelis bestia, percute; corpori enim meo lividas infligendo plagas nil aliud agis quam tibi parare vituperia, et sertum componere roseum, quo Sponsi mei cœlestis caput coronetur. Abibat tum pudore suffusus hostis, sed brevi post redibat sub specie gigantis aut nani, mille ridiculis gestibus conantis eam inter orandum turbare. Sed illa, nil ad ejus ineptias attendens, pergebat in oratione, donec eum irrisione et ludibriis onustum in abyssum propelleret; solita tunc dicere : Grates sint semper cœlesti meo Sponso, qui pro sua misericordia hunc ad me exhilarandam sannionem mittit, ut a mœstitia mea sublever. Quæ contumelia et contem- F ptio superbo illi animanti ita intolerabilis erat, ut eam audiens continuo in fugam verteretur. Mascula interdum virtute apparentem sibi dæmonem arripuit, vinculisque ligavit; eumque ingenti ejus tormento orationis tempore tamquam pulvinum sub genibus tenuit, et dein corrigia flagellatum ad inferos misit. Propterea tamen non quiescebat diabolus, sed quærebat continuo ei damnum inferre vel in rebus domesticis vel in ipso corpore. Et quidem, quum aliquando noctu ad pauperem quamdam parturientem accita esset, quæ in extremo periculo posita jam cum morte luctabatur, et illico e lecto surrexisset misellæ opitulatura, non potuit infernus tantam ferre caritatem; quocirca in descendendis quibusdam scalis talem ei dedit impulsum, ut præceps rueret, ejusque brachium suo loco moveretur et alia corporis membra contunderentur. Ast mediis in his gravioribus doloribus subrisit pia virgo : O mala tasca *l*, inquiens, quam probationem quodve lucrum fecisti, rem tam fragilem percutiendo? Et non secus ac si dolor evanuisset

præ

A prae ardore caritatis, et ut in ea fides facta esset his S. Maximi verbis : *Dum ergo cor ardet, membra pœnam non sentiunt* ; hæc dæmonis machinatione impediri noluit ; sed, quam optime poterat propositum fecit iter, infirmamque adjuvit : dein vero ad malum suum curandum rediit : insignem de inferno triumphum agens.

ante mortem monet sorores,

12 Et quoniam eam triumphantem jam vidimus, tempus modo erit contemplandi eam cœlesti corona redimitam, dicendique prius de pretiosa ejus morte. Celeri cursu pervenerat B. Magdalena ad perfectionis metam, et ætatis suæ annum LX *m* attigerat, quum ei revelatum fuit a Domino jam moriendi advenisse tempus. Quocirca congregatis omnibus tertii ordinis sororibus, eas a se convocatas dixit, ut ultimum eis tamquam amantissimis filiabus et sororibus valediceret ; se enim a Deo misericorde ex exsilio in patriam exciri ; se eis itaque supplicare ut, si quid in aliquam deliquisset, aut malo peccasset exemplo, id sibi omne condonaretur, se praeterea enixe rogare ut sui meminissent coram Deo ; B se vicissim spondere continuas suas apud Sponsum preces eis non defuturas, quam primum (quod brevi futurum sperabat) illius conspectu frueretur. Prolixum deinde piumque ad eas sermonem habuit de officio diligendi sui Sponsi, eisque suarum regularum observantiam et caritatem mutuam commendavit. Increbuit interea de affecta valetudine et periculoso Christi Sponsæ morbo rumor ; quo tantus non e Tridino solo sed ex vicinis quoque locis et ex omni conditione hominum concursus ad ejus domum factus est, ut ejus ambitus illis capiendis par non esset. B. Magdalena autem, non aliter ac si suæ infirmitatis oblita fuisset, consolabatur omnes, eosque ad caritatem mutuam pacemque inter se servandam adhortabatur ; donec crescente morbo, tantus ille concursus, valetudini ejus damnosus, impeditus fuerit.

a Christo et aliquot Sanctis visitatur.

13 Rogavit tunc adstantes, ut aliquantum recedentes locum facerent intranti insignium hominum turbæ. Verum illi nihil viderunt, sed C suavissimum odorem et cœlestem fragrantiam, quibus felix istud cubiculum replebatur, experti sunt ; et B. Magdalena profunde et reverentissime versus cubiculi angulum caput inclinavit et ad hanc partem diu oculos intentos tenuit, quasi in ecstasim et ex sensibus rapta, et vultum adeo accensum et gaudio perfusum habens, ut satis manifestum faceret quantam ex hac visione perciperet lætitiam. Ultra horae spatium ita cum pluribus collocuta est ; evanuit dein cœlestis ille odor ; ipsa vero ad sensuum usum rediit, sed tanta affluens interna lætitia quam ejus pectus non caperet. Accessit tum ad eam ejus confessarius, qui ei assidue assistebat, jussitque sibi ab ea aperiri quidquid ei in illa ecstasi accidisset. Atque illa prompte obediens : Intrarunt, inquit, in hoc cubiculum ad miseram hanc visitandam peccatricem dulcissimus meus Sponsus Jesus, et sanctissima ejus Mater, pater meus S. Dominicus, mea mater S. Catharina Senensis, gloriosi mei Sancti Petrus Martyr, Thomas Aquinas et Vincentius Ferrerius, necnon sancta Martyr Catharina ; quibuscum dum suavissima colloquia (quem-D admodum observasti) habui, dulcissimus meus Sponsus mihi pro sua spopondit misericordia se brevi rediturum ad me solvendam ex terreno illo carcere et ad me secum in media hac pulcra societate ad æternam gloriam deducendam. Atque hæc causa superfluentis meæ lætitiæ. Euge, Pater mi, tempus parandi mei ad promissum Sponsi adventum perdendum non est ; quocirca ultimis me a te muniri sacramentis rogo.

Confessione generali instituta, [illegible] Sacramentis percepit.

14 Quocirca instituit supremam confessionem generalem, per quam, ut postea affirmavit confessarius, cognovit innocentiam baptismalem ab ea illibatam fuisse servatam. Eidem allatum fuit sacrum Viaticum, quo praesente, surrexit e lecto quo meliori potuit modo, atque humi procidens et lacrymarum imbrem fundens, veniam verbis tam humilibus tantaque poenitudine plenis petiit, ut spurcissima meretrix, e vitiorum cœno consurgens, nil plus dixisset aut fecisset, deinde oravit pro suo ordine et patria. Tandem sacro Viatico pasta et Extrema Unctione munita, suavi voce inchoavit hymnum : *Jesu, nostra redemptio* ; E et dein : *Ave, maris stella* ; quos ad finem usque cum adstantibus modulata est. Rediit tum ad eam secundum factam promissionem cum divino Sponso cœlestis societas, ut iterum odor per cellam sparsus manifestum fecit, ipsa vero mussavit aliquid, quasi colloquium aliquod habens, et postremo sonora blandaque voce psalmum : *In te, Domine, speravi* incepit et usque ad hæc verba cantavit : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*. Quo versu faucibus hærente, animam tradidit in Dilecti sui manus, qui cum cœlesti illa turma venerat, eam in cœlum docturus. Contigit felix ille obitus, feria VI, die XIII Octobris, circa horam XIV, anno 1503. Triduum *n* ejus corpus n in templo publice expositum, quo pietati fidelium non Tridinensium solum sed ex universo adjacente agro satisfieret ; turmatim ad eam venerandam accurrerunt ; ipsa vero spirabat semper suavissimum odorem.

Miracula post mortem.

15 Attestantur quoque multi benedictum ejus cadaver, dum domo in ecclesiam S. Catharinæ F sepulturæ ergo deferretur, sociatum fuisse candida nube, quatuor splendidissimis luminibus circumdata, quibus forte cœlitus significaretur ejus animi puritas, jam æternis cœli splendoribus ornata. Dominus vero per universum Montisferratum ejus sepulcri gloriam manifestam fecit prodigiosis miraculis, quæ inter recenso duorum paralyticorum sanationem ; erectionem duorum curvorum, qui absque fulcris incedere non poterant, perfectam valetudinem instantanee redditam duabus moribundis, jam agonizantibus, et resurrectionem puellæ, quæ mortua nata erat *o*, omissis o innumeris aliis curationibus morborum, dolorum, infirmitatum, immedicabilium aut mortalium, de quibus anno 1610 *p* D. Laurentius Cortino, vica- p rius generalis episcopi Casalensis, informationem juridicam instituit et processum formavit ; cujus originale et authenticum exemplar etiamnum in tabulario conventus nostri Tridinensis servatur.

A

ANNOTATA.

a *Alias ejus pueritiæ laudes habes in lectione IV ejus Officii num. 22 Commentarii prævii, depromptas ex Fondazucca; quocum conveniunt Galliona* (1) *et Moronius* (2).

b *Tunc temporis jam a duobus sæculis in tres classes divisus erat tertius ordo S. Dominici: prima capiebat sorores quæ veste sæculari utebantur: secunda quæ, castitatem professæ, veste religiosa induebantur, in paternis tamen aut in sæcularibus ædibus habitantes; tertia quæ in unum collectæ vivebant in conventibus* (3). *Secundæ classi adscripta erat* B. Magdalena.

c *Etiam inferius sermo fit de rebus arcanis, quæ per* B. Magdalenæ *confessarium innotuerint. Oportet itaque ut hic vel scriptionem aliquam condiderit vel alio quodam modo reliquerit* B *testimonium, quod Fondazuccæ præluxerit inter scribendum.*

d *Plures gentes id probrum in alias avertere et proin alias alio nomine hanc pestem vocare sat notum. Id malum ex Indiis in Europam inductum plerumque traditur; verum id jam pridem in his partibus viguisse, sed lepræ nomine sæpius tectum, volunt alii; quinimmo luem inguinariam, de qua toties S. Gregorius Turonensis, et deinde complures alii scriptores, non alium esse morbum maxime verisimile est.*

e *Qui paulo ante* Beninus *jam* Joannes *dicitur.*

f *Italice*: Che l'amava di cuore. *Iricus* (4) *ejus loco habet*: Nulla in re Magdalenam sibi umquam displicuisse. *Fieri potest ut hæc Fondazucca scripserit, Marchesius vero ea duxerit molliendæ.*

g *Hæc visio exprimitur pictura, statim facta post mortem, de qua diximus in Commentarii prævii num. 12 et 13. At quod hic discrimen inter Marchesium et Iricum* (5). *Marchesius habet*: E tutto ch'ella con grand' instanza per ben tre volte lo C supplicasse a voler temprare lo sdegno, non lo potè ottenere. *Iricus vero*: A quo tamen illud precibus obtinuit, ut Tridino saltem indulgeret; *et re quidem vera in Historia Tridinensi non videtur id oppidum multa damna passum, dum pleraque alia fere attrita fuerint.*

h *Hæc aliquantum diverso modo Iricus* (6): D Guillielmi senioris Tridini domini in exteris oris pugnantis discrimen, tum etiam reportatam de potentissimo hoste victoriam non secus ac præsens vidit: *ubi studiose omisit Iricus hoc in Gallia exstitisse periculum et relatam victoriam. Et re quidem vera Beneventus a S. Gregorio* (7), *qui Guilielmi VIII (seu ut aliis placet, VI) Montisferrati marchionis res gestas enarrat, nulla quæ in Gallia obiisset ille pericula vel minimum indicat. Deinde Iricus non appellat Guilielmum marchionem* Montisferrati, *sed* Tridini dominum; *quo insinuet hæc referenda inter annum* 1445, *quo Guilielmus Tridini dominus factus est* (8), *et annum* 1464, *quo, ad Montisferrati marchionatum evectus, Tridini dominium fratri suo Bonifacio cessit* (9). *Tertio unius hostis meminit Iricus, duorum Marchesius. Ceterum nil mirum, si tanti faceret Guilielmus* B. Magdalenam: *licet enim juvenis libidini indulsisset, semper tamen coluit pietatem et populi sui deliciæ exstitit* (10); *adeoque quum anno* 1450 *e carcere, in quem adulterinus eum amor induxerat, dimissus esset, nil antiquius habuit, quam ut pro* E *grato in Deum animo Christi Salvatoris augusto nomini dicatum sacellum, quod majorum suorum pietate surrexerat in templo S. Catharinæ et in quo deinde toties* B. Magdalena *preces suas fudit, piissime restauraret* (11).

i *Marchesius habet*: Con le ruine e sacco di Trino. *Non proprie strages Tridini facta est; sed inter annum* 1552 *et* 1559 (12), *ferventibus Hispanos inter et Gallos bellis, plurima detrimenta accepit, licet in hostium manus numquam devenerit. Crederem equidem gesta* B. Magdalenæ *non tam periisse quam numquam integre fuisse scripta.*

k *In pueritia diligenter litteris dederat operam; et quidem Galliona* (13) magnam *ejus laudat* eloquentiam.

l Mala tasca *est* malus saccus, *probosum hic nomen. Qui id rerum genus sectantur, ducent forte operæ esse pretium novisse idem nomen datum dæmoni, qui B. Michaelem Camaldulensem tentabat* (14).

m *De ejus ætate dictum supra num. 8 Commentarii prævii.* F

n *Die Dominica vespere sepultam fuisse* B. Magdalenam *tradunt Galliona* (15) *et Moronius* (16).

o *Aliquot miracula paulo fusius explicuimus num.* 10 *Commentarii prævii.*

p *Hæ informationes factæ anno* 1609 *et* 1610, *ut in Commentarii prævii num.* 10 *dictum est.*

(1) Summarium, etc., pag. 16.
(2) Ibid., pag. 2[illegible].
(3) Fr. Jean de Sainte Marie, les Vies et actions mémorables, etc. préf. § III; et apud alios passim.
(4) Iricus, pag. 2[illegible]2.
(5) Loc. cit.
(6) Pag. [illegible]2.
(7) Hist. Montis Ferrati, apud Muratori, Scriptt. tom. XXIII, col. 135 et seqq.
(8) Iricus, pag. 204.
(9) Ibid., pag. 20[illegible] et 207.
(10) Cfr. Beneventuti, tom. cit., col. 740.
(11) Iricus, pag. 203.
(12) Ibid., a pag. 231 ad 293.
(13) Summarium, pag. 16.
(14) Cfr. Auctar. ad tom. V Octob., supra pag. 24.
(15) Summarium, pag. 16.
(16) Ibid., pag. 26 et 27.

NOTA

NOTA 24 ad pag. 439, littera B.

DE S. CALLISTO PAPA MARTYRE

ROMÆ.

Cultus S. Callisti Leodiensis; officium ejus ad ritum duplicem evectum.

S. Callistus Leodii colitur.

I*nter loca in quibus specialis cultus* S. Callisto *Papæ exhibitus fuit, numerandum merito est Leodium, a Bueo nostro prætermissum. Nempe in ecclesia olim collegiali S. Pauli, quæ hodie cathedrale Leodiensium templum est, Officium Sancti illius etiamnunc ritu duplici majori recitatur cum lectionibus secundi Nocturni peculiaribus, quarum postrema hisce verbis clauditur, quæ antiquitatem venerationis Sancto ibi tributæ demonstrant :* Huic sancto Pontifici ædes sacrata Leodii quondam habebatur, quam vetustate labentem Eraclius antistes diruit, ac ampliorem a fundamentis basilicam erigens, eam sub invocatione divi Pauli Apostoli consecravit. Prædicti tamen sancti Martyris memoria, anni cursu redeunte, ibidem solemni Officio retinetur ac pie colitur. *Nempe, ut refert Bartholomæus Fisen* (1), *Eraclius circa annum* 966, præter id quod S. Martino servatori condiderat, aliud gentium doctori Paulo canonicorum collegium exstruxit. Sed cum ipse secum dubitaret multum quo in loco templum conderet, Deumque multis votis expeteret consilii sui ducem, prodidit Ægidius quadam nocte circumjectam terram alta nive obrutam fuisse, solam aream novo templo destinatam ea longitudine latitudineque nudam mansisse et intactam a nive, qua templum condi voluisset Deus. Secutus tanti architecti dimensionem Eraclius ædem moliri cœpit. Intra fines divinitus descriptos erat ædicula in memoriam S. Callisti Martyris et Pontificis olim Deo dicata. Quo tempore, vel quis eam condiderit, non prodidit antiquitas. Everti debuit, cum S. Paulo templum exstrueretur. Verum ne quid Sancti Martyris honori detractum videretur, omnibus annis in nostram hanc ætatem dies illi sacer colitur ritu celeberrimo.

(1) Sancta Legia, Rom. Eccl. filia part. I, pag. 111

Officium S. Callisti pridem ritus semiduplicis ad ritum duplicem evexit Pius papa VII.

2 *In Breviario Romano jussu S. Pii V edito anno* 1568 S. Callisto *addictum fuit Officium ritus semiduplicis, in quo una tantum erat de Vita ejus lectio, quam duæ lectiones ex sermone S. Augustini subsequebantur. Sed præsenti sæculo Pius VII idem Officium ad ritum duplicem evexit, et Sancti acta tribus lectionibus propriis complexus est, quas nunc, quicumque Romano utimur Breviario, quotannis recitamus.*

NOTA 25 ad pag. 472, littera F.

DE S. GAUDENTIO EPISCOPO MARTYRE

ARIMINI IN ITALIA.

Duo fuerunt SS. Geminiani Mutinenses episcopi.

O*ptime viderat Bollandus, quæ Vita S. Ger*miniani *a se ad diem* XXXI *Januarii edita continentur, non posse de unico hujus nominis Sancto narrari; quamobrem, si vera ea sint, duos omnino* Geminianos *constitui oportere, quorum res gestæ in unum conflatæ ob nominis similitudinem fuerint : priorem, qui SS. Severi Ravennatis et Ambrosii Mediolanensis antistitum ac Joviniani Augusti æqualis exstiterit, posteriorem, qui Attilæ temporibus, integro post sæculo, vixerit. Bollandianum hoc judicium, quod Dyckius in Annotatis ad Vitam S. Gaudentii Ariminensis minus consulto rejecit, nuperrime confirmare studuit vir eruditus Carolus Borghi opusculo Mutinæ anno* 1849 *lingua patria edito, cui hunc titulum fecit :* Le due gemme della mitra episcopale di Modena, ossia brevi memorie intorno al beatissimo Protettore San Geminiano ed a San Geminiano II, gloriosi vescovi di detta città : *hoc est;* Duæ gem-

mæ

mæ mitræ episcopalis Mutinensis, sive breves notitiæ de beatissimo Protectore S. Geminiano necnon de S. Geminiano II, gloriosis hujus civitatis antistitibus. *Longe major opusculi pars de S.* Geminiano II *agit, cujus existentiam ac præcipua gesta scriptor deducit ex Chronico Veneto sive Altinate circa annum* 1210 *conscripto, quod cura doctissimi professoris Antonii Rossi publica luce donatum fuit anno* 1845 *in Archivio historico Italico; et consequenter etiam contendit ecclesiam S. Gemi*niani, *quæ Venetus sæculo* V *erecta, dein circa annum* 553 *a Narsete Gothorum victore* instaurata, *post sæculo* XII *in alium locum transposita, iterum anno* 1557 *publicis sumptibus elegantissime refecta, ac demum anno* 1807 *solo æquata fuit, non in prioris* S. Geminiani *Mutinensis episcopi, sed in posterioris honorem fuisse Deo dedicatam. Nobis quidem de eo argumento nunc disserendi locus non est; attamen operæ pretium judicavimus, oblata commoda occasione, illud verbulo indigitare. Diligentius res examinari ac laudatum opusculum utiliter consuli poterit a successoribus nostris, si quando erunt, qui Supplementum in Januarium Bollandianum sunt edituri.*

NOTA 26 ad pag. 486, littera F.

DE S. CŒLESTE seu CŒLESTINO EPISCOPO

METIS IN LOTHARINGIA

Origo episcopatus Metensis.

Anno 1847 *R. D. Chaussier canonicus Me*tensis honorarius opusculum *edidit de Origine Apostolica ecclesiæ Metensis, in qua Calmetum aliosque de rebus Metensibus scriptores Benedictinos, qui iisdem fere ac Goorius noster rationibus adducti fuerant ad sedis illius episcopalis exordia duobus fere sæculis ab ævo Apostolico* removenda, refellere conatus est. Quamvis *autem plures nostri Operis tomos in rem suam adhibuerit, hoc tamen tomo* XI *Octobris videtur caruisse,* siquidem *nullam usquam Commentarii Gooriani de* S. Cœlestio *fecit mentionem; et sane si Goorii disputationem de hujus Sancti ætate præ oculis habuisset, non ita universim laudasset Bollandianos* (1) *quod antiquas, ut vocat, Metensium traditiones tuendas defendendasque susceperint; præsertim quum,* ipso Goorio monente, *haud animadvertere non potuisset Lampenum quoque S. Mansueti* (2) *et Perierum S. Materni* (3) *episcopatum sæculo* IV *alligasse, qui tamen duo Sancti feruntur S.* Cœlestio *in Gallias advenienti fuisse comites. Quippe, ut jam supra in Nota* 5 *paucis diximus, varia variis temporibus fuit Decessorum nostrorum de antiquitate quorumdam in Gallia et Germania episcopatuum opinio: ita ut in hujusmodi controversiis singulares* quidem Bollandiani citari jure possint, sed Bollandiani Operis in universum prolatio non multum ad *firmam probationem* constituendam juvare videatur. *Ceterum, si argumentum de origine Metensis episcopatus in Opere* nostro adhuc retractandum sit, id *jam nunc a nobis fieri non est necesse, sed præstandum id erit ad diem* XXIII *Novembris, ut Goorius noster* 7 *Commentarii sui et deinde unus ex collegis meis in Commentario de S. Bolonia ad diem* XVI *Octobris* (4) *jam monuerunt. Et habebit hæc dilatio illud etiam commodi, quod, ut sperare licet,* sedatis *magis animis, instituti disputatio tum* poterit quam *præsenti tempore, quo ejusmodi quæstiones, perinde ac plures aliæ ad liturgiam,* architectonicen, litteras *quas vocant christianas, etc. pertinentes, non tam* rationibus quam *anteceptis opinionibus dirimi a certis hominibus solent. Quod autem recens quidam scriptor librum R. D. Chaussier in illam quem diximus collegam meum intorsit* (5), *jurene id an injuria sit factum, iis dijudicandum relinquo qui numerum* 5 *Commentarii ejus de S. Bolonia Martyre inspicere voluerint.*

(1) De l'origine apost. de l'égl. de Metz, p. [illegible]
(2) Tom. I Sept., pag. [illegible]
(3) Tom. IV Sept., pag. [illegible] et sequ.
(4) Tom. VII Octob., pag. [illegible]
(5) [illegible] la collection des Actes des Saints, [illegible] pag. [illegible]

A D

NOTA 25 ad pag. 319, littera F.

DE S. DONATIANO EPISCOPO REMENSI

BRUGIS IN FLANDRIA

Historia reliquiarum S. Donatiani ab anno 1794 usque ad præsens tempus.

B *Reliquiæ S. Donatiani anno 1794 in Hollandiam*

Lectori benevolo gratum fore confidimus hic exhibere in complementum eorum, quæ Stardus Dyckius in Appendice sua retulit, aliquot instrumenta, posteriores casus Reliquiarum S. Donatiani *testantia. Imprimis nihil* **mutationis obvenisse putatur** *sacris lipsanis ab anno* 1649 *usque ad finem sæculi* XVIII, *quando sacra et profana susdeque versa fuere; tunc autem, ut liquet ex sequenti instrumento, corpus* S. Donatiani *in* ***Hollandiam clam translatum annis undecim delituit;*** *donec, rebus Ecclesiæ utcumque pacatis, thesaurum Brugas reportare liceat. En verba :* Stephanus Andreas Franciscus a Paula Fallot de Beaumont *a* miseratione divina et Sedis Apostolicæ gratia episcopus Gandavensis omnibus has visuris salutem et benedictionem. Quum ad exteras regiones anno 1794 ob injuriam temporum translatæ fuissent capsulæ, continentes Reliquias SS. Donatiani, Chrysolii, Chrysostomi et Basilii, atque per plures annos ibidem absconditæ remansissent, tandem anno 1805, providente Deo, qui custodit omnia ossa Sanctorum, ex Hollandia eæ fuerunt denuo Brugas translatæ, idque de speciali permissu excellentissimi domini ministri rei C ærariæ Parisiis præpositi, ut patet ex hisce junctis ejus litteris, 4 Thermidor anni 13 (23 Julii 1805) datis ad DD. pastorem et æedituos ecclesiæ parochialis S. Donatiani Brugis *b*. Tenori autem earumdem, quod modum translationis prædictarum capsularum attinet, plene satisfactum fuisse deprehendimus : nempe capsulas invenimus sub plumbo et apocha ad cautelam, vulgo *acquit-a-caution*, expeditas, et coram adstantem habuimus dominum Landen, receptorem portoriorum (*douanes*) in civitate Brugensi, cui comiter adjuncti erant DD. Delerue et Pettens visitatores, et qui in vim dictarum litterarum accitus fuerat per DD. pastorem et æedituos præfatos S. Donatiani, ut adsisteret apertioni præfatarum capsularum.

[illegible] 2 Quoniam vero præfatæ Reliquiæ a sæculis asservatæ fuerant in suppressa ecclesia cathedrali Brugensi, et capsulæ, in quibus recondebantur, verisimiliter notæ erant pluribus dominis olim capituli cathedralis suppressi membris, et ob alias rationes animum nostrum moventes, rem ipsis gratam nos præstituros credidimus, gratiose invitando omnes illos antehac canonicos ecclesiæ cathedralis Brugensis suppressæ, qui actu in hac civitate degebant, invitationique nostræ obtemperantes, animo volenti et grato, coram habuimus RR. admodum DD. Arents, Herdies, De Molo et Amerlinck : specialiter etiam vocari curavimus R. D. Rommelaere pastorem, item DD. æedituos S. Donatiani, e quibus nobis adfuerunt præfatus D. pastor et DD. Gillen Wiedmaecker, de Net, Versavele et de Bay. Hisce E ita dispositis, coram omnibus supranominatis personis ad apertionem sæpedictarum capsularum processimus. Harum autem singulas, aperta illa, quæ sub plumbo jussi ministri rei ærariæ expedita erat, reperimus suis sigillis munitas, et testantibus aliquibus dominis de capitulo suppresso eodem modo adornatas et clausas, ut fuerant, cum Brugis ad exteras regiones transferrentur. Fractis autem sigillis, capsulisque apertis et visitatis, singulis Reliquiis religiose custoditis, vidimus adjunctas eis respective litteras authenticas, nihil [illegible] contrarium, plenèque satisfactum fuit eorumdem receptori D. Landen et visitatoribus DD. Delerue et Pettens, primusque eorum sua testificatione scripto munivit apocham ad cautelam, capsulis [illegible] datamque.

3 Quo expedito negotio, quatuor capsulas cum superaddita una minore, continente os e spina dorsi S. Donatiani cum additis litteris *c*, omnibus Reliquiis in eodem statu relictis, claudi F curavimus in armario post summum altare præfatæ ecclesiæ S. Donatiani, et [illegible] duximus, impresso sigillo nostro [illegible] in utraque [illegible] extremitate. [illegible]

4 Hæc autem [illegible], donec quatuor capsulæ præfatæ cum altera minore majori cuidam capsæ includantur, quæ per modum crucis circumligetur vittis lineis, in diversis partibus sigillo nostro muniendis ipsique capsæ affigendis, omnibus Reliquiis hoc in statu remansuris, donec a nobis plenius visitentur et adornentur. Datum Brugis die 23 Octobris 1805, partim in camera æedituorum ecclesiæ S. Donatiani coram omnibus dominis supra nominatis, et partim post summum altare dictæ ecclesiæ, coram dominis Arents, Herdies, de Molo, Amerlinck, Rommelaere pastore, de Net æedituo et coram infrascripto delegato nostro. Datum deinde in eadem civitate Brugensi, die sequenti, 24 Octobris 1805,

sub

A sub sigillo nostro minori et signatura ejusdem nostri delegati. *Signatum erat* : J. A. Buydens Eccles. Cathed. Gand. c. s. *In eadem autem charta, omissa tamen subscriptione, erant sequentia* : Die 4 mensis Novembris fractis sigillis, armarium supradictum aperuimus, et quatuor capsulas cum alia minore præmemoratas inde extraximus, reverenterque posuimus in aliam capsam majorem, quam duabus vittis lineis per modum crucis colligavimus et cui dein affiximus dictas vittas mediante cera hispanica rubra in sex diversis locis, sigillo nostro minori huic impresso. Actum Brugis in sacristia eccl^æ^ parochialis S^ti^ Donatiani, coram rev^o^ d^o^ Rommelaere pastore, d.d^nis^ Gillon-Wielmaecker, Versavele et de Bay æditui, die ut supra anni 1805.

ac anno sequenti ab ipso episcopo

5 *Reliquiæ* S. Donatiani *hactenus depositæ quidem erant in ecclesia sui nominis, sed neque visitatæ neque certæ ecclesiæ attributæ fuerant : quapropter ipse episcopus Gandavensis et Reliquias sacras visitavit et ecclesiæ parochiali* S. Donatiani *dono dedit, ut liquet ex sequenti instrumento* : Stephanus

B Andreas, etc., omnibus et singulis præsentes literas visuris seu legi audituris, salutem in Domino. Cum anno 1794 sacræ Reliquiæ beatissimi Patris S. Donatiani, diœcesis, civitatis et ecclesiæ cathedralis Brugensis patroni, inchoato jam in hac patria revolutionis tempore, cura et sollicitudine decani et capituli ad conservandum tam pretiosum thesaurum et præveniendum omne profanationis periculum, in Hollandiam fuissent translatæ ac deinde post plures annos, divini numinis beneficio cessante revolutione, pietate et zelo dominorum pastoris et æædituorum ecclesiæ parochialis S. Donatiani, quæ in nova ecclesiarum circumscriptione ex depositione nostra successit, qua parochialis, in locum suppressæ et destructæ ejusdem denominationis ecclesiæ, ut perennis in civitate Brugensi sancti patroni sui perseveraret memoria, denuo ad commendationem nostram, consentiente gubernio, ad hanc civitatem fuissent reportatæ et in dicta ecclesia provisionaliter collocatæ, facto prævie per de-

C legatum nostrum super authenticitate præfatarum Reliquiarum debito examine, fuimus per dictos dominos pastorem et æædituos omni cum reverentia requisiti, quatenus ad canonicam earumdem procedere dignaremur visitationem.

accuratius

6 Nos justis eorum piisque desideriis satisfacere cupientes, anno a partu Virgineo millesimo octingentesimo sexto, die decima tertia mensis Junii, Pio Papa hujus nominis septimo Ecclesiam gubernante feliciter, gloriose regnante augustissimo imperatore Napoleone I, accessimus hora quarta pomeridiana ad supra dictam ecclesiam parochialem, in qua allata nobis fuit magna capsula lignea ; ante ejus apertionem prælecta fuit Acta visitationis præparatoria, per delegatum nostrum facta ; qua audita, prædictam capsulam ligneam aperuimus, et in ea reperimus quatuor capsulas minores, quarum uni includebantur Reliquiæ S. Donatiani, et in alia parva quadrata condebatur spina dorsi ejusdem Sancti. Itaque aperto priori feretro, invenimus in eo parvulam cistulam eburneam, in qua, a nobis aperta, superius reperiebantur: 1° Literæ visitationis Rev^mi^

D Antonii Triest, episcopi Gandavensis, de data 14 mensis Octobris anni 1649, et in alia parva quadrata literæ de 15 ejusdem mensis et anni, concernentes spinam dorsi ejusdem Sancti ; II° Literæ visitationis Ill^mi^ d^ni^ Caroli Philippi de Rodoan, episcopi Brugensis, institutæ die 25 Novembris anni 1609 ; III° Literæ Rev^mi^ domini Remigii Driutii, secundi Brugarum episcopi, die 9 Octobris anni 1584, in quibus refert, quomodo propter bella intestina hæ sacræ Reliquiæ secreto et in loco satis humido fuissent absconditæ, ac dein, pace reddita, ab ipso fuerint visitatæ et in novam capsulam ligneam translatæ ; IV° Literæ translationis factæ per Rev^m^ d^num^ Petrum Curtium, primum episcopum Brugensem 13 Octobris anni 1565 ; V° Literæ, quibus constabat primam Reliquiarum visitationem a translatione earumdem Rhemis in Flandriam esse factam anno 1096 octavo idus Januarii, inserto iisdem literis instrumento donationis Ebonis Rhemorum archiepiscopi.

E 7 Omnibus autem prædictis literis simul connexis visis et pro parte lectis, extraximus ex eadem cistula eburnea magnam partem calvariæ et alia plura ossa majora et minora præfati S. Donatiani satino rubro nitido involuta ac inter duas culcitras in eadem cistula hactenus asservata. Pars autem illa calvariæ separatim in corporali mundo, et reliqua ossa in alio corporali etiam mundo simul juncta et filis byssinis consuta erant. Aperta denique capsula quadrata rubra fluella circumdata, invenimus in ea partem spinæ dorsi ejusdem Sancti Donatiani.

visitantur;

8 Omnibus autem rite examinatis, supradictas Reliquias authenticas recognovimus et approbavimus, atque omnia ossa (retentis ad dispositionem nostram duobus ex minoribus) item calvariam et spinam dorsi in aliud corporale mundum decenter manibus nostris simul involvimus, illudque in præsentia nostra filis albi coloris consui mandavimus, ac deinde idem involucrum novæ capsulæ ligneæ (vulgo *bois d'acajou*), intus serico rubei coloris circumquaque adornatæ,

in novam capsam translatæ

F prævie juxta præscripta Pontificalis Romani benedictæ, una cum præsentibus nostris literis, aliisque, ut præfertur, transfixis inter duas culcitras, ex satino rubro ab una et albo ab altera parte factas, eidem cistulæ apposito in quatuor locis nostro parvo sigillo in cera Hispanica rubra impresso, imposuimus. Dilata in aliud tempus opportunum visitatione Reliquiarum S. Basilii Magni Confessoris pontificis, S. Chrysolii Martyris et S. Joannis Chrysostomi Confessoris pontificis, quæ in aliis tribus capsulis condebantur.

9 Præfatas autem S. Donatiani Reliquias, modo ut supra in nova capsula inclusas dono dedimus et damus ecclesiæ parochiali S. Donatiani, sub expressa tamen conditione, ut casu quo in hac civitate Brugensi aliquando ecclesiam cathedralem apostolica auctoritate erigi contingeret, eidem reddendæ forent sæpe dictæ Reliquiæ *d*, quas ex nunc præsentium tenore in diœcesi nostra non tantum publicæ fidelium venerationi exponi, sed etiam solemniter permittimus ex altari. Acta fuerunt hæc in ecclesia supra dicta parochiali S. Donatiani anno, mense et die, queis supra,

ecclesiæ S. Donatiani conceduntur.

d

præsen-

A præsentibus in eadem visitatione ac translatione : RR. adm. d[ns] Petro Jacobo de Pauw e vicario nostro generali, ante hac ecclesiæ cathedralis S. Donatiani decano, Leonardo Arents J. U. licentiato, Joanne Buydens S. T. L. examinatore synodali, Joanne Herdies ecclesiæ succursalis Beguinagii rectore, Carolo Amerlinck, ecclesiæ suppressæ cathedralis S. Donatiani canonicis, Petro Rommelaere, olim ecclesiæ cathedralis, nunc vero ecclesiæ parochialis S. Donatiani pastore, duobus vicepastoribus ejusdem ecclesiæ, aliisque ecclesiasticis personis, necnon quatuor ejusdem ecclesiæ parochialis æditiuis. In quorum omnium fidem ac testimonium hasce literas propria manu signavimus ac majori nostro sigillo et secretarii nostri signatura fecimus communiri.

Signatum † Steph. episc. Gandavensis.

De mandato Ill[mi] ac Rev[mi] DD. Ep[pi] præfati,
J. B. Van Schauwenberge Secret.

B

ANNOTATA.

a *Stephanus Andreas Franciscus de Paula Fallot de Beaumont anno 1750 Avenione natus ante Gallicanos turbines vicarius generalis Blesensis et coadjutor cum futura successione episcopi Vasionensis, sub titulo episcopi Sebastopolitani fuit. Anno 1782 episcopatum adeptus, sedem suam tenuit donec per legem Gallicam, vulgo constitutionem civilem cleri dictam, Vasionensis civitas e censu sedium episcopalium expungeretur. Tunc enim Stephanus in Italiam abiit, meliora tempora præstolaturus. Quæ dum illuxissent, ipse, rogante Pio VI, sedem suam Vasionensem dimisit et anno 1802 episcopus Gandavensis creatus fuit. In vasta diœcesi, quæ facile duodecies centena millia incolarum capiebat, iniquitate dominantium omnia religiosa instituta diruta jacebant : hinc episcopo novello opus fuit redintegrare saltem ea, quæ ad rectam Ecclesiæ admi-* C *nistrationem necessaria erant, ut sunt capitulum cathedrale, seminaria clericorum, atque circumscriptio parochiarum : hæc omnia ad amussim ordinaverat Stephanus episcopus, quando anno 1807 ad sedem Placentinam in Italia translatus fuit. Exinde æquo pronius propendere visus est in partes imperatorias, quando dissidebant Napoleo et Pius VII, tunc violenter Sede sua pulsus et actus in exsilium. Stephani obsequii remuneratus imperator eum Bituricensem archiepiscopum fecit, et pro more istorum temporum capitulum metropolitanum eidem officium vicarii capitularis contulit, quamvis ab administranda diœcesi abstinuisse referatur. Rebus mutatis, ad Placentinam sedem rediit, quam tandem, interdictus ejus administratione, anno 1816 resignavit. Deinceps Parisiis obscurus vixit, donec anno 1835 die* XXVI *Octobris diem supremum obiit* (1). D

b *Ecclesia* S. Donatiani *erat olim templum Societatis Jesu, S. Francisco Xaverio, ut videtur, sacrum. Quum vero antiqua ecclesia parochialis S. Walburgis ruinam minaretur, translata fuit in templum Societatis, quod deinceps hujus Sanctæ Virginis nomen accepit. Ingruente porro Gallico turbine, hoc idem templum lupanar Rationis* (deesse de la Raison) *factum est. Sed pace Ecclesiæ utcumque reddita, post destructam funditus cathedralem ædem, ne patroni* S. Donatiani *memoria paulatim obliteraretur, voluit episcopus, ut ipse dixit in allato instrumento, ut nova parochia, olim S. Walburgis,* S. Donatiani *titulum assumeret. Quæ quidem perduraverunt usque ad annum 1834, quando denuo erecta diœcesi Brugensi, S. Walburgis titulus jure quasi postliminii rediit.* E

c *Litteræ, de quibus hic agitur in ipso Opere nostro a Majoribus edita fuere.*

d *Quod præsagierat anno 1806 Stephanus episcopus, hoc demum anno 1884 actu perfectum est, quando Gregorius XVI litteris sub plumbo datis* VI *Kal. Junii anno 1834 civitatem Brugarum in civitatem episcopalem erexit et* ecclesiam parochialem SS[mo] Salvatori ac S. Eligio episcopo et Confessori dicatam, exstincto in ea titulo S. Eligii in cathedralem ecclesiam et parochialem sub invocatione SS[mi] Salvatoris et S. Donatiani evexit (2). *Quocirca priusquam bulla promulgaretur, solemni ritu Reliquiæ* S. Donatiani *ad novam cathedralem ecclesiam translatæ fuerunt.*

e *Petrus Joannes de Pauw Torholtanus, olim decanus capituli cathedralis Brugensis, ac dein vicarius generalis episcopi Gandavensis, a Napoleone nominatus fuerat die* XXIX *Maii 1810 episcopus Buscoducensis, quam ecclesiam sua auctoritate restitueral imperator : Petrus, jam octogenario major et invidiosum officium reformidans, Parisios abiit dignitatem deprecaturus, ibidemque mense Septembri ejusdem anni diem suum obiit vir interemeratæ famæ* (3). F

(1) Kersten, Journ. hist. et litt., t. II, pag. 127, t. III, pag. 600. De Smet, Coup d'œil sur l'histoire ecclésiastique, t. XIX, pag. 388.

(2) Collect. epistol. Franc. Boussen Epi. Brug., tom. I, pag. 130.

(3) De Smet, Coup d'œil, etc., pag. 397.

NOTA

A D

NOTA 28 ad pag. 523, littera B.

DE S. FORTUNATO EPISCOPO

TUDERTI IN UMBRIA.

De Reliquiis S. Fortunati Metas translatis.

Ex Chronico Sigeberti Gemblacensis obiter Dyckius memoravit reliquias S. Fortunati *fuisse Metas asportatas a Theoderico civitatis illius episcopo, et merito animadvertit* B *partem tantum corporis fuisse, etiamsi Sigeberti phrasis corpus totum indicare videatur, per synecdochen scilicet satis illo ævo usitatam. Sed Dyckii de hac re dictis addere juverit laudatum scriptorem de eadem etiam locutum fuisse in Vita Theoderici, quam Metis in monasterio S. Vincentii degens exaravit* (1). *Nempe ibi, postquam historiam translationis multarum reliquiarum a Theoderico in Italia collectarum, a clerico qui rebus interfuerat compositam* (2), *totidem verbis exscripsit* (3), *illa mox eidem subdit :* Hanc quidem de translatione Sanctorum a Majoribus accepimus relationem. Cur vero Fortunati Tudertinæ urbis episcopi, de quo Gregorius in Dialogo suo memorabilem indidit narrationem, necnon et Miniatis Martyris nullam fecerunt mentionem, non parvam animis nostris ingerunt commotionem. Et horum quippe corpora ab Italia ad nos ab eo translata, fide vera credimus. *Dein, quibusdam interjectis de reliquiarum aliorum Sanctorum allatione :* Horum, *inquit*, et passiones descripsit et diem passionis C vel depositionis annotavit : Fortunati scilicet III Kalendas Julii, *etc. Ex hisce Sigeberti verbis auctores Historiæ litterariæ Franciæ* (4) *necnon scriptores Historiæ Metensis Benedictini* (5) *deducunt Vitam aliquam* S. Fortunati, *quem utrique incaute Tiburtinum episcopum* (de Tivoli) *pro Tudertino* (de Todi) *dicunt, a Theodorico conscriptam fuisse, quam Sigebertus præ manibus habuisse atque ex ea diem depositionis Sancti cognovisse videatur. Quod autem ad ipsum hunc depositionis diem attinet, prætereundum non est de eo quam proxime cum Theoderici annotatione convenire Ughelli assertum* (6) : Requievit autem in Domino pridie Kalendas Julii, qua ipsa die Tudertina civitas ejusdem Sancti meritis ac precibus Gothorum discussit obsidium anno 537 (7); *cujus asserti fontem fateor, uti et Dyckius de se fassus est* (*num.* 4), *me assequi haud potuisse. Sed quisquis fons ille fuerit, sane quod dies utrobique assignati sese mutuo absque medio ullo excipiunt, res est notatu haud indigna : qua spectata, fortasse satis probabiliter statuerimus dierum illorum priorem, nempe* XXIX *Junii, fuisse* E *Sancti emortualem, sed quum is dies natalitiis S. Petri et Pauli Apostolorum recolendis esset addictus, festivam* S. Fortunati *celebritatem in proxime sequentem diem fuisse rejectam, qui sic paulatim temporis decursu pro ipso obitus die haberi a populo Tudertino cœperit. Est et aliud assertum Ughelli, hoc loco nobis non prætermittendum. Agens enim de Athone sive Attone de Aptis Tudertino episcopo, sic ait* (8) : Is ille est qui anno 970 Othonis imperatoris legato constantissime restitit, ne corpus S. Fortunati episcopi deportaret in Gallias. *Hinc porro deducendum videtur Theoderico Metensi antistiti propositum quidem fuisse integrum* S. Fortunati *corpus, interposita etiam imperatoris sibi sanguine juncti auctoritate, Tuderto in Gallias avehere, verum Attonem Tudertinum episcopum fortiter repugnando effecisse ne tale consilium integre executioni daretur, utque adeo Theodericus aliqua tantum parte sacri corporis fuerit contentus. Cæterum unde Ughellus hanc de Attone notitiam acceperit, neque ipse indicat, neque aliunde nobis, licet* F *inquirentibus, innotuit. Ad extremum memorabimus etiam a Bernardo Hertfelder in descriptione sacræ supellectilis basilicæ SS. Udalrici et Afræ Augustæ Vindelicorum recenseri reliquias de ossibus* S. Fortunati *Confessoris pontificis die* XIV *Octobris culti, tamquam cum multis aliis inclusas thecæ reliquiariæ ordine quadragesimæ tertiæ* (9). *At Romanus Kistler, qui anno 1712 eamdem basilicam sacrosque ejus thesauros iterum descripsit lingua germanica, ubi de dicta theca agit, de pluribus Reliquiis ea contentis cum Hertfeldero minime convenit, et* S. Fortunati *episcopi nomen penitus omittit* (10).

(1) Pertz, Monum. Germ. Hist., t. IV Script., p. 461 et seqq.
(2) D'Achery, Spicileg., tom. X, pag. 159 et seqq., aliis tom. II, pag. 133 et seqq.
(3) Apud Pertz, loc. cit., pag. 473 et seqq.
(4) Histoire littéraire de la France, t. VI, p. 431.
(5) Hist. génér. de Metz, tom. II, pag. 75.
(6) Ital. Sacr., tom. I, col. 1351, edit. Coleti.
(7) Cfr Baronius, Annot. ad Martyrol. Roman. XIV Octob.
(8) Loc. cit.
(9) Basil. SS. Udalrici et Afræ, p. 136.
(10) Basilica, das ist, herrliche Kirchen des Frey-Reichs Klosters St Ulrich und Afra, part. III, fol. 43.

NOTA

A D

NOTA 29 ad pag. 530, littera E.

DE S. MANECHILDE VIRGINE

IN DIŒCESI CATALAUNENSI.

Quid Calmetus de S. Manechildis Reliquiis et cultu.

Juverit brevem hic describere de S. Manechilde *notitiam quam Calmetus Historiæ Lotharingiæ inseruit : aliqua enim ex ea accipi poterunt, quæ Goorio non videntur* B *fuisse obvia. Sic igitur Calmetus scribit* (1) : S. Manechildis perinde ac sorores suæ Deo consecrata fuit a S. Alpino episcopo Catalaunensi. Post mortem patris sui Sigmari apud sorores suas ætate grandiores Sanctas Amam et Hoyldem remansit, quæ educandæ illius curam habuerunt. Vitæ illius adjuncta ignorantur : post mortem vero corpus ejus ad abbatiam S. Urbani delatum fuit, ubi haud exiguo quievit tempore ; donec anno 1379 vir nobilis de Cernonno dictus petiit ab Archambaudo Catalaunensi antistite ut brachium et costam Sanctæ e S. Urbani monasterio transferret ad ecclesiam Auxuennæ, ubi Alba fluvius in Axonam influit, qui locus hodie S. Manechildis nuncupatur. Verum alii asserunt Henricum hujus nominis primum Campaniæ comitem jam anno 1174 aliquas S. Manechildis reliquias apportandas curasse ad ecclesiam castelli E Auxuennensis, quæ antea sub Deiparæ titulo dedicata fuerat, et exinde a S. Manechilde nomen accepit. Nomen hujus Sanctæ pluribus exstat Martyrologiis insertum ad diem XXIV (*imo* XIV) Octobris. Portio haud exigua lipsanorum ejus adhuc conservatur in abbatia S. Urbani prope Joannisvillam seu Jovisvillam in diœcesi Catalaunensi.

(1) Hist. de Lorraine, tom. I, lib. VI, num. LVII, col. 284.

NOTA 30 ad pag. 556, littera E.

DE SS. AGRATO ET CASTURO EPISC.

VIENNÆ ALLOBROGUM.

C F

De chronotaxi archiepiscoporum Viennensium a S. Cadeoldo usque ad S. Eoaldum.

Quandoquidem Matthiæ Stalsio, ad hunc diem de SS. Agrato *et* Casturo *atque ad diem sequentem de S. Deodato* (1) *scribenti, ad manum non fuit Historia ecclesiæ Viennensis a C. Charvet illius ecclesiæ archidiacono composita ac Lugduni anno* 1791 *edita, visum est nobis ex ea describere præsulum Viennensium a S. Cadeoldo usque ad S. Eoaldum seriem, non quia melior est cæteris, sed quia cum nulla ex cæteris, quas pervarie a variis scriptoribus contextas Stalsius jam allegavit, omni ex parte convenit, ac proinde tamquam novum quoddam litis de dictorum præsulum successione dudum agitatæ instrumentum haberi potest. Landalenum, quem decessorem alii, alii successorem S. Cadeoldo asssignant, Charvetus nulla probabili ratione eumdem esse ac S. Cadeoldum pronuntiat; adeoque binominis hujus archiepiscopi pontificatum ab anno* 640 *ad* 662 *producit, et sub eo S. Clarum abbatem anno* 660 *mortuum esse asserit* (2) : *quæ omnia quam parum firmitatis habeant, videri facile potest ex num.* 2, 29, 30 *et sequentibus Sylloges Stalsianæ. Proxime post S. Cadeoldum ponit Dodolenum, nulla facta mentione scriptorum satis insignium, qui hunc a Landuleno diversum haud esse vel pro certo habuerunt; vel saltem vehementer suspicati sunt. Dein Bobolinum subjicit ac Georgium : tum Deodatum S. Amato Senonensi æqualem Viennensi cathedræ impositum fuisse scribit, terminumque quem is vivendo haud fuerit prætergressus, statuit annum* 678, *quia hoc scilicet anno S. Blidramnum, quem S. Deodato successisse autumat, ecclesiæ Viennensi jam præfuisse ex placito seu synodo Marlacensi conficit. At si quis hæc cum num.* 36 *et sequentibus Sylloges modo dictæ necnon cum altera Stalsii Sylloge de S. Deodato contulerit, non ægre sibi persuadebit multo aptius illam fluere chronotaxim qua S. Blidramno non anteponitur, sed postponitur Deodatus,*

(1) Tom. VII Octobr., part. prior, pag. 55 et seqq.

(2) Hist. de la sainte église de Vienne, p. 132 et seqq.

A *adeoque episcopatus hujus initium anno* 690 *aut* 691, *finis vero anno circiter* 707 *affigitur. Denique ait Charvetus* : Obiit S. Blidramnus anno 708, coliturque die XXII Januarii. Post eum cathedram Viennensem occupavit S. Agratus, de quo unum scitur, nempe brevissimo eum sedisse tempore : festum ejus agitur die XIV Octobris. Successorem autem habuit S. Eoaldum, *etc. Atque Eoaldo quidem scriptor, saltem in libri sui margine, primum regiminis episcopalis annum assignat ipsum quem Blidramno fecerat ultimum, videlicet* 708 ; *ita ut* S. Agrati *pontificatum aliquot dumtaxat mensium spatio coarctaverit, nullo prorsus, cur ita faciendum existimaverit, argumento in medium prolato. Est igitur universa hæc Charvetiana præsulum Viennensium series exiguæ admodum frugis, eaque nullo utriusque Sylloges suæ SS. Agrati Casturique, et S. Deodati dispendio carere Stalsius potuit.* D

NOTA 31 ad pag. 621, littera B.

DE B. DOMINICO LORICATO

CONFESSORE

SUAVICINI IN PICENO. E

B

Cultus B. Dominici Loricati. An hic Camaldulensis an Avellanensis?

ANNO MLX.

A*rgumentum de tempore mortis* B. Dominici *denuo tractatum fuit in Commentario de B. Rodulpho episcopo Eugubino, quem in hoc Opere ad diem* XVII *Octobris habes ; atque illic* (1) *quidem etiam statuimus* B. Dominicum *anno* 1060 *vita functum, sed simul dispulimus difficultates permaximas quibus universa hæc res involuta jacet. Ibidem* (2) *etiam meminimus libelli supplicis, quem anno* 1656 *S. R. Congregationi obtulerunt Camaldulenses, petentes ut sibi de* B. Dominico *Loricato et de multis aliis insignibus Ordinis sui viris officium ecclesiasticum recitare liceret ; necnon quæ objecta aliquamdiu fuerint impedi-*
C *menta paucis declaravimus. Quocirca hic superest ut hæc tantum quæ ad* B. Dominicum *proxime pertineant aliquantum explicemus. Anno* 1674 *maxime promotum est negotium de cultu* B. Dominici *probando et augendo. Quum enim opponeretur Camaldulensibus* B. Dominicum *ad eorum ordinem non pertinere*, productæ fuerunt, *inquit Mittarellius* (3), hoc anno allegationes pro sancto Dominico Loricato an ad familiam Camaldulensem spectaverit (*de quo argumento aliquid et nos conati sumus in Commentario de B. Rodulpho*) (4) ; et frater Raimundus Capisuccus, magister sacri palatii apostolici, jussu cardinalium sacræ Congregationis sancti Officii attente perlegit librum inscriptum : *Discorso sopra l'ammirabile vita del glorioso S. Domenico Loricato dell' ordine Camaldolese*, qui concinnatus ab Andrea Vallemanio abbate Camaldulensi, et judicavit prælo dignum. Subinde Prosper, Myrensis archiepiscopus, promotor fidei, censuram scripsit super lectiones ejusdem Sancti, quæ desumptæ fuerant ex operibus S. Petri Damiani ; alias quoque addidit Petrus Franciscus de Rubeis alter promotor fidei, cum responsionibus Johannis Migesii. *Post biennium autem sequens prodiit decretum* (5) : Sacra Rituum Congregatio ad relationem eminentissimi D. Petri Cardinalis Vidoni, supplicante P. D. Petro Petri procuratore generali Ordinis congregationis Camaldulensis censuit posse concedi prædicto Ordini tantum congregationis Camaldulensis facultatem celebrandi festum B. Dominici Loricati ejusdem Ordinis congregationis Camaldulensis quolibet anno die XVII Octobris cum Officio et Missa de communi Confessoris non pontificis, sub ritu duplici, si sanctissimo D. N. placuerit. Hac die XIII Junii 1676. Et facto de prædictis verbo cum sanctissimo per me secretarium, Sanctitas sua benigne annuit die XVII ejusdem mensis Junii et anni 1676. V. Card. Carpineus. Bernardinus Casalius Sac. Rit. Cong. secretarius. F *Atque ex hoc tempore nomen* B. Dominici *inscriptum est Martyrologio quidem Romano ad diem* XVI *Octobris, Camaldulensi autem ad* XVII *cum hoc prolixiori elogio :* Prope castrum Frontalis ad radices montis Suaviçini Sancti Dominici Loricati Confessoris Camaldulensis (*Avellanensis ?*), cujus vitam virtutibus gloriosam et austerissimo inauditæ pœnitentiæ rigore admirabilem sanctus Petrus Damiani luculenter conscripsit ; ejus autem dies natalis pridie idus Octobris recensetur. *Concessum fuit etiam Septempedanis ut* B. Dominicum *colere possent Officio ac Missa ; eis quippe per decretum S. R. C. de die* 12 *Septembris anni Domini* 1761 *est potestas facta ut sub ritu semiduplici, et per decretum de die* 19 *Februarii anni Domini* 1794 *ut sub ritu duplici minori cum lectionibus secundi nocturni id facerent* (6). *Id concessum, quod*

(1) Act. Sanctorum, tom. VIII Oct., p. 186 et seqq.
(2) Ibid., p. 184 et seq.
(3) Annal. Camald., lib. LXVIII, num. 14, tom. VIII, pag. 432.
(4) Act. SS., tom. VIII Oct., pag. 196, annot. i.
(5) Apud Mittarellum, Ann. Camald., lib. LXXVIII, num. 20, tom. VIII, pag. 441.
(6) Cfr Gentilius, De ecclesia Septempedana, t. II, p. 161.

Suavi-

A *Suavicina eremus, jam pridem destructa, in diœcesi Septemdana esset. Atque hujus etiam rei causa Gentilius in egregiis suis de Ecclesia Septempedana libris luculentum de* B. Dominico *Loricato inseruit commentarium; in quo quidem non tantum Camaldulensibus sed et Avallanensibus hanc eremum abjudicat. Ecce enim ut disserit* (1) : Quod vero cœnobium ab Avellanæ jurisdictione esset immune, id firmo nititur talo. In diplomate ab Innocentio II, anno 1139 lato pro monasterio Avellanensi et ab Ughellio edito, ecclesiæ eidem addictæ describuntur, quin de eremo Suavicina occurrat mentio. Imo quibusdam in tabulis mox afferendis D auspicatum esse inveni Suavicinæ eremi priorem Jacobum *Dei gratia* (2) : quæ quidem verba apud monasticæ rei cultores indicant satis eam sui juris omnino fuisse. Unum insuper est, quod rationem nostram roborare posse videtur, congregationem Fontis Avellanæ anno 1569 penitus desiisse (*potius unitam cum Camaldulensi*), et Suavicinam eremum multo ante extremo suo fato cessisse. *Hæc ille. Verum hinc consequens non fit* B. Dominicum *Avellanensem non fuisse, adeoque ipsam eremum Suavicinam Avellanæ leges non esse secutam et initio ejus obnoxiam fuisse auctoritati. Plura non videntur addenda.*

(1) De ecclesia Septempedana, pag. cit.

(2) Ex Turchio, Vit. S. Dominici Loricati.

NOTA 32 ad pag. 630, littera D.

DE S. BERNARDO CONFESSORE

E

B

ARCANI IN ITALIA.

De auctoritate Actorum S. Bernardi.

O*peræ pretium videtur animadvertere, Goorium paulo longius progredi, quum asserit* Acta B. Bernardi *Cardinali Baronio* placuisse; *contra vigilanti hic verbo usus, dicit solum ea* a se lecta *fuisse. Et quidem si quis alius ea quoque legat, continuo forte obversabitur menti historia retectionis reliquiarum S. Justi Ulciensis, quam ad diem* XVIII *Octobris in hoc Opere* (1) *discussam habes; cui ne hæc forsan similis sit, timor forte pulsabit animum; deinde quod spectat ad miraculum de spontaneo campanarum sonitu, alibi, quando de S. Balderici reliquiarum translatione ageretur,* (2) *monitum est id prodigiorum genus minus placuisse sapientissimo Castellano: unde fieri natum est ut minus placeant quæ his Actis, utut antiquis, continentur. Sed me meliori auctori hæc permittenda.*

(1) Acta Sanctorum, t. VIII Oct., pag. 393 et seqq.

(2) Acta Sanctorum, tom VII Oct., part. post. pag. 925.

INDICES

INDICES

IN AUCTARIA TOMORUM I, V ET VI OCTOBRIS

Numerus paginam indicat; a b c d e f *sectiones paginarum;*
† *Sanctum designat.*

INDEX

HISTORICUS.

A

Æ

B

C

† Castor

D

H

Hugo

M

N

O

P

Q

R

Rogerius

S

Stein

W

X

Z

INDEX

TOPOGRAPHICUS.

Athyra

Æ

B

C

D

E

✠ Hilarii-

† Mariæ

N

O

P

Patrica

T

U

V

† Vincenti

INDEX

ONOMASTICUS

INDEX

MORALIS

 Epistolæ

INDEX

HAGIOLOGICUS

ACTORUM SANCTORUM

QUÆ IN OPERE BOLLANDIANO

DECEM PRIORIBUS MENSIBUS ILLUSTRATA SUNT,

CONSTANS

ex Ephemeridibus universalibus,
Indice alphabetico Sanctorum et Syllabo nominum rerumque notabilium,
quæ in Præfationibus, Tractatibus, Diatribis et Exegesibus
præliminaribus, reperiuntur.

PRÆFIGITUR BREVIS TOTIUS OPERIS NOTITIA SIVE DESCRIPTO

Curante L. M. RIGOLLOT, presbytero Lingonensi.



PROŒMIUM.

Quum Heribertus Rosweidus et post eum Joannes Bollandus Acta Sanctorum colligere aut edere cœperunt, nequaquam cogitaverunt umquam futurum ut Opus illud suum in tantam molem excresceret. Neque enim secum statuerunt res singulas scrutari, sed potius in mente habebant Acta antiqua edere more fere Suriano, nisi quod phrasim primigeniam ubique retinerent et alter in commentariis et annotatis rationem quam in Vitis Patrum, alter vero eam quam primis Januarii diebus servavit, custodirent. Quapropter, licet Rosweido (cui assentiebat celeberrimus Velserus Augustanus) ordo chronologicus, quo ordine Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti postea ediderunt Menardus et Mabillonius, sequendus videretur, ii tamen, quibus ille ex officio morem gerere debebat, ne a trita Florum seu Legendarum Sanctorum (id enim commune nomen erat) et imprimis a Suriana methodo discederet et illa sua novitate antiquiorum prudentiam notasse diceretur, sapientius esse duxerunt præcipere ut ordinem temporum omitteret et Kalendariorum seu Martyrologiorum observaret. Quod consilium nequaquam improbabile erat, si intra angustos quos initio ille sibi præscripserat fines, se continuisset Bollandianum opus; sed minus probabile apparuit, quum Henschenius Commentarios introduxit fusiores, quibus non solum omnia, quæ de Sanctis narrata sint exhiberentur, sed et examinarentur, illustrarentur et secundum certas critices regulas recognoscerentur. Certe, quum Acta universi orbis omniumque ordinum et conditionum Sanctos et Beatos complectantur, gravissima illa difficultas, quæ ex tanta amplitudine necessario oritur, vitari nullo modo poterat; sed, si ordo chronologicus pro norma fuisset præstitutus, impedimentum illud maximum quod a temporum diversitate proficiscitur, sublatum fuisset aut potius non exstitisset. Qui enim nunc in Actis Sanctorum conscribendis versantur, non solum continuo transire debent ex Italia in Angliam, ex Hispania in Germaniam, ex Gallia in regiones Slavicas, ex Hibernia in Africam, ex Oriente in Occidentem (quod quam grave sit nemo non videt); verum, quod et plus negotii habet, in singulis tomis omnia a Christi ætate tempora, nisi etiam Patriarcharum Veteris Testamenti vitæ edendæ sint, percurrere debent. Quis autem omnium regionum, innumerarum civitatum et monasteriorum historiam universam cognoscere possit? Quod, quum humanas facultates superet, centies eadem recolenda et scrutanda sunt, et multa etiam sæpius repetenda; præterea quod ii, qui historiam aut annales scribunt, Opere nostro uti non possunt nisi continuo jam ad unum jam ad alium tomum recurrant.

Irremediabile hoc structuræ operis Bollandiani vitium est. Cogitavit quidem Janningus, qui Ephemerides Sanctorum sex priorum mensium edidit, omnium tomorum Indices chronologicos in unum conflare, adeoque operis hujus apparatus adhuc exstat; sed ipse non tantam inde nascituram vidit utilitatem, ut id perficiendum multoque minus typis excudendum esse existimaverit. Necesse tamen est ut aliqua sit ratio, qua lectores in tanto Opere versando dirigantur. Visus est itaque Papebrochio conficiendus Index Sanctorum, de quibus in Opere actum est, eique præmittendæ Ephemerides, ex quibus cognoscantur potissimi de eorum gestis fontes, præcipuaque Commentariorum argumenta: fieri enim non poterat ut in ipso Indice singularia illa exhiberentur. Atque Ephemeridum illarum hic finis et scopus est.

Reliqua fere quæ ad hunc Indicem et ad prævias Ephemerides pertinent explicata fuerunt a Janningo ante Ephemerides mensis Januarii et a Ghesquiero ante Ephemerides mensis Julii. Quæ scripta quum denuo edenda visa sint, non est quod quæ illic leguntur hoc loco repetantur.

Sed

Sed de paucis aliis, quorum momentum minimum non est, monendus videtur lector. Is quidem operi Bollandiano ab initio præfixus est scopus ut omnium Sanctorum, quotquot in universo orbe legitime coluntur aut culti fuere, edantur Acta et illustrentur. Sed tanta hæc est moles ut auctoribus in mentem numquam venerit hoc a se consilium plene perfecteque præstari posse; sed ea fuit eorum sententia ut, quantum per humanas vires liceret, eo contenderent, certi se numquam ad optatos exitus pervenire posse. Quapropter ad singulos dies proposuerunt elenchum nominum, qui non tantum Sanctos *ad alios dies relatos* continet, sed et alios quos *Prætermissos* dixerunt, sive quod de publico eorum cultu sibi non satis constaret, sive quod documentis omnino carerent. Ex his potiores in Indice, adjecto asterisco, inscripti sunt; verumtamen non omnes, atque etiam aliqui quorum cultus immemorabilis postmodum Sanctæ Sedis judicio comprobatus est, seu etiam quorum causa Beatificationis et Canonizationis postmodum suscepta est et absoluta. Sed exsistit et alia lacuna multo amplior. Quo certius scirent hagiographi de quibus Sanctis aut Beatis sibi ad singulos dies dicendum esset, ex innumeris Martyrologiis, Menologiis et Kalendariis excerpserat initio Bollandus nomina omnium qui aut certo colebantur alicubi in Ecclesia Dei, aut de quorum cultu probabilis aliqua erat suspicio, eaque in *codicem*, quem jocose *asininum* a stupenda auctoris patientia socii appellabant, retulerat. Sed, quantacumque ei præluxerat illorum librorum copia, plurimi eum tamen latuerant, tum manu, tum prelo scripti, potissime qui ad sanctos Celticos et Orientales pertinerent. Unde factum est ut non solum prætermissi, sed omnino omissi fuerint innumeri sancti Hiberni, Neo-Scoti, Wallenses, Cornubienses et Armoricani; item multi Slavi, Syri, Persæ, Coptitæ, Æthiopes, quin etiam Græci. Deinde, quum decreta Urbani Papæ VIII adversus Sanctos, quorum cultus aut immemorabilis non esset, aut Sanctæ Sedis judicio non confirmatus, jam severius, jam benignius interpretata fuerint, hæc quoque major minorve severitas aut benignitas in Actis deprehenditur, ita ut aliquando plures exclusi sint, qui alio tempore fuissent admissi. Sed et aliæ multæ sunt causæ cur ab Actis adeoque ab Ephemeridibus et Indice hagiologico multi absint Sancti, quibus certum jus erat ut sibi in iisdem locus daretur. Quidquid enim volunt homines, præstare non possunt. Quod effatum adeo manifestum est, ut ab eo abstinendum esset, nisi dissipandus foret eorum error, qui silentio Bollandianorum aliquando nituntur ut Sanctorum aut Beatorum aliquot cultum tamquam illegitimum improbent, aut ut illorum laborem tamquam imparem aut non sufficientem reprehendant. Hoc autem unum memoria retineat lector in Ephemeridibus et in Indice hagiologico omnia nomina Sanctorum et Beatorum quorum res in Actis illustratæ fuerunt reperiri, nequaquam autem omnium eorum, quibus in iisdem locus dandus fuisset.

Verum si multa desint nomina, alia non pauciora redundant. Cujus rei plures sunt causæ, una autem præcipua. Martyrologii Hieronymiani quantus sit in Actis usus nemini non innotuit, nisi qui ea numquam tractaverit. Maximi hunc librum fecerunt Bollandiani semper, ita ut etiam sex primos menses æri incidi curaverint, numquam tamen ediderint. Seculo quarto hunc librum scriptum credebant, auctumque deinde aliquot nominibus, distinctu facilibus; tantaque eum veneratione tractabant ut neque nominum mira forma, neque eorumdem nominum iisdem aut vicinis diebus repetitio hanc eorum observantiam interturbaret, æstimantium rationem habendam esse: barbariei temporum, apocope aliisque modis nomina facile perverti; nomina inter Latinos et Græcos non ita fuisse varia ut in una martyrum turma plures eodem appellari nequiverint; tot fuisse martyres, Romæ præsertim, ut mirandum non sit quod una aut vicinis diebus plures colantur manipuli, quorum singuli diversis nominibus non designarentur; aliaque id genus, quibus illæ difficultates tollerentur, suggerentium. Verumtamen excusari non poterant omnia; unde passim in Actis querelæ fluunt de luxatis turbatisque laterculis Hieronymianis. Sed luxationes turbationesque laterculorum non unica erant vitia; adeoque Bollandiani, imprimis Stiltingus, viderunt non numquam eadem Martyrum nomina diversis diebus certissime repeti: quod aliquando propter Reliquiarum translationem, aliquando quod non omnes una die cæsi essent, seu etiam quod diversis locis diversis colerentur diebus factum esse dixerunt, aliquando etiam quod de libri illius bonitate inceperint dubitare.

Quid itaque? Hoc brevi procemio utique obscurissimum hoc argumentum declarari non debet, neque potest; pauca tamen constituenda sunt. Compositum fuit olim, seculo verisimiliter quarto, breve Martyrologium græce; quod non ita multo post syriace versum est auctumque in fine *nominibus dominorum nostrorum Confessorum qui in Oriente occisi fuerunt*, quodque ex codice scripto anno 412, a Guilielmo Wrightio syriace et anglice editum fuit anno 1866 in Diario sacræ litteraturæ. Ut similium librorum fortuna fert, additiones, detractiones aliæve mutationes exemplari græco aut syriaco

riaco illatæ fuerunt, atque unum aliquod, a Wrightiano aliquantum diversum, in Occidentem (cum olim per monachos ultro citroque euntes commercium non nullum erat cum Oriente atque etiam cum Syria) delatum est, aut certe versio latina, secundum textum syriacum potius facta quam secundum græcum. Roma etiam sua habebat Kalendaria, quorum antiquissimus Bucherianum appellari solet; et, qui Gregorii Magni nomine epistolam scripsit ad Eulogium Alexandrinum, commemorat Martyrologium quod omnium prope Martyrum, utique Romanorum, nomina contineret. Aliæ ecclesiæ habebant sua; et quidem Tertullianus Afer, seculo tertio ineunte, monet in libro *de Corona militis* Christianos quod *Fastos* suos haberent; nec quemquam latet vetustissimum Kalendarium Carthaginense, editum a Mabillonio. Qui vero ex his aut similibus antiquis Kalendariis aut Fastis nova Martyrologia conflarent aut Martyrologium illud primævum augerent, exstiterunt permulti; quorum partim laborem deprehendere est in auctariis Bedæ, aliisque similibus et in aliquot Martyrologiis, quæ Hieronymiana contracta dici solent, ut omittam Martyrologia Fuldense et Ottoboniana, edita a Georgio, aliaque id genus. Inter eos singulariter apparet Italus aliquis, qui post S. Sixti Papæ III mortem, sed ante finem persecutionis Vandalicæ novum suum Martyrologium fecit; cujus exemplaria complura, quorum unum bonum, reliqua depravata plurimum, in manus Galli cujusdam post medium seculum octavum venerunt; atque is horum ope atque etiam aliquot Kalendariorum Gallicanorum, potissime Autissiodorensis et Lugdunensis adjutus, compilavit quod nunc vocamus Martyrologium Hieronymianum.

Quidni vir acer fuit ingenii, accuratus, diligens, multæque in dispiciendis nominibus subtilitatis? Sed defuerunt ei hæ dotes omnes: ita ut nomina non tantum detorserit, sed aliquando in duas partes dissecuerit; ut civitatum et virorum nomina vicissim mutaverit; ut turmas martyrum miscuerit aliave interposuerit; et potissimum ut frequentissime bis, interdum ter, aliquando quater aut etiam sæpius eadem nomina repetierit, jam eadem die, jam diebus vicinis. In quæ vitia aliquando per negligentiam incidit, aliquando quod amabat occasione alicujus Sancti nomina sociorum aut quos putabat socios (nam et in hoc aliquando errat) denuo producere in medium, ea plerumque ex solis hausta Martyrologiis, aliquando ex Vitis Sanctorum et Passionibus Martyrum: nam et hoc librorum genere usus est. Unde fit ut nullus forte in universa antiquitate horribilior liber sit. Quæ, si quis exemplo aliquo manifesta facta videre velit, adeat is *Studia religiosa, historica et litteraria* Patrum Societatis Jesu, anno 1868 Parisiis edita.

Sed quantumcumque omnia in illo libro turbata, commixta, hiulca, loco mota, inepte aucta, sæpius aliquando repetita sint, continet tamen vetustissimos ecclesiasticos Fastos Orientis, Italiæ, Africæ et Galliarum: quæ monumenta quanti sint pretii, maxime quod fere in Sanctorum nominibus consistunt, eruditus quisque facile percipit. Sed in eorum usurpatione prudentia magna, multoque judicio, quin etiam audacia quadam opus est: quæ plane desiderari in illa Actorum Sanctorum parte supra indicatum est.

Quapropter in admittendis nominibus Sanctorum, quæ nonnisi ex Martyrologio Hieronymiano in Acta translata sunt, necesse est multum adhibere judicium. Examinandum imprimis an eædem martyrum turmæ aut aliquot saltem nomina bis aut ter eodem proximisve diebus non veniant; dein an in designatione locorum erratum non sit; tertio an nomina non sint mutata, masculina in feminina et vicissim, aut in duo nomina divisa; quarto an loco suo mota non sint, ita ut Romani Martyres facti sint Afri, Alexandrini Heracleenses et sic deinceps; et demum an civitatum nomina conversa non sint in Martyrum et Martyrum in civitatum.

Operæ utique pretium fuisset errata illa omnia in Indice Sanctorum notare, nisi is labor plures sibi postulasset annos. Spes utique est fore ut ad diem 1 Novembris, qua natalis Sanctorum omnium agitur, Martyrologium Hieronymianum secundum complures codices edatur, qua occasione (si cui satis sit animi et virium) difficillimum opus suscipi poterit; sed in præsentiarum nihil aliud superest quam ut Ephemerides, Index alphabeticus Sanctorum decem priorum mensium, Syllabusque nominum et rerum notabilium, quæ in Præfationibus, Tractatibus, Diatribis, etc., reperiuntur, absque ulla mutatione, exceptis tamen aliquibus additionibus, edantur.

VICTOR DE BUCK,
S. J. Presb. Theol.

NOTITIA BREVIS

SEU

DESCRIPTIO NOVISSIMÆ EDITIONIS OPERIS INSCRIPTI ACTA SANCTORUM

PARISIIS SUMPTIBUS VICTORIS PALMÉ

EDITORIS ET BIBLIOPOLÆ EDITÆ

Sexaginta et uno voluminibus constantis : quorum 54 antiquam collectionem, 6 labores Neo-Bollandianorum et præsens volumen supplementarium Auctaria Octobris et Indices Generales complectuntur.

Immensi et per totum orbem late notissimi Operis quod inscribitur *Acta Sanctorum*, nemo est, qui ignoret primam idæam concepisse Heribertum Rosweydum Societatis Jesu presbyterum. Cum autem tabifico morbo infectus præpropere obiisset, Joannes Bollandus ejusdem Societatis ad propositum Opus manum admovit, cum spe illud absolvendi, ut constat ex dictis in Præfatione Generali, quam primo Januarii Tomo adjecit. Ast, crescente in dies dicendorum mole et gravitate, ita ut non brevissima solummodo scholia, uti prius in mente habuerat, sed luculentiores Commentarii dare cogeretur, nondum absoluto Martio, defunctus est. Opus tamen ab eo nomen sumpsit vulgoque *Bollandianum Opus* dicitur, vocanturque Hagiographi *Bollandistæ* seu *Bollandiani*.

Sufficiat ad laudem istius præclari Operis citasse sequentia verba ab auctore heterodoxo Martyrologii metrici Ecclesiæ Græcæ, anno Christi MDCCCXXVI, prolata : « Insignes illi gloriæ Sanctorum statores, hocque ipso nominis æternitatem promeriti, quidquid occultum hactenus fuerat, e tenebris stupendo labore provocarunt. Quam etenim, quæso, in omni Europa gentem, quam urbem, ecclesiam, monasterium, cryptam, extremumque angulum nominabis, quem ipsi non adierint, subierint, penetrarint, ut his ignotis ante hoc Martyrum divitiis orbem quasi postliminio locupletarent? Qui, cum ubique, quod probos decebat viros, præstiterint, fidemque juxta leges suos sancte coluerint, etiamsi nonnumquam vel inter suos ob veritatis amorem acerbius habiti fuerint : ita sane idem studium, eamdem operam, parem industriam, divinam diligentiam ecclesiæ Græcæ præstiterunt, cujus martyres et monumenta ad suæ gloriæ incrementum pertinere non absque ratione judicarunt. »

Bollandus, qui, anno Christi MDCXXX ineunte, ad H. Rosweydi incepta continuanda vocatus fuerat, tredecim solidos annos posuit, antequam primum Januarii volumen in lucem emitteret, et licet intra brevius intervallum tomi sequentes absoluti sint, unusquisque tamen eorum fere triginta quatuor mensium laborem requisivit; ita ut ante suspensionem Operis, post tomum VI Octobris editum, ob perturbationem Gallicam bellaque inde grassantia, lucubrationi operam contulerint tempore centum et quinquaginta annorum viri triginta duo. Norunt omnes interruptum Opus, anno MDCCCXXXVIII continuatum fuisse a Patribus Societatis Jesu Provinciæ Flandro-Belgicæ Neo-Bollandianis nuncupatis, qui sex volumina jam prælo mandarunt, nondum tamen Octobrem absolvere potuerunt.

Priusquam autem deveniamus ad descriptionem uniuscujusque voluminis novæ Editionis, certe juvabit Lectorem præ oculis habere Hagiographorum nomina, patriam, religiosam Professionem, simulque numerum annorum, quos Operi impenderunt. Quod præstabit subjecta tabella, jam pro parte Præfationi Tomi VII Octobris inserta. Aliqui ex dictis Hagiographis scilicet : Daniel Cardon Antverpiensis, Henricus Tilleul, Nicolaus Rayé Bruxellensis, Franciscus Verhoeven Brugensis, Petrus Dolmans ex Limmel, Jacobus Trentecamp Aldenardensis, Adrianus Heylen canonicus Præmonstra-

tensis et Carolus de Smedt Gandavensis absunt e sequenti Conspectu, quia breviori tempore Operi cooperati sunt; satis erit ipsorum nomina hic obiter dedisse. Ceteri vero quadruplici serie distinguuntur : prima complectitur eos qui unius pluriumve voluminum titulo inscripti et Hagiographiæ immortui sunt; secunda habet illos qui edendis voluminibus cooperati aut Musæum ante mortem reliquerunt, aut Hagiographiæ supervixerunt; tertia eos exhibet, qui, exstincta Societate Jesu, ex aliis Ordinibus accesserunt ad Cornelium Byeum et Jacobum Bueum operamque posuerunt in conficiendis tribus ultimis voluminibus, ante suspensionem Operis editis; quarta denique complectitur Patres Societatis Jesu ad continuationem reassumpti Operis ab anno MDCCCXXXVIII destinatos.

NOMINA ET SIGNATURA.		NATI		INGRESSI SOCIETATEM JESU.	INITIUM LABORIS.	FINIS LABORIS		ALLABORARUNT annos	ALLABORARUNT volumina	LAUDANTUR.
				PRIMA SERIES						
Jean van Bolland (Bollandus)	I. B	Julemont	1596	1612	1631		1665	43	8	T. I *Martii.*
Godefroid Henschen (Henschenius)	G. H.	Venrad	1600	1619	1635		1681	46	24	T. VII *Maii*
Daniel van Papenbroek (Papebrochius)	D. P.	Anvers	1628	1646	1659		1714	55	19	T. VI *Junii.*
Conrad Janninck (Janningus)	C. I.	Groningue	1650	1670	1679		1723	44	13	T. III *Julii.*
François Baert (Baertius)	F. B.	Ypres	1651	1670	1681		1719	38	10	T. II *Julii.*
Jean Baptiste du Sollier (Sollerius)	I. B. S.	Herseau	1669	1687	1702		1740	38	12	T. V *Augusti.*
Jean Pien (Pinius)	I. P.	Gand	1678	1696	1714		1749	35	14	T. III *Septembris.*
Guillaume Cuypers (Cuperius)	G. C	Anvers	1686	1704	1720		1741	21	11	T. VI *Augusti.*
Pierre van den Bosch (Boschius)	P. B	Bruxelles	1689	1705	1721		1756	15	7	T. III *Augusti*
Jean Stiltinck (Stiltingus)	J. S.	Deerwyck	1705	1722	1737		1762	25	11	T. I *Octobris.*
Constantin Suyskens (Suyskenius)	C. S	Bois-le-Duc	1714	1732	1745		† 1771	26	11	T. IV *Octobris.*
Jean Perier (Perierus)	J. P	Courtrai	1711	1732	1747		1762	13	7	T. I *Octobris.*
Urbain Stycker (Sticherus)	V. S	Dunkerque	1717	1735	1751		† 1755	2	1	T. V *Septembris.*
				SECUNDA SERIES						
Jean Limpens (Limpenius)	J. L	Aalbeek	1709	1726	1741	recessere 1750	1784	9	3	
Jean van de Velde (Veldius)	J. V.	Anvers	1710	1727	1742	recessere 1747	† 1747	5	2	T. V *Septembris.*
Jean Clé (Cleus)	J. C.	Anvers	1722	1740	1755	recessere 1760	1800	7	3	T. VII *Octobris.*
Corneille de Bye (Byeus)	C. B	Elverdinghe	1727	1745	1761	recessere 1789	† 1801	28	6	*Ibidem.*
Jacques de Bue (Bueus)	J. B	Halle	1728	1745	1762	recessere 1796	† 1808	34	7	*Ibidem.*
Joseph Ghesquière (Ghesquierus)	J. G	Courtrai	1731	1750	1763	recessere 1771	1802	8	4	*Ibidem.*
Ignace Hubens (Hubenius)	I. H.	Anvers	1737	1755	1771	recessere 1775	† 1782	4	1	*Ibidem.*
				TERTIA SERIES						
Jean-Baptiste Fonson (Fonsonus)	J. B F.	Bruxelles	1757	Can. Reg.	1778	recessere 1789	1826	11	2	*Ibidem.*
Anselme Berthod (Berthodus)	D. A B	Rupt	1735	O. S. Ben.	1784		1788	4	1	*Ibidem.*
Siard van Dyck (Dickius)	S. D	Tongerloo	1759	O. Præm.	1780	recessere 1796	1850	7	2	*Ibidem.*
Cyprien van de Goor (Gorius)	C. G	Turnhout	1759	O. Præm.	1789	recessere 1796	† 1858	7	2	*Ibidem.*
Mathias Stalz (Stalzius)	M. S.	Maeseyck	1761	O. Præm.	1789	recessere 1795	† 1826	6	2	*Ibidem.*
				QUARTA SERIES						
Joseph van der Moere	V. D. M	Menin	1791	1816	1838	1847		9	1	
Joseph van Hecke	V. H	Bruges	1795	1814	1838	1869	1874	31	6	
Benjamin Bossue	B B	Poperinghe	1804	1823	1845			30	5	
Victor de Buck	V. D B	Audenaerde	1817	1835	1840			35	6	
Antoine Tinnebroeck	A. T	Waalwyck	1816	1836	1840		1855	15	2	T. IX *Octobris*
Edouard Carpentier	E. C.	Meulebeck	1822	1844	1846		1868	22	5	
Remy de Buck	R. D B	Audenaerde	1819	1838	1863			12	2	
Henri Matagne	H. M.	Namur	1835	1851	1865		1873	9	1	

Ter hactenus editum fuit Bollandianum Opus de Actis Sanctorum. Primam editionem *Antverpiensem* nuncupamus, eo quod, pro majori saltem parte, volumina quibus constat, Antverpiæ prælo mandata fuerint. Veteres equidem Hagiographi propositum inierant Opus suum Amstelodami typis edendi, et de facto, ut ipse Papebrochius in vita G. Henschenii narrat, aliqua folia ibi impressa in lucem prodierunt. Contigit autem, quadam nocte Februarii, ut nova isthæc fabrica, cum omni typographico supellectili deflagraret; et sic ad primos typothetas redire coacti sunt. Qui voluerit hujusce editionis descriptionem habere, adeat opus cui titulus : *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus, ou notices bibliographiques : 1° de tous les ouvrages publiés par les membres de la Compagnie, depuis la fondation de l'Ordre jusqu'à nos jours ; 2° des apologies, des controverses religieuses, des critiques littéraires et scientifiques suscitées à leur sujet* par Augustin de Backer de la Compagnie de Jésus, avec la collaboration de Aloïs de Backer et de Charles de Sommervogel de la même Compagnie. — Liége. — Première édition 1853. — Deuxième édition 1869.

Secunda editio Venetiis prodiit anno Christi MDCCXXXIV et sequentibus, ideoque *Veneta* nuncupatur. Quadraginta tribus voluminibus constat, et Acta Sanctorum usque ad Tomum VI et diem decimam octavam Septembris complectitur. Hoc habet commodi : 1° quod additamenta in editione Antverpiensi ad calcem voluminum rejecta, hic suo loco, in corpore Operis inserta sint; 2° quod Præfationes, Tractatus præliminares, Exegeses, etc... seorsim ab Actis Sanctorum typis sint vulgata. Sed innumeris fere typothetarum mendis scatet, et non raro accidit (quod Eminentissimus Cardinalis Pitra eam volvendo animadvertit) ut una linea vel duo omnino prætermittantur, quin Lector talis omissionis moneatur.

Tertia

Tertia editio hæc ipsa est, quam Lector præ oculis habet. Illam *Novissimam* nuncupamus, quia recentius typis mandata. Primi quatuor menses notis extemporalibus D. Papebrochii nunc primum editis locupletantur. Excepto menso Januario et aliquibus Junii voluminibus, consimilis est editioni *Antverpiensi* seu primigeniæ, eo proposito, quod facilius eruditi quæsita reperiant. Notitia seu Descriptio quæ inferius datur, ad hanc editionem solummodo spectat. Tria sunt semper pro unoquoque volumine attendenda : 1° Titulus completus cum indicatione Hagiographorum, Typothetarum, etc. 2° Materiæ de quibus in eo tractatur numerusque paginarum, verbi gratia, pro Epistolis Dedicatoriis, pro Diatribis præliminaribus, pro textu, pro sex Indicibus, etc.... 3° Recensio omnium figurarum. Hoc autem monitum volumus Lectorem, quod imagines quæ textu insertæ sunt charactere *Italico*, quæ vero extra textum charactere *Romano*, ubique distinguantur. Figuræ aliquot *Antverpiensis* Editionis non reperiuntur in correspondentibus præsentis Editionis voluminibus, quod evenit vel ex oblivione, vel quia tunc deerant typa incisa. Sed, ne Lector promissis frustretur, ad calcem husjusce voluminis adjiciuntur ; quam circumstantiam, suo loco, in Descriptione sequenti, semper notari curavimus.

JANUARIUS IN TRIBUS TOMIS DISTRIBUTUS.

2 Ejuscemodi Ephemerides alterumque Alphabeticum Sanctorum Indicem, mox ut secundo Semestri finis esset impositus, typis edere jam pridem fixum erat, ut, quemadmodum gratos lectoribus fructus priores tulerant, ita et Hagiophilorum commodo posteriores inservirent, et unde quilibet ex tot tamque vastis voluminibus haurire quidquam posset; minime operosa methodo indicarent. Verum cum ab anno MDCCXVII, *quo tempore prodierunt memoratæ Ephemerides primi Semestris, eo Opus nostrum excreverit, ut vulgata de Julio, Augusto et Septembri volumina vix non numero ea exæquent, quibus sex primi menses fuerant illustrati, haud abs re visum est, instigantibus præsertim Hagiophilis Germanis et Gallis, consilium jam diu conceptum mutare, ac nunc generales duos hujus Trimestris Indices texere, alterum qui Martyrologii instar Sanctos Beatosque assignaret, qui quoque die trium illorum Mensium in Opere nostro locum habent, indicátis breviter iis omnibus, quæ Papebrochius P. M. in prioris Semestris Ephemeridibus indicarat ; alterum qui alphabetico ordine servato, omnium, de quibus hoc Trimestri actum est, Sanctorum ac Beatorum nomen ceteraque adjuncta, diem itidem, quo coluntur, referret ; ut nemini cuiquam difficile futurum sit, maxime, ubi ultimo Trimestri accesserint similes Indices, illius, quem quærit, Sancti aut Beati Vitam vel Acta invenire. Atque hæc de iis dicta sunt, quorum Sanctitas ac Beatitas religioso cultu legitimisve honoribus celebratur in Ecclesia.*

3 Verum cum præter eos alia sit Sanctorum classis, illorum videlicet, quorum sanctimonia vel communem piorum fidelium modum excedit, vel signis quibusdam admirandis decorata est, de quorum tamen religiosa eaque legitima veneratione nobis non constat, seu quod iniquitate temporum cultus eorum intermissus sit, seu quod Ecclesia nondum eis sacros honores decreverit, seu quod monumenta vel nulla de iis exstent vel ad notitiam nostram non pervenerint; hujuscemodi Sanctis locum utcumque in Actis nostris dare, eosque inter Prætermissos memorare Majoribus nostris visum est. Placuit et eodem referre Martyres illos, quorum corpora ex Romanis cryptis accepta sunt : quippe licet de illorum cultu legitimo dubium nobis non sit ; cum tamen eorum gesta vel numquam litteris commendata sint vel certe interciderint ; non est, cur hujusmodi Sanctis parem cum aliis, quorum specialis exstat in sacris Fastis memoria, in Actis nostris locum, eumque digniorem concedamus : quare ne eorum penitus omitteretur memoria, de iis inter Prætermissos meminimus. Ex hoc ego Prætermissorum catalogo nonnullos hic seligam, atque in Ephemeridibus memorabo, in Alphabetico Indice sic ab iis distinguendos, quorum Sanctitas perspecta est et Acta a nobis illustrata jam sunt. Hunc inde fructum si consequar, ut aliquorum istiusmodi Sanctorum Acta aut documenta cultum probantia nobis subministrentur aut innotescant, laborem hunc meum, ut ut tetricum, abunde compensatum habebo, stabitque iis, qui similia nos edocuerint, sua gratia, nec eorum in nostri Operis decursu omittetur memoria.*

4 *Præfando te diu non morabor, Amice Lector. Hæc tantum te paucis monitum velim.* I. *Eas ipsas Observationes, quas Janningus P. M. utrique Indici olim edito præmisit, hic pro insertis habendas esse.* II. *Me, qui Papebrochii supra laudati Opus hic prosequor, iisdem compendiariis notis usurum, quibus ipse Sanctorum ordines et recurrentia sæpe nomina expressit. Sit exempli gratia* M. *Martyr*, m. *Monachus*, Ep. *Episcopus*, V. *Virgo, etc. Quæ notæ, si duplicentur, exempli gratia* Epp., *pluralem numerum indicatum esse intelligas.* III. *Ne nimium hic Index excresceret, præcipua dumtaxat vitæ capita eaque generalibus terminis expressa esse, sic tamen, ut ad particularia quævis facilis via sit.* IV. *Hoc ipso, quo monumenta quædam seu Mss. seu typis edita hic assigno, non continuo me ea pro genuinis aut authenticis dare; proinde quæ sit de iis Majorum nostrorum sententia, in ipso Commentario lector criticus videre debet.* V. *Etsi externorum nomina, qui Acta quædam ex peregrino idiomate in Latinum verterunt, plerumque in Ephemeridibus exprimam, id me studio in iis omisisse, quæ Majores nostri documenta e Græco, Hispano, Italico, Germanico, Gallico aliove idiomate Latina fecerunt. Cum enim id ipsis nec ita novum nec rarum sit, crebrius fuissent eorum citanda nomina. Denique, si qui forte in hoc Indice memorentur tamquam sacris honoribus nondum ab Ecclesia donati, quibus tamen summus harum rerum arbiter Romanus Pontifex cultum decrevit aut permisit, protestari me, nihil prorsus nos illis detractum velle, ac contra cupere vehementer, ut de concessis ipsis honoribus Ecclesiasticis instruamur, lubentissime eos agnituri et opportuno loco de ipsis facturi mentionem.*

MENSIS

MENSIS JULIUS.

Quod fuerat a Rosweydo præparatum, a Bollando inchoatum, ab Henschenio vero formatum, Papebrochius, adjutoribus Janningo præsertim et Sollerio usus, primum de Actis Sanctorum Semestre haud infeliciter, si viris cordatis et eruditis pluribus fides sit, anno MDCCIX perfecerat, cum editis de mense Junio tomis quinque, anno MDCCXV accessit sextus, complectens eorum Supplementum, prioremque insuper seorsum alias editi partem Martyrologii Usuardi a Sollerio illustrati; subsecutus deinde anno MDCCXVII est tomus Junii septimus, tum alteram Addendorum, tum Martyrologii Usuardi partem alteram continens cum geminis Sanctorum omnium, qui primo Semestri sacro illustrati fuerant, Indicibus; quibus et Martyrologia aliquot Hieronymiana contracta adjungere visum erat. Jam itaque ab anno hujus seculi decimoseptimo, indefessus dicam an improbus, Majorum nostrorum labor ad finem perduxerat primum Semestre sacrum, editis tomis viginti quinque, quando biennio post, anno nimirum MDCCXIX, Janningi, Sollerii et Pinii opera prodiit de Actis Sanctorum tomus vicesimus sextus, alterius Semestris et mensis Julii primitiæ, quas Augustissimo Romanorum Imperatori ac Mæcenati nostro Carolo VI, Domino nostro Clementissimo consecrare, summa nobis benignitate concessum est. Tomus hic præter Tractatum præliminarem de Sanctis duodecim Sociis e Syria in Umbriam Christianæ fidei propagandæ causæ advenis, Auctore Janningo, tres primos dumtaxat hujus mensis dies, ne grandior excresceret voluminis moles, complectitur; atque his annectitur Synaxarium ex Menologio, Basilii Imperatoris jussu collecto, cujus sex postremi menses servantur Mss. in monasterio Basilianorum Cryptæ-Ferratæ in Latio.

2 Secundus Julii tomus, iisdem qui supra auctoribus, anno MDCCXXI in lucem evasit, Augustissimæ Imperatricis Elisabethæ, cui multis titulis debebatur, venerando nobis semperque caro nomini inscriptus; qui licet primo non sit mole major, dierum tamen et Sanctorum numero, utpote sex dies illustrans, multo illum excedit. Eadem porro hujus tomi œconomia est, quæ priorum et subsequentium; quod hic semel monuisse sufficiat. Præter ea, quæ pro recepto nunc a nobis more discutienda et illustranda veniunt, continet Vitam Francisci Baertii decessoris nostri, quem anno MDCCXIX, die 27 Octobris mors nobis eripuit annos natum sexaginta novem.

3 Serius paulo, quam quidem initio rati fuerant Majores nostri, editus est Julii tomus III: varia nimirum hinc inde oborta impedimenta suceptaque Hispanica profectio in causa fuerunt, cur non nisi exeunte anno MDCCXXIII in lucem emitti potuerit. Ceterum, quæ fuit Optimi Cæsaris ac Mæcenatis nostri benevolentiæ erga nos suæ iterata testificatio, dicatum hunc sibi tomum solito suo favore complexus est. Post novem jam editos dies, percurrit volumen hoc dies quinque, studio diligentiaque Sollerii, Pinii et Cuperi digestos atque illustratos, exhibet præterea minime fucatum Conradi Janningi nostri Elogium, viri in republica litteraria multorum eruditorum judicio minime ignobilis, nec non de Opere nostro optime meriti, quem anno MDCCXIX hemiplexia Museo nostro subduxit, ac tandem anno MDCCXXIII, die XIII Augusti vere Christiana et religiosa mors, Superis, ut confidimus, inseruit anno ætatis suæ septuagesimo tertio.

4 Mensis hujus tomus IV lucem aspexit anno MDCCXXV, laudatis supra scriptoribus accedente Petro Boschio, qui Tractatum insuper præliminarem Historico-Chronologicum de Patriarchis Antiochenis; improbi tetricique laboris victor adornavit. Dies quinque, a XV scilicet ad usque XIX hic tomus decurrit; atque ut volumina cetera a mense Julio Augustissimis Mæcenatibus, quorum munificentia et æquitate Opus nostrum suffultum steterat, fuere consecrata, ita Regiæ Principi et Archiduci Mariæ Elisabethæ, Belgicæ nostræ Gubernatrici Serenissimæ nuncupatus oblatusque hic tomus est.

5 Post septem mensis Junii et quatuor Julii tomos Augustissimæ Domus Austriacæ Principibus dicatos, hic Julii tomus quintus, et totius Operis tricesimus, ordine duodecimus est, qui tam honorificis faustisque auspiciis sit editus. Prodiit autem anno MDCCXXVII, Serenissimæ Archiducis Mariæ Magdalenæ augusto nomini, ex Imperatoris germani ejus fratris, nostrique perpetui Mæcenatis nutu dicatus, complectiturque dies quinque, vicesimam nempe et quatuor subsequentes, iisdem, qui supra laudati sunt, auctoribus, Sollerio, Pinio, Cupero et Boschio.

6 Anno MDCCXXIX publici juris factus est mensis hujus tomus sextus, ab inchoato Opere primus supra tricesimum, quem Regiæ tum Principi atque Archiduci, nunc Augustissimæ ac clementissimæ Dominæ nostræ Mariæ Teresiæ, Imperatrici et Reginæ Apostolicæ a nobis consecrari incredibili nostra voluptate Optimus Cæsar permisit. Tomum hunc dies quatuor continentem elucubrarunt laudati auctores, quos inter Joannes Pinius Tractatum edidit præliminarem de Liturgia antiqua Hispanica, Gothica, Isidoriana, Mozarabica, Toletana, Mixta historico-chronologice deductum.

7 Septimus hujus mensis tomus isque ultimus anno MDCCXXXI in publicum prodiit, qui licet ceteros

teros mole exæquet, dies tamen Sanctosque solito pauciores illustrat; ast paucitatem hanc compensant illustriores aliquot Sancti, quorum præclarissima gesta uberius fuerunt pertractanda. Ediderunt tomum hunc supra memorati auctores, eumque Serenissimæ Archiduci Mariæ Annæ, postmodum Gubernatrici nostræ et Lotharingiæ Ducis Caroli Conjugi Belgarumque amori, qua decet, veneratione inscriptum obtulerunt.

N. B. Tomo VII Julii adjicitur Appendix generalis sub hoc titulo : *Appendix generalis addendorum, mutandorum et corrigendorum ad omnes septem Tomos de Actis Sanctorum Julii.* Quæ ibi remittuntur hoc signo A. J. ad marginem pro Nova Editione notabuntur.

TOMUS PRIMUS.

TRACTATUS PRÆLIMINARIS

DIE PRIMO.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE II.

Lætus

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE III.

INTER PRÆTERMISSOS.

Tatwinus

TOMUS SECUNDUS.

DIE IV.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE V.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE VI.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE VII.

INTER PRÆTERMISSOS.

Giraldus,

DIE VIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE

DIE IX.

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS TERTIUS.

DIE X.

INTER

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XI.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XII.

INTER PRÆTERMISSOS.

Biabailus

DIE XIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XIV.

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS QUARTUS.

DIE XV.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XVI.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XVII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XVIII.

INTER

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XIX.

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS QUINTUS.

DIE XX.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXI.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXII.

188 187. Censura Sorbonica de tribus Magdalenis
190 189. Argumenta contra unitatem 189; diluuntur 194. Unica mulier Evangelio magis consona ex conformitatibus 198. Græcorum di-
202 versa opinio 201. Sanctæ cultus in Fastis Latinis 203. Sanctæ obitus, sepultura, translatio a Græcis perperam tradita 205. De translatione Vezeliacensi 207. Possessio Provincialium hactenus verosimillima 213. Officium Massiliense 216. — SERMO de S. Magdalena *A. Odone abbate Floriacensi et Cluniacensi* 218. Appendix I de Mariæ Magdalenæ Reliquiis 222. Appendix II de Miraculis 223

Syntyches S. Pauli Apostoli discipula Philippis in Macedonia I *sec. ex Apostoli epistolis et Romano parvo* 225

Plato M. Ancyræ in Galatia *sub Maximiano*. COMMENTARIUS PRÆVIUS 226. S. Platonis miracula *ex epistola S. Nili ad Heliodorum Silentiarium* 228. Lectiones propriæ 229. — PASSIO *ex Passionali pergameno Ms. cœnobii Bodecensis* 230

Cyrillus, Andreas, Tebellius, Aureus et Stertheus MM., Antiochiæ, *ex Hieronymianis* 235

Cyrillus patriarcha Antiochenus Antiochiæ in Syria *anno* CCC, *ex Eusebio* 236

Andreas, Elianus et Aiabosus *seu* Aiobosus MM. Maxulitani in Africa, *ex Kalendario ecclesiæ Carthaginensis* 237

Joseph comes Conf. Scythopoli in Palæstina IV *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 238. Sancti patria, vitæ professio in Judaismo, mirabilis obstinatio, miraculum ab ipso tunc patratum, conversio, dignitas comitis, obitus, etc. *ex Variis a* 238 *ad* 246. HISTORIA conversionis *Auct. S. Epiphanio, synchrono et familiari, Panarii tom*, 2, *lib.* I, *interprete Petavio S. J.* 247

Wandregisilus Ab. in cœnobio Fontanellæ apud Rotomagos VII *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 253. Sancti natales, res gestæ chronologice deductæ, sepultura, translationes, etc. *a* 255 *ad* 264. VITA sincera *A. coævo, monacho Jurensi anonymo, ex Labbei nova Bibliotheca Mss. librorum, et ex Actis SS. Benedictinorum editis ab Acherio et Mabillonio* 265. VITA altera *A. coævo, monacho Fontanellensi*, sed interpolata, *ex Cod. nostro Ms. Valcellensi collato cum Ms. Thosano et cum Vita excusa apud Mabillonium* 272. MIRACULA S. Wandregisili *A. anonymo, monacho Fontanellensi, ex Cod. membraneo Valcellensi, collato cum Mss. Thosano et Aquicinctino atque editis Mabillonii* 281. HISTORIA Translationis S. Wandregisili in montem Blandinium *ex Ms. Aimerici Bigotii collato cum editione Mabillonii et Officio proprio Blandiniensium Ms.* 291

Meneleus Ab. et Conf. Ordinis S. Benedicti in monasterio Menatensi Arverniæ VIII *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 302. VITA *Auct. anonymo incertæ ætatis, ex Ms. Cod. cœnobii Menatensis edita apud Mabillonium Seculo* III *Benedictino* 308

Theophilus Junior M. in Cypro VIII *sec. ex Fastis Græcis et Mrl. Romano* 320

Hieronymus Ep. Papiæ in Insubria VIII *sec. ex monumentis Papiensibus* 321

Gaulterius Conf. Laude Pompeia in Insubria XIII *sec. ex Ferrario* 323

INTER PRÆTERMISSOS.

Salvianus, quem Saussayus ut Sanctum et Massiliensem episcopum hoc die prædicat, ubi et a quo tempore sanctorum seu beatorum honoribus donatus sit, aut cathedram illam tenuerit, prorsus nescimus 185 f 186 b

Hilarius episcopus Vesuntionensis, quartus hoc die Sanctus est creationis Saussayanæ, seu mavis Ferrarianæ. Nihilde ejus cultu legitimo invenimus 186 a 186 c

Wilfreda regina et abbatissa hoc die inter Prætermissos signata, eadem est cum Wilfrida *vel* Wulfride, cujus Vitam dedimus die IX Septembris pag. 454 186 c 186 e

Adrianus Confessor hoc die Massiliæ annuntiatur a Castellano in Martyrologio suo universali. Unde Sanctum istum Massiliensibus ipsis plane ignotum eruerit, conjicere non possumus 186 d 186 f

Laurentius a Brundusio, Capuccinorum generalis, doctrina, pietate et signis admirandis illustris, Ulysippone anno MDCXIX sanctissime obiisse dicitur apud Arturum. De hujus Laurentii religioso cultu nihil nobis innotuit 186 f 187 b

Margarita Richia vidua Senensis in Italia, ut virtutibus et spiritu prophetiæ illustris, memoratur a P. Benigno Fremaut in Vitis Belgicis Ordinis Seraphici, ex Fastis Senensibus et Vita edita anno MDCXCIX 186 f 187 b

Benno Osnabrugensis Episcopus quem Albertus Krantzius anno MLXXXVIII obiisse refert, ob vitæ meritum in Sanctorum numerum relatus dicitur in Vita B. Bennonis Episcopi Misniensis. Ut de legitimo cultu, de quo nobis non satis constat, edocere nos velint Osnabrugenses, remittitur iste Benno ad XX Novembris 187 d 187 e

DIE XXIII.

Apollinaris Ep. M. Ravennæ in Æmilia Italiæ, *sub Vespasiano*. COMMENTARIUS PRÆVIUS 328. Sancti elogia, tempus ordinationis, sedis ac mortis 328. Sancti sepulcrum ac corpus, Classensium possessio, translatio in decentiorem locum, *ex Variis* 330. Corpus Ravennam translatum, denuo Classem relatum, præsens ejus status, *ex Fabrio* 332. Reliquiæ falso pluribus locis adscriptæ, ecclesia sub Sancti nomine dedicata VI seculo, apparitiones, festa, sodalitates Missæ propriæ, etc. *a* 334 *ad* 340. Officia propria, Hymni, memoria in Litaniis, carmen Sapphicum, *sub nomine B. Petri Damiani, de Sancto compositum, etc.* 340. — PASSIO *Auct. anonymo conscripta ex Ms. nostro Fuldensi, ad plura alia collato*, 344. VITA brevior *ab Agnello seu Andrea conscripta et a Bacchinio edita* 350. ANALECTA in quinque partibus distributa 352: I Miracula *A. anonymo, monacho ut videtur, S. Benigni, ex pluribus Mss. quantum scimus, ineditis* 353; II Historia inventionis seculo XII, *ex Spicilegio Ravennatis historiæ* 358; III Ecclesia Classensis et corpus sancti ibidem quiescens, *ex eodem Spicilegio* 368; IV Instrumentum

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXIV.

ut

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS SEXTUS.

DIE XXV.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXVI.

Jorius

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXVII.

Corduba

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXVIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS SEPTIMUS.

DIE XXIX.

64 *sto Cod. cœnobii S. Lupi* 53. Elogium *ex Sido-*
65 *nio Apollinari* 54. Sancti natales, nuptiæ, vita
70 monastica, episcopatus, obitus, miracula 59.
— Acta antiqua *Auct. anonymo ex Cod. Valcel-*
lensi Ms., collato cum aliis Mss. et editione Su-
80 *rii* 69. Acta recentiora *Auct. anonymo, ex Ms.*
Ultrajectino S. Martini collato cum Cod. nostro
83 *membranaceo P. Ms.* 14, *et suppleto ex aliis* 72
Prosper Ep. Conf. Aureliani in Gallia v *sec. ex*
93 *Mrll. et Sammarthanis* 82
Genevæus Ep. Conf. Dolæ in Britannia Armorica
94 VII *sec. ex Castellano* 83
Constantinus patriarcha Constantinopolitanus VII
95 *sec. ex Fastis Græcis* 84
Olavus rex et M. Nidrosiæ in Norvegia XI *sec.*
98 Commentarius prævius 87. S. Olavi parentes,
101 patria, expeditiones piraticæ, *ex Variis* 90.
Baptismi ejus tempus, regni primordia, jus civile et canonicum ab eo conditum, virtutes,
nuptiæ, pugna et martyrium, etc. *ex Variis, a*
105-119 94 *ad* 108. Corporis sepultura, elevatio, miracula, reliquiæ, etc. 108. — Acta brevia
Auct. anonymo, ex Passionali pergameno Ms.
124 *cœnobii Bodecensis* 113. Appendix miraculorum,
128 *ex variis monumentis* 117
Guilielmus Episc. Conf. Brioci in Britannia Ar-
131 morica XIII *sec.* Commentarius prævius 120.
133 Acta *A. Godefrido Calvo, ex Surio* 122. Mira-
136 cula et Canonizatio 125

INTER PRÆTERMISSOS.

Urbanus II Papa, qui sacrum bellum in Saracenos pro recuperandis Hierosolymis indixit, hoc die cum Beati titulo celebratur a Ferrario. Hujus Pontificis Vitam nobis reliquit Mabillonius, eum æque ac ceteri Beati titulo veneratus, quam Vitam huc libentissime transtulissemus, si cultus alicujus ab Ecclesia permissi
13 b vel tenuia vestigia suggessisset 2 b
Gennardus Presbyter Confessor hoc die in Hieronymiano Codice quem Blumianum appellamus, signatus in Fontanella monasterio, locum inter Ahemeros habet apud Castellanum, qui eum ut Sanctum memorat cum titulo Abbatis S. Ægidii in Septimania. Doceant nos ii, quorum interest, cultum ejusque diem, ætatem,
13 c gesta, etc., ut alibi de eo agi possit 2 c
Ludovicus Torques, ut venerabilis Martyr cum duobus sociis hoc die memoratur a Marchesio in suo Diario Dominicano; sed altum alibi de
13 d cultu silentium 2 d
Marcella cum Beatæ titulo, ut famula beatæ Marthæ in Usuardo Florentino annuntiatur, quam Saussayus in Supplemento longiore oratione decoravit; sed incertus est Marcellæ hujus cultus, aliaque nihilo certiora sunt, quæ de
13 e ea referuntur 2 e
Ethelwinus, ut Episcopus Lindisfarnorum, a Wiltono insertus est Martyrologio suo Anglicano edito anno MDCVIII; sed hujus Ethelwini nondum magis perspecta nobis est sanctitas, quam re-
13 e ligiosus cultus 2 e
Alexander Cisterciensis Abbas ordine nonus, a S. Bernardo ad meliorem vitam conversus, magnis ornatur elogiis ab Henriquez aliisque, diciturque pietate ac miraculis celeberrimus, atque Beati titulo celebratur ab Ordinis scriptoribus. Nobis de legitimo ejus cultu hactenus
non constat 3 b 14 a
Beatrix ejusdem Ordinis Virgo et cœnobii Nazareth in Brabantia prima Priorissa, cujus Vitam plane admirabilem in Hagiologio Brabantino scripsit Gillemannus aliique, ne cultum
quidem qualemcumque habere inventa est 3 b 14 b
Ademarus de Felsinio, genere et virtutibus illustris, sapientiæ, prophetiæ et miraculorum donis magnopere excellens, hoc die ab Arturo annuntiatur Fugiaci apud Ruthenos in Gallia,
sed nullum ibi de cultu verbum 3 e 14 c

DIE XXX.

Abdon et Sennen MM. Romæ *sub Decio.* Commen-
tarius prævius 130. Acta *Auct. anonymo, ex* 141
Ms. Fuldensi cum aliis collato 137. Translatio 148
ab urbe Roma ad monasterium Arulense, *ex*
Ms. Arulensi edito a Baluzio 139 150
Julitta M. Cæsareæ in Cappadocia, *sub Diocle-*
tiano 141. Elogium *Auct. S. Basilio Magno,* 152
Cæsareæ Cappadociæ archiepiscopo, ex Homilia
inter diversas quinta, Gaudefrido Tilmanno in-
terprete 143 154
Maxima, Donatilla et Secunda VV. et MM. Tub-
urbi in Africa *forte sub Diocletiano* 146. Mar- 157
tyrium *ex S. Adonis Martyrologio* 147 158
Rufus, Priscus, Paternica, Septimia, Optio, Ammonius, Justus, Julia, Potamia, Abdus, Aceneus, Maxima, Hospis, Donatula; et forte Silvanus et Magnilus MM. verosimiliter etiam
Tuburbitani, *ex Hieronymianis* 148 159
Joannes miles, apud Græcos *sub Juliano Apostata,*
ex Fastis Græcis 148 159
Mamas et Basiliscus MM. *ex Fastis Græcis* 149 160
Rufinus M. Assisii in Umbria 150. Sermo de S. 161
Rufino *Auct. B. Petro Damiani* 151. Hymnus 162
de eodem, breviter ejus martyrium compre-
hendens *A. eodem* 154. *Vide etiam in Appendice* 165
ad tom. VI *Augusti* 814 S. A. 814
Terentius Conf. Faventiæ in Æmilia Italiæ 154. 165
Vita *ex Ms. verosimiliter Faventino* 155 166
Expletius Ep. Conf. Metis in Belgica Prima IV
sec. ex Ferrario aliisque 157 168
Ursus Ep. et Conf. Autissiodori in Gallia VI *sec. ex*
Mrll. et Historia Episcoporum Autissiodoren-
sium apud Labbeum tom. I *Bibliothecæ Mss.* 158 169
Tatwinus Ep. Conf. Cantuariæ in Anglia VIII *sec.* 170
ex Mrll. et variis Auctoribus 159. Diploma Gre- 171
gorii III Papæ 160
Hathebrandus Ab. et Conf. antverpiæ in Belgio 172 173
XII *sec.* 161. Elogium de Sancto, *ex Rayssio* 162.
— Vita in octo Lectiones distributa, *ex Ms.* 175
cœnobii S. Salvatoris Antverpiæ 164

INTER PRÆTERMISSOS.

Ludovicus Gandulius titulo Beati hoc die ornatur a Marchesio in Diario Dominicano, ubi hic gesta

DIE XXXI.

INTER PRÆTERMISSOS.

MENSIS

MENSIS AUGUSTUS.

Cum et hic mensis Austriacus sit, hoc est Augustissimæ Domus Austriacæ Principibus consecrandus, non potuit Augusti tomus primus alteri, quam Augustissimo Imperatori ac Patrono clementissimo Carolo VI ab obstrictissimis clientibus dedicari. Est autem in totius Operis serie tomus hic tertius supra trigesimum, editusque in lucem est anno MDCCXXXIII, quatuor vero primos hujus mensis dies complectitur, quibus Tractatus Historico-Chronologicus de Patriarchis Constantinopolitanis, parergis hinc inde et antidotis adversus schisma Græcum necessariis apte et abunde communitus, præfigitur, auctore Guilielmo Cupero, qui et illustrandis Sanctorum Actis, cum Sollerio, Pinio, et Boschio collegis suis operam suam contulit vere indefessam. Adjicitur in calce voluminis hujus Synaxarium ex Menologio, jussu Basilii Imperatoris collecto, cujus sex postremi menses, ut supra pag. 2 hujus Indicis diximus, servantur manuscripti in monasterio Basilianorum Cryptæ-Ferratæ in Latio.

2 Biennio rursus post editum tomum primum mensis Augusti, iidem Decessores nostri anno nimirum MDCCXXXV publici juris fecerunt tomum hujus mensis secundum, dierum Sanctorumque numero quam Actorum copia locupletiorem, utpote dies decurrentem omnino octo, videlicet quintum cum septem subsequentibus; quem iterato jam sæpe favore cumulati, Munificentissimo suo Mæcenati, Carolo VI Cæsari semper Augusto, qua decet, veneratione inscripserunt.

3 Posteaquam vero insignis ille nobis honor obtigisset tomos Operis nostri sedecim, qui ab annis quadraginta septem prodierant, dedicandi Augustissimæ Domui Austriacæ, tomus hic Augusti tertius, iisdem, de quibus supra, auctoribus, anno MDCCXXXVII in lucem venit, Serenissimis Conjugibus Francisco III Lotharingiæ et Barri Magnoque Etruriæ Duci, nunc Romanorum Imperatori hujus nominis I, et Mariæ Teresiæ Archiduci, nunc itidem Imperatrici ac Dominæ nostræ Potentissimæ, munificentissimis studiorum nostrorum fautoribus consecratus. Continet porro hoc Operis nostri volumen trigesimum quintum dies omnino septem, frontemque ejus occupat Elogium Petri Boschii scriptoris longiore vita dignissimi, qui die XIV Novembris anno MDCCXXVI e vivis sublatus est, annos L dumtaxat natus.

4 Cum itaque Boschius nobis subductus esset, Sollerius autem ab anno MDCCXXXVII exeunte scribendi finem fecisset, sibi uni Deoque victurus emeritus senex, tota Operis promovendi cura ad Pinium et Cuperum devoluta est. Hi, operam quoque suam, qua per pectoris infirmitatem licebat, conferente Petro Dolmanno, unico biennio inceperunt simul et perfecerunt tomum Augusti quartum, diem vicesimum ac quatuor sequentes percurrentem, qui ne avidam lectorum exspectationem moraretur, anno MDCCXXXIX typis vulgatus est, Augustissimo nostro Mæcenati, quem insequente anno e vivis sublatum Europa indoluit, iterum, sed supremum, debita veneratione a Majoribus nostris dedicatus.

5 Qui anno MDCCXLI in publicam lucem prodiit Augusti tomus quintus, ab initio vero Operis septimus supra trigesimum, mole quidem magnus, quin et pluribus prægressis amplior est, sed Sanctorum numero ac dierum ceteris omnibus plane impar existit: duos quippe tantummodo dies complexus, nimirum vicesimum quintum et vicesimum sextum, sine ullo hactenus exemplo ab Opere edito. Tomus hic Dignissimæ Caroli VI Cæsaris Filiæ et virtutum ejus non minus quam ditionum Heredi, Mariæ Teresiæ, Hungariæ et Bohemiæ Reginæ nuncupatus, Pinium, Cuperum P. M. et Stiltingum auctores habet; præfigitur ei Elogium viri optimi et de Museo nostro inprimis meriti Joannis Baptistæ Sollerii, qui, cum ab anno, ut diximus, MCCXXXVII, a studio Hagiographico vacasset, die XXVII Junii anno MDCCXL, ætatis suæ anno LXXII placide, uti vixerat, animam Creatori suo reddidit.

6. Et quamquam Sollerii funus, tentata diuturno morbo Dolmanni valetudo, ac subsequens Cuperi præmaturus obitus Museum nostrum in angustias minime leves conjecissent, ut in duos omne onus vasti Operis incumberet, et tomi hujus solito tempore in lucem emittendi spes omnis præcisa videri potuisset; duumvirum tamen Pinii et Stiltingi opera industriaque, adjutante Limpeno, prodiit anno MDCCXLIII tomus Augusti sextus et ultimus, Serenissimi Archiducis Josephi, nunc Romanorum Regis, Augusto nomini inscriptus; continet autem quinque postremos hujus mensis dies et Elogium Guilielmi Cuperi in ipso virilis ætatis flore, anno vitæ suæ LV ex humanis sublati die secunda Februarii anno MDCCXLI, postquam annos viginti et unum completos Hagiographicis studiis strenue impendisset.

N. B. — Præter hæc, ad calcem invenitur supplementum ad quinque ultimos tomos hujusce mensis; que ibi remittuntur hoc signo S. A. ad marginem pro nova Editione notabuntur.

TOMUS PRIMUS.

DIE PRIMO.

INTER PRÆTERMISSOS.

aliis autem Hagiologis ignotissimus, ut proinde
certiora exspectanda sint, priusquam Rufinia-
nus ille Sanctis annumeretur 3 d
3 c Rufinianus, secundus Bajocensis post S. Exupe-
rium Episcopus, quo determinate die colatur,
nondum reperire licuit; res differenda ad XXV
Octobris 3 e
Theodoricus Abbas monasterii S. Ebrulphi, in
Cypro insula depositus anno MLVIII vel MLIV
a Menardo, Mabillonio aliisque Beati titulo et
elogio ornatur. Nos legitimi cultus documen-
tum aliquod proferri postulamus 3 f
3 e Pontius de Larazio, de quo in Miscellaneis Balu-
zii, præclarissimis virtutibus illustris et præci-
puum Salvaniensis cœnobii Ordinis Cisterci-
ensis ornamentum dicitur. De vero ejus cultu
Ecclesiastico nihil compertum est 4 a
Thomas de Arimino Ordinis Eremitarum S. Au-
gustini Frater laicus, misericordia in pauperes
et miraculis insignis, si legitimum cultum ha-
beat, alibi ei locus dabitur 4 b
Petrus Faber, S. Ignatii primus socius, vir omni
virtutum genere clarus, hoc die mortuus est
Romæ anno MDXLVI. Peculiari honore ipsum
prosequuntur populares Genevenses Catholici,
domo, ubi natus est, in sacellum commutato,
ubi nonnulla signa venerationis exhibentur 4 e

DIE II.

Maximus Ep. Conf. Patavii in Italia II *sec. ex Mo-
lano, Belino, Cod. Strozziano et Mrl. Romano*
110. 111 109. Inventio Corporis, *ex instrumento Ms.* 110
Stephanus Papa I ac M. Romæ III *sec.* COMMEN-
113 TARIUS PRÆVIUS 112. Sancti patria, parentes,
gesta usque ad annum Christi CCLV, *ex Variis*
115 114. Sancti sententia contra S. Cyprianum,
117 etc. 116. Varia Sancti gesta, *ex Anastasio Bi-*
122 *bliothecario* 121. Reliquiarum translationes,
127-138 etc. *ex Variis, a* 126 *ad* 138. — ACTA *ex Co-*
dice nostro membraneo ac pervetusto Q. Ms. 6,
cum aliis pluribus Mss. editisque collato 139
Rutilius M. in Africa III *sec. sub Severo, ex Mrl.*
145 *Romano et Tertulliano* 146
Theodota ac tres filii MM. Nicææ in Bithynia;
item alia Synonyma cum septem filiis Cæsareæ
in Mauritania, *sub Diocletiano.* COMMENTARIUS
PRÆVIUS 147. PASSIO, *ex Actis S. Anastasiæ*
Martyris apud Surium ad diem XXV *Decembris*
152. ACTA alia *Auct. anonymo, a Combefisio*
edita inter illustrium Christi Martyrum lectos
triumphos 153
Felix et Nicetius MM. Veronæ in Italia, *ex Mrll.*
154 *Hieronymianis* 155
Septem Martyres anonymi Nicomediæ, *ex Hiero-*
nymianis 155
Auspicius Ep. Aptæ Juliæ, in Provincia Galliæ,
ex Saussayo et Sammarthanis 155
Serenus Ep. Massiliensis Blanderati in Italia *sub*
initium VII *sec.* 157. Ejus cultus antiquitas ex
loci traditione et monumentis comprobata 160.
Reliquiarum S. Sereni status et cultus hodier-
nus, *ex monumentis, quæ nobis subministravit R.*
D. Carolus Badonus ecclesiæ Blanderatensis ca-
nonicus 165
Betharius Ep. Conf. Carnoti in Gallia VII *sec.*
168. VITA *Auct. anonymo, ex Ms. D. Andreæ* 167
du Chesne, collato cum Ms. bibliothecæ Claro-
montanæ Parisiis 169
Etheldritha *sive* Alfreda V. reclusa in cœnobio
Croylandensi in Anglia IX *sec. ex Variis* 173
Gundecharus Ep. Eystadii in Germania XI *sec.*
COMMENTARIUS HISTORICUS 175. Beati Acta et
pius obitus, *ex Pontificali Eystettensi Ms.* 178.
Exemplar instrumenti, quo B. Gundecharus
præbendam instituit, quam circumeuntem ap-
pellant, *ex Ms. Ecclesiæ Cathedralis Eystetten-*
sis 182. MIRACULA gloriosi pontificis Gundeka-
ri, *Auct., ut putamus, Philippo episcopo Eystet-*
tensi ex Ms. Pontificali archivi episcopalis 184
Petrus Ep. Conf. Oxomi seu Uxamæ in Hispania
XII *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 189. Lectio
de Sancto, *ex antiquo Breviario Carthaginensi*
190. — ACTA *apud Tamayum, ex Ms. vetusto*
Legendario Asturicensi 192
Gualterus Conf. discipulus S. Francisci Assisia-
tis, Vimarani in Lusitania *circa medium* XIII
sec. 194. Beati elogium *ex Francisco Gonzaga*
aliisque 194

INTER PRÆTERMISSOS.

Severinus PP. inter Sanctos signatus est in Cod.
Usuardino Strozziano. Nos eum legitime inter
Sanctos relatum esse, nondum legimus 106 f 107 d
Stephanus Papa III, alias II; item Stephanus IV
dictus III, licet a multis laudati tamquam viri
sanctissimi, nusquam tamen legitima venera-
tione coli videntur 107 a et b 107 d. 108 a
Stephanus, apud Lemovicos, in cœnobio de Obo-
sma Ordinis Cisterciensis Prior, hoc die an-
nuntiatur in Kalendario Cisterciensi, item ab
Henriquez et Chalemoto, a quibus Beati titulo
honoratur. Nihil nos de legitimo ejus cultu
compertum habemus 107 b 108 a
Guillelmus Ordinis Cisterciensis S. Bernardi di-
scipulus et Abbas Rie-vallis virtutibus ac si-
gnis gloriosus refertur ab Henriquez. Nondum
probatum videmus, Sanctorum honores ei um-
quam legitime fuisse adscriptos 107 c 108 b
Joannes Forbesius, qui in familiam Patrum Ca-
pucinorum adscriptus, Archangelus vocatus
est, hoc die a Raissio annuntiatur Tenera-
mundæ in Belgio, qui, ut ut miranda satis
multa de Archangelo proferat, ab omni tamen
Sanctitatis titulo abstinet 107 c 108 b
Fridericus Syracusanus solitarius, anno MCCCXXXV
hoc die vita functus, inter Sanctos Siculos ti-
tulo Beati refertur ab Octavio Cajetano, mi-
randa satis multa paucis de eo prædicante, ut
qui mortuum suscitasse feratur, etc.; non vi-
detur tamen legitimo cultu hodiedum honorari,
etsi olim aliquali cultu gavisum fuisse eum as-
serat Cajetanus 107 f 108 c
Fulbertus solitarius Paciaci (*Gallice* a Pacy) in
pago Vastinensi diœcesis Senonensis, cum Be-
ati titulo hoc die refertur a Castellano in Sup-
plemento Martyrologii Universalis, apposito
ad

ad marginem anno circiter MCLXXXVI. Nulla
tamen nobis ulterior aut cultus aut gestorum
108 f notitia suppetit 108 a

DIE III.

Lydia purpuraria, Philippis in Macedonia *sec.* I,
ex Actibus Apostolorum 199

Aspren *vel* Asprenus Ep. et Conf. Neapoli in
Campania *circa finem sec.* I, *vel initio* II *sec. ex*
200 *Mrl. Romano et antiquis hymnis* 199. Proprium
200 de Sancto Officium 199. De Sancti nomine,
203 patria, munere, etc., *ex Variis* 202

213 Hermellus M. Constantinopoli, *ex Mrll.* 212

Martyres sub Abenner passi in India, *ex Mrl.*
Romano 212

Diogenes et Stephanus, et forte Albinus Romæ
MM. *ex Mrll.* 213

Dalmatus *vel* Dalmatius archimandrita, et Faustus
ejus filius ac mon. Constantinopoli V *sec.*
214 COMMENTARIUS PRÆVIUS 213. Obscura et intricata
Sancti chronotaxis utcumque explicata,
218 217. — ACTA, *quæ Anselmus Bandurus tomo II*
Imperii Orientalis Græco-Latine edidit ex Ms.
Codice San-Germanensi, quem nos cum duobus
219 *aliis Mss. Græcis contulimus* 218

226 Marana et Cyra Berœæ in Syria V *sec.* 225. VITA
A. Theodoreto episcopo Cyri ex editione Jacobi
227 *Sirmondi S. J.* 226

Euphronius Ep. Augustodunensis in Gallia V *sec.*
ex S. Gregorio Turonensi episcopo et S. Sidonio
228 *Apollinario* 227

230 Gregorius Ab. Nonantulanus in Italia X *sec.* 229.
230 Beati elogium, *ex Ughello* 229

Petrus Ep. Anagniæ in Italia XII *sec.* COMMENTARIUS
231 PRÆVIUS 230. Vitæ compendium *ex*
233 *editione Marchesii* 232. — VITA *ex mendoso*
Cod. perantiquo ecclesiæ Anagninæ 233

Walthenus Ab. Ord. Cisterciensis in Scotia XII
242 *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 241. VITA *A. Jor*-
dano vel Joscelino, monacho Furnesiensi, ex Ms.
Passionali pergameno cœnobii Bodecensis Canonicorum
Regularium S. Augustini in diœcesi Pa-
249 *derbornensi* 248

Gaufridus Ep. Cenomanensis in Gallia XIII *sec.*
278 COMMENTARIUS PRÆVIUS 277. ACTA *Auct. anonymo,*
sed coævo, apud Mabillonium in Veteribus
281 *Analectis* 280

Augustinus Ep. ex Ordine FF. Prædicatorum
Luceriæ in Apulia XIV *sec.* COMMENTARIUS
283 PRÆVIUS 282. Beati cultus prius approbatus a
S. Rituum Congregatione, a Clemente XI PP.
286 confirmatus 285. Lectiones propriæ 286. Beati
sepulcrum, reliquiæ et recentiora miracula
290 289. — VITA *A. Joanne Tomco Marnavitio, episcopo*
Bosnensi, ex editione Sigismundi Ferrarii
301 290. Miracula antiquiora, quæ post mortem
Beati contigerunt, *ex veteri Ms. Officio Luce*-
308 *rino cum editione Sigismundi Ferrarii collato* 307

INTER PRÆTERMISSOS.

S. Gaudentius Curiensis apud Rhætos seu Grisones
Episcopus hoc die adducitur a Castellano,
sed absque ulla temporis nota vel indicio, unde
eum acceperit. Si vere talis exstiterit sanctus
Curiensis Episcopus, doceant nos ii, quorum
interest, de ejus gestis, ætate, miraculis et
cultu ejusque vero natali die 196 c 197 b

Stephanus anachoreta in Ægypto cum Sancti titulo
a multis recentioribus hagiologis hoc die
celebratur. Verum non videtur ejus cultus antiquioribus
martyrologis in Occidente aut menologis
in Oriente aliquando notus fuisse 197 c 198 b

Conradus de Herslheym Ordinis Cisterciensis in
Hassia a Ferrario cum Sancti appellatione refertur.
Si forte documenta aliqua alicubi existant,
unde Conrado isti Sanctorum honores
vindicentur, gratissimum erit, ea nobis innotescere
197 d 198 c

Benno *seu* Benedictinus, vir plane eximius, restaurator
primum Cellæ S. Meinradi seu Meginradi,
Mettensis postmodum Episcopus, de
quo Mabillonius seculo V Benedictino, non videtur
nobis hactenus Sanctorum honoribus celebratus
esse 197 f 198 e

Paula a S. Thoma, Tertiaria Ordinis S. Dominici,
ante et post mortem miraculis clara, refertur
in Diario Marchesii, diciturque ibidem cor
ejus post obitum e corpore extractum Crucifixi
imaginem, cujus erat devotissima, continuisse.
Nihil nos hactenus de ejus publico cultu
intelleximus 198 a 198 e

Anna Juliana, archidux Austriæ, Mantuæ, etc.,
ducissa, Ordinis Servorum in Germania reparatrix,
pluribus merito laudatur in libello de
ejus vita scripto, etiam ab incorruptione corporis,
quæ omnia ad beatificationem ejus conferre
possunt. Ea porro obtenta, debitum locum
in hoc Opere consequetur 198 a 198 f

Matthæus Bascius, congregationis Capucinorum
institutor, sanctitate et miraculorum gloria illustris,
hoc die ab Arturo cum Beati titulo Venetis
annuntiatur. Nobis nihil de ejus legitimo
cultu innotuit 198 b 198 f

Derbilia de Irras inter varios Sanctos nobis æque
ignotos, numeratur a Colgano in Appendice
secunda ad Acta S. Columbæ et alibi.
Cum hactenus ea subministrata non sint, quæ
nos de cultu et gestis certiores reddant, possint
autem a popularibus hagiophilis subinde
suggeri, rem omnem examinandam remittimus
ad XXVI Octobris; quo die coli dicitur in
Martyrologiis Tamlactensi et Dungallensi 198 d 199 c

DIE IV.

Aristarchus S. Pauli Apostoli discipulus I *sec. ex*
Apostoli epistolis 313 314

Perpetua Romæ I *sec. ex Mrll. et Missali Mediolanensi*
seu Ambrosiano 314 315

Tertullinus Presb. et M. Romæ III *sec. ex Mrll.*
et Actis S. Stephani Papæ I et Martyris 316 317

Agabius Ep. Conf. Veronæ in Italia, *ex Cardinale*
Augustino Valerio 317 318

Crescentianus, Justus et forte Sachintus *vel* Jachintus
MM. Romæ, *ex Hieronymianis* 318 319

Sergius

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS SECUNDUS.

DIE V.

INTER PRÆTERMISSOS.

Hilde-

Hildegundis Ordinis Cisterciensis in Germania sanctimonialis ab Henriquez et Chalemoto ut Beata prædicatur. De vero hujus Virginis cultu, si quem habet, doceri cupimus 2 d

Gerardus Ordinis Præmonstratensis, primus Bernensis Abbas, inter Sanctos cum Beati titulo refertur hoc die a Chrysostomo Vander Sterre. Nos veri cultus certiora quærimus indicia 2 d

Dominica a Paradiso, illustris Ordinis Prædicatorum Virgo Florentina, fundatrix monasterii de Cruce, cum longiori elogio refertur hoc die a Marchesio. Causa ejus Beatificationis jam pridem agitari cœpta est 3 a

Jacobus Gerius eremita Camaldulensis cum Beati titulo hoc die Florentiæ annuntiatur a Wione, sed de cultu nobis non constat 3 b

Humbertus Episcopus Silvæ candidæ, S. R. E. Cardinalis seculo XI celeberrimus, a Bucelino relatus; item Stanislaus Hosius S. R. E. Cardinalis seculo XVI celeberrimus, a Martino Baronio in serie Sanctorum ac Beatorum istius nominis adductus, nondum quod sciamus, legitimum cultum consecuti sunt 3 c

3 b Baldricus *seu* Baldericus seculo X Episcopus Ultrajectensis, quem Majores nostri inter Prætermissos die VI Aprilis ut Sanctum in Supplemento Januarii referendum promiserunt, non videtur hactenus certum cultum habere 3 c

Viator (*Gallice* Biètre) Episcopus Bituricensis hoc die ut Sanctus annuntiatur a Castellano. Doceant nos Bituricenses, si quid habent, quo hujus Episcopi sanctitas probari possit et gloria promoveri 3 d

DIE VI.

Sixtus II Papa, Quartus, Felicissimus et Agapitus; item Januarius, Vincentius, Magnus ac Stephanus MM. Romæ III *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 124. S. Sixti patria, vitæ professio ante Pontificatum, gesta in Pontificatu, martyrii occasio, genus mortis, socii in martyrio, initium Pontificatus S. Sixti, sedis duratio, decreta ejus, scripta ipsi attributa, etc. *a* 127 *ad* 140. — MARTYRIUM *ex Ms. Fuldensi cum aliis exemplaribus collato* 140

Milites CLXV Martyres, *ex Hieronymianis* 143

Justus et Pastor MM. Compluti in Hispania IV *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 143. Martyrum patria, ætas, tempus martyrii, sepulcrum, corporum translationes, reliquiæ, miracula 145. — ACTA *Auct. anonymo, sed antiquissimo, ex Ms. Trevirensi S. Maximini collato cum editione Suriana* 154. ACTA metrica *Auctore vel Asturio Toletano episcopo, vel, ut plerique volunt, S. Isidoro Hispalensi : ex Officio Mozarabico impresso* 155

Hormisda Conf. Romanus Pontifex VI *sec.* COMMENTARIUS HISTORICUS 155. Sancti patria, ætas, obitus, gesta cum imperator Anastasio, etc., *ex Variis auctoribus etiam antiquis* 155

Jacobus, eremita Amidæ in Mesopotamia VI *sec.* *ex Mrl. Romano et Procopio Cæsariensi* 161

Ducenti Martyres monachi Caradignenses prope Burgos in Hispania IX *sec.* 162. Lectiones propriæ, *ex Bulla Clementis PP. VIII* 166. Miracula quædam, *ex Berganzio* 167

Stapinus Conf. Ep., ut fertur, Carcassonensis in Gallia, *ex Variis* 170

Gezzelinus *seu* Gitzelinus Conf. Slebufrodæ apud Coloniam Agrippinam, *ex Greveno aliisque* 172

Chremes Ab. Conf. in Sicilia XII *sec.* 173. VITA *A. Octavio Cajetano* 174

Schetzelo Conf. in territorio Luxemburgensi in Belgio XII *sec.* COMMENTARIUS PRÆVIUS 175. VITA *Auct. Herberto, monacho Claravallensi, ac Turrium Sardiniæ archiepiscopo, ex editione P. Petri Francisci Chiffletii S. J.* 178

INTER PRÆTERMISSOS.

Thomas monachus a Gallis occisus Doroberniæ, seu, ut loquitur Capgravius, Donoriæ, Legendæ Anglicæ tamquam Martyr insertus est. Nos de cultu publico ei umquam adhibito edoceri cupimus 122 e

Bertha Biburgensis in Bavaria cum Beatæ titulo hoc die refertur a Ferrario; verum Sanctorum veris honoribus gavisam eam fuisse, hactenus reperire non potuimus 122 f

Staphania matrona clarissima et mirifice a B. Ennodio Ticinensi laudata, Romæ annuntiatur hoc die in Gynæceo Arturi. Nihil nobis de ejus cultu innotuit 123 c 123 b

Godscalcus Episcopus ut miraculis et prædicationibus illustris cum Sancti titulo hoc die memoratur in Florario nostro Ms.; hunc ut felicem Saussayus prædicat die sequenti VII Augusti, quo etiam die cum Beati titulo laudatur a Joanne Chrysostomo Vander Sterre. Nos neque hoc die neque sequenti ipsum Sanctis audemus asserere, donec de cultu publico certius doceamur 123 c

Henricus Wintoniensis Episcopus anno MCLXXI vita functus, a Majoribus nostris ex Ferrarii et Galesinii fide ad diem hunc remissus est; at re modo attentius perpensa, non videmur ipsi locum inter Sanctos tribuere posse, quod nulla usquam occurrant alicujus cultus ei olim exhibiti vestigia 123 c

Hippolyta a S. Maria ab aliis a Jesu nuncupata, ex familia, ut volunt, Rocabertina, a Marchesio in Diario Dominicano hoc die refertur cum longo elogio et titulo Famulæ Dei. Alibi etiam signata invenitur; at de cultu Ecclesiastico non satis constat 123 e

Alanus Britannus Carmelitarum Generalis, si credimus Aciei bene ordinatæ, Beatus vocatur ab immemorabili tempore; item Philippus Ribbotus Hispanus dicitur in eadem Acie Sanctitatis titulum semper retinuisse. Si adsit probatio sufficiens, uterque Operi nostro certissime inseretur 123 f 123 c

Hermannus, Ordinis Præmonstratensis, ac primus cœnobii Scheidensis non procul Ansberga præpositus, mirabiliter a Judaismo ad Christum conversus, a variis Beati titulo ornatur. Nos ejus Acta illustrabimus ad diem XXIII Decembris

DIE

DIE VIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE IX.

Ms. Passionali pergameno mensis Augusti fol. 45 *pag. A., quod apud Canonicos Regulares Bodecensis cœnobii in diœcesi Paderbornensi servatur* 419. Decretum Romanum pro eorum cultu sub ritu duplici majori, *Tom. VI Augusti in Supplemento* 813

S. A. 813 Samuel Preb. Edessenus Constantinopoli *sec.* V vel VI, *ex Variis* 423

Fedlimidus Conf. Ep. in Hibernia VI *sec. ex Missis propriis Sanctorum patronorum ac titularium Franciæ et Hiberniæ anno* MDCCXXXIV *editis, item ex Jacobo Waræo in Commentario de præsulibus Hiberniæ, Tom. VI Augusti in Supplemento* 814

S. A. 814 Erneus Ab. apud Cenomanos in Gallia VI *seculo inclinante* 425. Vita *Auct. anonymo et suppari, ex Legendario Ms. Cenomanensi ecclesiæ collegiatæ S. Petri de Curia, collato cum duobus aliis exemplaribus Mss.* 426

Gregorius Spatharius, Julianus, Marcianus, Joannes, Jacobus, Alexius, Demetrius, Leontius, Photius, Petrus, Maria Patricia, et duo adolescentuli MM. Constantinopoli VIII *sec.* Commentarius prævius 428. Defensio imaginis Christi occasio martyrii 429. — Acta Græco-Latine *Auct. anonymo, ex Cod. Ms. bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* 434

Hathumarus Conf. primus Paderbornensium Ep. Paderbornæ in Westfalia IX *sec.* Sylloge historica, *ex Variis* 448. Rerum a Beato gestarum series 450

Joannes Firmanus *sive* Alvernicola ex Ordine Fratrum Minorum, in monte Alverno in Italia XIV *sec.* Commentarius prævius 453. Acta *Auct. anonymo coævo, ex veteri Cod. Ms. membraneo, qui servatur Florentiæ in bibliotheca Conventus Sanctæ Crucis, pluteo* 26 *a dextris* 459. Acta alia *collecta ab uno vel forte pluribus testibus coævis, ex Ms. Speculo S. Francisci et sociorum ejus lib. II, cujus exemplar servatur in bibliotheca Minoritarum Lovaniensium, ex qua habemus ecgraphum, quod in Museo nostro exstat Cod. O Ms.* 20, *et quod cum aliis Mss. ejusdem Speculi apographis collatum est* 469

Falcus et Nicolaus eremitæ Calabri in Apulia XIV *sec. ex Ferrario* 475

Joannes Plebanus et Leo Bembus Venetiis in illustri S. Laurentii parthenone. Commentarius historicus, *ex variis documentis* 475

INTER PRÆTERMISSOS.

Benignus Presbyter Confessor hoc die a Dempstero relatus, quis sit, doceri cupimus 399 f

Claudianus, nescio quis, et Socii Martyres adjecti in annotatione aliqua Ms. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, quo spectent, nondum conjicere licuit 400 a

Cono S. Hildemari discipulus, ex-Abbate Aroasiensi in Artesia Episcopus Prænestinus, laudatur in sancti Magistri Vita, ad XIII Januarii, capitibus 5, 6, 7 et 8, ubi dicitur anno Domini MCXVII vita functus. Constat nobis de præclaris Viri gestis; sed de cultu Ecclesiastico altum ubique silentium 400 b

Maximus Martyr ut Sanctus et antiquo ex cultu magis, quam vitæ et mortis historia conspicuus, Lemovicis hoc die annuntiatur à Saussayo in Supplemento sui Martyrologii; sed explicatiora nobis suggeri optamus, ut hic S. Maximus locum in Actis habeat 400 b

Hugo, ut Beatus et Eliensis Episcopus et doctrina clarissimus, in Anglia memoratur hoc die apud Wionem in Martyrologio Benedictino. Ut ut varii recentiores eum pariter referant, religio fuit ei inter Sanctos hic locum dare, priusquam cultus publici vestigium aut documentum certum nobis occurrisset 400 b

Simeon Achaicus cum Beati titulo, in Augia divite annuntiatur hoc die apud Buccelinum. Nos publicum Simeonis hujus cultum, necdum alicunde eruere potuimus 400 d

Lucia de Catalagirone Salerni in Sicilia inter Prætermissos hoc die signata, eadem est quæ locum in Actis habet XXVI Septembris 400 f

Amor et Viator ut SS. Martyres apud Sequanos hoc die annuntiantur in novo Martyrologio Parisiensi, remittiturque ulterior de SS. Amore et Viatore disquisitio ad diem XXII Septembris 401 b SS. Videsis tom. VI Septembris in Supplemento 914

DIE X.

Laurentius archidiaconus et M. Romæ; item Orentius ac Patientia sancti Laurentii, ut fertur, parentes, Oscæ in Aragonia III *sec.* Commentarius prævius 485. Templa sub Sancti nomine erecta 486. Elogia, res quædam gestæ ac martyrium, *ex SS. Patribus* 491. Miracula, *ex Patribus* 493. Locus palæstræ, sepultura, reliquiæ, *ex Variis* 496. Sancti parentes, eorum cultus; S. Laurentii nobilitas, studia, patria, etc., *ex Variis*, a 501 ad 512. Hymnus de Sancto, *A. Aurelio Prudentio lib.* Περὶ στεφάνων, *qui apud Ruinartium inter Acta Martyrum sincera et selecta est editus, et cum aliis exemplaribus collatus* 512. — Acta *ex Mrl. Adonis ad diem* X *Augusti* 518. Gloria posthuma S. Laurentii, *ex variis tum editis tum Mss. documentis* 520

Martyrum magnus numerus Alexandriæ, et reliqua Ægypto *sub Decio, ex Mrl. Romano* 532

Bassa, Paula et Agathonica VV. MM. Carthagine, *ex Mrl. Romano* 533

Martyres viri XI, et virgines XIII; item Afra et Milites VII, *ex Cod. Hieronymiano Epternacensi* 533

Crescentio, Arcaneus, Hyacinthus, Januarius, Exuperatus, Quirillus, Quinctus, Geminus, Pastor, Lucilla, Pontianus, Crispina, Innocentia, Leocippia, Terentia, Sidora, Agapa, Chrestus, Cyriaca et Letisippus MM. *ex Codd. Hieronymianis* 534

Euticia, Maria Virgo Dei et VI Innocentes MM. *ex Hieronymianis* 534

Crescentius, Sevus, Arcananeus et Alii XXX MM. *ex Hieronymianis* 534

Milites CLXV; item Claudius, Severus, Crescentio et

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XI.

TOMUS TERTIUS.

DIE XIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XIV.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE

DIE XV.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XVI.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XVII.

Paulus,

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XVIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XIX.

INTER PRÆTERMISSOS.

B.

TOMUS QUARTUS.

DIE XX.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

TOMUS QUINTUS.

DIE XXV.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXVI.

INTER PRÆTERMISSOS.

hac

TOMUS SEXTUS.

DIE XXVII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXVIII.

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXIX.

Bononius

INTER PRÆTERMISSOS.

DIE XXXI.

INTER PRÆTERMISSOS.

MENSIS SEPTEMBER.

Ut menses Junius, Julius et Augustus, viginti voluminibus comprehensi, Austriacis auspiciis in lucem prodierant, ita et September, qui octo complectitur tomos, Regiis Principibus Austriacis, Augustissima eorum Matre progressum Operis semper promovente, totus, quantus est, consecratus fuit. Ac tomus quidem Septembris primus Serenissimæ Archiduci Austriacarum Principum natu maximæ, annuente Gratiosissima Operis nostri Patrona, reverenter oblatus est. Lucem hic tomus aspexit anno MDCCXLVI, Pinii, Stiltingi, Limpeni et Veldii studio et opera elucubratus; decurrit autem dies tres, præfixumque habet Tractatum præliminarem de Diaconissarum antiquitate, vestitu, officio, etc., a laudato Pinio, licet jam tum annis gravi, mirabili plane ordine, claritate et eruditione exaratum, cui cum triginta circiter lucubrationes subjunxisset, tandem studiis hagiographicis hic metas senex fixit.

